UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2405.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE

ECCLESIASTICORVM VITA, MORIBVS, OFFICIIS

LIBRI TRES.

Auctore
Soc. Iesv Paderborna.

R.P. GISBERTO SCHEVICHAVIO
ARNHEMIO, E SOCIETATE IESV
DOCTORE THEOLOGO.

AD SERENISSIMVM AC REVERENDISSIMVM AVSTRIAE ARCHIDVCEM LEOPOLDVM
Argentinensium & Passauiensium
Episcopum, &c.



MOGVNTIAE,
Sumptibus IOANNIS KINCKII Bibliopolæ Colon.
Typis BALTHASARIS LIPPII,
ANNO M. DC. XXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO,

D. LEOPOLDO, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, ARGENTINENSI, ET PASSAVIENSI EPISCOPO, ADMINISTRATORI PERPETVO MVRBACENSI, ET LVDERENSI, & Duci Burgund. &c. Comiti Tirol. Landgrauio Alsatiæ, &c. Domino suo Clementissimo.

CVM MEOS DE SANCTISSIma Trinitate libros trium Regnorum Principi Imperatori Augusto fratri tuo dedicassem Serenissime Archidux, non diu, multum q; mihi deliberandum fuit, quo alteras meas curas conuerterem: Plurimi enim anni sunt, ex quo & meipsum, & familiam nostram vniuersam tam prolixa beneuolentia clementissimè prosequeris, vt etiam in eorum oculos incurrat, qui ad orthodoxæ fidei lucem miserè caligant, & tanti Principis, ac similium de nobis iudicium nec ad aures sine offensione, nec sine æmulatione ad animum, & memoriam admittunt, nec mirum, *Dedicationis causa.*

Vnde tanti Principis in Societatem fauor.

cum propriæ, ac alienæ saluti (quam vel ipsorum-met confessione impensè procuramus) parum æqui sint, alioquin & suum nobis fauorem allaturi; quos quidem vel odio, vel ignorantia excæcatos, vt benignissimus Deus detersa hac errorum nube, ad veritatis suspectum traducat, serió precamur. Eam verò Tuam erga nos clementiam, humanitatem, amoremq; multis, ac immortalibus beneficijs testatissimum feciſti, vt referendæ gratiæ licet voluntas non desit, desit tamen facultas: promptissimi proinde paratissimiq; sumus vltimis obsequijs, omniq; seruitio TVAM SERENITATEM, humillime demereri. Veruntamen, si quod res est, profiteri velim, virtus tua in Germaniæ oculis, ac in luce Imperij Romani collocata, me ad hoc qualecunque ingenij mei monumentum Tuo Nomini transcribendum efficacius pellexit, & induxit; nimirum illa non vulgaris eruditio, quem confecto Philosophiæ, ac Thelogię curriculo, sacrorum Canonum, & ciuilium Legum adytis non obiter perlustratis es indeptus: illa in rebus, quà tanto ante solerter prævidendis, quà in optimum ordinem describendis, quà constanter exequendis vigilantia, promptitudo, constantia, & prudentia, illa singularis, aduersus Deum pietas omnis boni origo & fundamentum, illa heroica celsissimi animi magnitudo non minus optimo cuique amabilis, quam improbis formidolosa; illa morum suauitas, & erga omnes etiam infimæ sortis incredibilis comitas, vitæque integritas: quæ tamen omnia, vt præclarè

Dilectio vera & operosa

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Nostra bona Deidona.

clarè noſti Sereniſſime Princeps, non tam naturę munera quam Dei dona ſunt, de quibus ille exactam rationem olim expoſcet, & pro quibus aſſiduæ gratiæ ſunt perſoluendæ: vt & amoris diuini, quia dedit, & timoris, ſi ad prauos vſus detorqueantur, ſint incitamenta. Ad hæc ipſum voluminis argumentum Ratio videlicet, inſtitutioq; formandæ Eccleſiaſticorum vitæ ad Te duarum Eccleſiarum Antiſtitem, tacito quodam ſenſu humiliter aſpirat: Non aliter enim quam lapis aphengites, aut ſpeculare vitrum Sidoniorum Tuis oculis ſeſe obijciet; vt quam feliciter optimi Præſulis numeros omnes hactenus expleueris; quantâq; curâ ac ſolicitudine in poſterum etiam munere Tuo fungi debeas, contuearis. Sane vt ſubditi tui ad Catholicam fidem, morumq; probitatem erudiantur, Molshemij, Paſſauij, ac alibi magnifico ſumptu noua templa, Doctorum, piorumq; hominum Collegia, ac Adoſcentum ſeminaria es molitus: & quidem recentiſſima memoria in Tua Alſatia Academiam Pontificia, & Cæſarea Auctoritate fretus conſtituiſti: Huius ego Archiducalis Athenei ſimul, & Noui templi à Te ſubſtructi Encœnijs cum vocatu Tuo intereſſem, mirificam Serenitatis Tuæ erga me gratiam, imò beneuolentiam, ac amorem ſum expertus. Quo circa cum ingratitudinis vitio beneficentiam tanquam fontem aliquem obſtrui nõ ignorarem, ne fœdiſſimi illius crimĩnis infamiam ſubirem, quod vnum vel ætas mea, vel vitæ inſtitutum patieba-

Cum augentur dona, rationes etiam creſcũt donorũ S. Gregor. Diligenter agnoſce vultũ pectoris tui, tuoſq; greges conſidera Prou. 27. v. 23. Timor Domini principium ſapientiæ, ſapientiã atq; doctrinã ſtulti deſpiciũt Prou. 1 v. 7. Eiuſdẽ Muſæ

æmuli. Ne mihi Ingratitudo vulgi.

tiebatur, aliquot mearum lucubrationum optionem detuli: Sed Serenitas Tua ſtatu ſuo Eccleſiaſtico delectata, hoc de Clericorum virtutibus opuſculum ſibi deligere clementiſſimè dignata eſt. Hunc ipſum igitur Vigiliarum mearum partum, quamuis tenuem, & tanto principe non ſatis dignum Tuo tamen calculo comprobatum, nunc tandem Serenitati Tuæ ſupplex offero. Deumque Opt. Max. precor, vt Te auguſtiſſimi ſanguinis Auſtriaci maieſtate, & ſplendore virtutum, & rerum geſtarum gloria florentem Eccleſiæ Catholicæ, ac Romano Imperio quam diutiſſimè ſeruet incolumem Moguntiæ ex Archiepiſcopali Societatis IESV Collegio, 1. Aprilis, quo Verbum Caro factum eſt, ANNO 1621.

Serenitatis veſtræ

demiſſiſſimus in Chriſto ſeruus

Gisbertus Scheuichauius Arnhemius,
Societatis IESV præsbyter.

REVE-

REVERENDISSIMI MOGVNTINI PROEPISCOPI LIBRORVM CENSORIS approbatio.

EGO STEPHANVS VVEBERVS *DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Misiensis R^mi & Illustrissimi Domini, Domini Ioannis Suicardi Principis Electoris in Pontificalibus Vicarius generalis, SS. Theologiæ Doctor ac librorum Censor, Librum R. P. Gisberti Scheuichauij Arnhemij Societatis IESV Doctoris Theologi à pluribus & eximijs nostræ Theologicæ Facultatis Doctoribus diligenter lectum & approbatum, liberrime etiam comprobo. præsertim cum ipse plerag; & lectitarim, & in ecclesiastica Sodalitate hæc disserentem audierim, eundemq; librum vniuersis Clericis vtilissimum fore iudico. Moguntiæ Anno 1621. altero die Februarij.*

Idem, qui supra in fidem
propria manu.

FACVLTAS R. P. AD RHENVM PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

LIBRVM de Ecclesiasticorum vita, moribus, officijs à Patre Gisberto Scheuichauio Arnhemio nostr Societatis Doctore Theologo conscriptum & à tribus deputatis nostri ordinis Patribus lectum probatumque, ego Ioannes Copperus Societatis IESV per Rheni Prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab admodum Reuerendo P. N. Mutio Vitelleſco Societatis IESV Præposito Generali) in publicum dari permitto. Coloniæ Calendis Ianuarii ANNO 1621.

PIO

PIO AC BENEVOLO LECTORI.

NOnus annus agitur, ex quo Moguntiæ ad augustissimi Sacramenti, ac Deiparæ Virginis Congregationem quot diebus Dominicis verba feci. In hoc verò sodalitium cum soli Clero aditus pateat, ac in illud præter sacerdotes vitæ integritate, ac eruditione præstantes, etiam S. S. Theologiæ, & Juris Canonici Doctores, nec Collegiatarum modo, sed & Metropolitanæ ædis amplissimi Proceres, insuper Reuerendissimi Antistites nomen suum retulerint; faciendum duxi, vt tam illustrium auditorum ratione habita, de Ecclesiasticorum vocatione, institutis, ac perfectione statis commentationibus dissererem: cum in animum induxissem, de nulla re alia sermonem instituere me posse, quæ vel illorum auribus gratior, vel statui commodior, vel spiritualibus emolumentis accommodatior accideret. Quocirca vt munere meo fungerer, & præstantissimorum Dominorum sodalium exspectationem non luderem, sacra Biblia, & in his potissimum Exodum, Leuiticum, Euangelium, S. Pauli epistolas, vtramq; Timotheicam & Titianam, ac Hebræam, Sacra Concilia, summorum Pontificum sanctiones ac decreta, sanctissimorum etiam ac doctissimorum Patrum monumenta non strictim, & velut per transennam inspexi, sed stylo ad accuratam lucubrationem defixo studiose peruasi; vt è sanctissimis his fontibus nonnihil vtilitatis ad Auditores meos deriuarem: eâq; scriptione typis æneis in lucem emissa, dilucide simul, & paucis velut in epitome demonstrarem, quid olim Deus in lege veteri: in nouo autem instrumento quid Seruator

Dulci⁹ ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

noſter Chriſtus, Apoſtolus Paulus, maioreſque noſtri, vel in ſynodis, vel in S. Canonibus, vel etiam libris ſuis ab ampliſſimo Clericorum ordine, qui in militantis Eccleſiæ hierarchia principem locum tenet, expoſcerent: vt ſi cui hæc penitius introſpiciendi animus eſſet, exiguo ære non exiguum (vt ſpero) in Chriſtiana perfectione lucrum reportaret. Mihi vero ex voluntate accidit, quod D. Ambroſio Mediolanenſium Epiſcopo, Eccleſiæ Catholicæ ſanctiſſimo Doctori, & propugnatori acerrimo, qui cum tribus de officijs libris ſuos Clericos informare ad pietatem, & iuſtitiam potiſſimum vellet, ijs Chriſtianos erudiuit omnes: ita & eum has meas inſtitutiones vel maxime Eccleſiaſticorum vſui elucubraſſem, ac dedicaſſem: vniuerſis tamen ſine exceptione profuturas ſapiens quiſque Lector ſtatim intelliget, ſi eas non dico euoluere, ſed indicem inſpicere non grauabitur; quid enim Clerico, Laicoque magis commune eſſe debet, quam ne diuinum numen ſceleribus offendant, & virtutibus colant; quem in ſcopum hi libri collineant.

Non vile vili comparatur. Pinum Deus calamũ dirigit.

Vt autẽ perſpicue cognoſcat Lector quã rationẽ & viã in his libris ſecutus ſim, breuiter eam explicabo cũ, vt ait Philoſ. finis ſit bonũ, cuius cauſa aliquid aut natura aut arte, & quo omnia referẽda ſunt ante omnia, qui fines Eccleſiaſticis propoſiti ſint, & in quos functiones ſuas vniuerſas conferre debent, expoſui. Hinc ad media & auxilia iſtis finibus potiundi progreſſus, quam integrè ac ſanctè olim Clerici vixerint, eos vt fines conſequerentur docui, & deinceps quam pie inuiolateq; ipſi quotidiana ſua munia obire debeant, Deoque famulari, diſſerui. Hæc libro 1. Altero vero libro quæ peccata quaſi diuerticula, auia, & præcipitia ab his finibus illos auertunt, demonſtraui, & libro 3. quæ illos virtutes vt viæ duces eo perducant, oſtendi. Et quidem vitia illis vitanda ex Apoſtoli ſententia in ordinem ſeptem capitalium ijſque cohærentium peccatorum lib. 2. digeſſi, & lib. 3. iſtis contrarias virtutes velut aduerſarias acies ordinatim diſpoſui, cauique diligenter

Quid libri primi finis.

Quod libri ſecundi argumẽtum.

Quæ ſumma libri tertij.

ter, ne quicquam (quod incurioso facile obreperet) in vitio virtuteq; oppositis repeteretur, neque etiam quod ad Ecclesiasticum statum pertineat, omitteretur: Et quidem initio mihi deliberatum tribus istis libris tria docere: nimirum, qualis vir Ecclesiasticus erga Deum, seipsum, & proximum esse debeat, sed mox animaduerti mihi multa in procursu iteranda, vt, verbi gratia, in castitate, in humilitate, & alijs id genus virtutibus vel vitijs, nam est caste submisseque Deo seruiendum, & integritas vitæ famæque nobis conseruanda, & ijsdem proximi salus promouenda. Quam partitionem & hic reperiet non oscitans vel dormitans Lector. Nam fuse per omnes partes lib. 1. explicata religio, quales se Deo præbere debeant, abunde demonstrat. Et lib. 2. à vitijs explanata continentia quos eos esse conueniat luculente ostendit. Et libr. 3. cum illorum integritas, & vitæ sanctimonia docetur, magnam partem quales erga proximos exhibere deceat, declarauit. Verum creber sum in alienis citandis sententijs. Non inficior, sed lubens id præ me fero & confiteor, nec tam iustæ causæ patronus idem passus desideratur. Is est *S. Hieronymus in tradit. seu quæst. Hebraic. proemio. Qui in principiis, ait, librorum debebam secuturi operis argumenta proponere, cogor prius respondere maledictis Terentii quippiam sustinens, qui comædiarum prologos in defensionem sui scenis dabat, vrgebat enim eum Luscius Lauinius, nostro Luscio similis, & quasi publici ærarii furē, poëtam criminabatur. Hoc idem passus est ab æmulis, & Mantuanus vates; vt cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur, quibus ille respondit, magnarum esse virium, Herculi clauam extorquere de manu. Sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, rex oratorum, & latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusatur à Græcis. Non mirum ergo, si contra me, paruum homunculum, immundi sues gruniant, & pedibus margaritas conculcent; cum aduersus doctissimos viros, & qui gloria inuidiam superare debuerant, liuor exarserit. Verum hoc illis merito accidit, quorum in theatris, curia, concione, pro rostris eloquentia pertonabat, semper enim in propatulo fortitudo æmulos habet,*

Quod aut horis inscitum.

Auctoris factio cur veterum vtatur sententijs potius, quam suis, aut Neotericorū.

Artis est alienas sententias suas facere.

habet, feriuntque summos fulgura montes. Me vero procul ab vrbibus, foro, litibus, turbis remotum, sic quoque, vt Quintilianus ait, latentem inuenit inuidia. Ista eruditione, eloquētia, & sanctitate præstantissimus Doctor B. Hieronymus, qui & aliorum sententias creberrimè vsurpauit, & quia ætatem habeo, pro me ipse pauca loquar.

Hoc igitur mihi non vitio vertendum, sed laudi dandum existimo, sic enim 1. Maior scriptis meis fides & auctoritas conciliatur, quis enim non potius scripturæ, doctissimisque ac sanctissimis Patribus fidem adiungat, quam mihi Theologorum nouissimo. Et quis tam vecors & stolidus est, præter Sectarios, qui & idcirco Nouatores appellantur, qui non malit, celebres & tritas vias sequi, quam cæcas & inusitatas indagare? Tunc à nobis limes fidei sanæ defenditur, ait Doctorum Princeps, quando termini quos posuerunt sancti Patres, non transferuntur à nobis, imo obseruantur & defensantur. Quin & fortassis defuturi non essent, qui de accuratiore viuendi disciplina moniti, tanquam phrenetici contra medicum sæuientes commenta hæc Iesuitica, vel monachica esse iactitarent. At nunc cum hic non nisi Legislatoris nostri Christi, eiusque sapientissimi interpretis Beati Pauli, aliorum etiam Apostolorum, probatissimorum Conciliorum ac Canonum, vetustissimorum Martyrum & Patrum eruditione iuxta ac sanctitate præstantissimorum decreta videant, relegant, peruolutent, quantumuis neque terræmotus timeant, neque fluctus, os etiam ac frontem perfricuerint, nihil mutire audebunt. Quis non multo malit audire senes, quam iuuenes, vt in suam perniciem stultus Roboam? 3. Regum 12. vers. 13. 14. Ecclesiast. 47. v. 27. 28. Et iure, inter cuius manus veterum libri versati, fatebitur: Nihil dictum quod non dictum prius. Aut vt Comici pronunciatum temperem, & nouis inuētis aliquem locum vel angulum concedam, existimo; Parum afferri à Neotericis quod ignoratum sit Priscis, quamuis sæpe diuersa sit tractandi ratio.

2. Leua-

2. Leuatur labor adeundi Patres, ac loca inuestigandi. 3. Multis est penuria librorum, neque enim quiuis omnibus codicibus instructam bibliothecam habet. 4. auctorum sententijs magis res exprimitur, & mentibus imprimitur, & plenius edocetur, ac velut monile gemmis exornatur. 5. Ingenui animi indicina est agnoscere & confiteri eum, à quo beneficium acceperit, furacis vero & maligni aliena tanquam propria vsurpare. 6. Neque fraudandi laude S. Doctores, quam suis lucubrationibus promeriti sunt. 7. Quem non potius afficit & delectat sententia ex Sancti Spiritus, qui in Scripturis, Concilijs, Patribus loquitur, fontibus hausta, quam ex humani ingenij Lacunis prompta? At facile ac cuiuis expeditum est congerere sententias & quasi vnum in cumulum aggregare. Non inficior, si quis passim obuias, & ex triuio raptas, nec proposito congruentes insulse velut suem cum minerua iungere, aut aquam igni miscere velit. Verum vt quis instituto idoneas repetiat, repertas explanet & apte inter se vt rosas in serto connectat, plus ingenij, plus iudicij, plus industriæ & laboris habet, quam si quispiam sua cogitata siue somnia quantumuis diuturna adferat. Quis nescius est, quantam in Theologia Petrus Lumbardus Episcopus Parisiensis, & in iure Canonico Gratianus, laudem vterque adeptus sit colligendis & concinnè nectendis Scripturæ, Conciliorum, summorum Pontificum ac Sanctorum Patrum sententijs? Et quid aliud facit in suis Paralellis, & passim alibi S. Ioannes Damascenus? Quid in S. Augustini sententijs D. Prosper. Aquitanicus? Quid ipse D. Augustinus quantumuis ingeniosissimus? passim Ecclesiæ dogmata S. Patrum auctoritate confirmat, qua vel sola hæreticorum nouitas conteritur, præterquam quod ea dicant vt se per eos loqui veritas ipsa testetur, vt ait sub finem l. 2. contra Iulianum Pelag. Nonne Concilia Mileuitanum, Carthaginense, Arausicanum, Tridentinum S. Augustini ore loquuntur? quod facile animaduertit qui illius Doctorum princi-

Obiect. repellit Author

principis volumina non oſcitanter peruolutarit? Quam D. Thomas, S. Bonauentura, Cardinalis Bellarminus, Franciſcus Suaretius, Gabriel Vaſquetius, noſtri in SS. Patrum ſententijs triumphant? Sed nolo Soli afferre lucem, quia hæc ſapientibus probantur & ſapiunt. Ignoratio arti inimica.

Tuum nunc eſt, benigne Lector, hanc qualemcunque operam boni conſulere, & ſi quid vtilitatis è meis laboribus maiori Dei gloriæ, eiuſque honori ſacris haurire poſſis, eam minime negligendam eſſe, iudicare; neque tam operis molem, aut ſtyli elegantiam; quam ſcriptionis argumentum, aut ſcopum ſuis ponderibus examines velim: Hic enim vnus eſt finis, cui obtinendo has vigilias meas conſecraui, vt quotquot in album Eccleſiaſtici ſtatus inſerti ſunt, ad ſanctimoniam ardentius inflammati, caſtiſſimum Deo cultum exhibeant, adeoque ſe vere Clericos, id eſt, in ſortem Dei adlectos eſſe, vita & moribus demonſtrent, quod cum omnibus etiam qui Chriſtiano nomine cenſeri volunt, incumbat; ijs etiam huius libri vſum ad vitæ morumque emendationem plurimum profore facili negotio perſpexeris. Moguntiæ ex Archiepiſcopali Societatis IESV Collegio 1. Aprilis Anno 1621.

AD

AD SERENISSIMVM AC DIVINA HVMANAQVE VIRTVTE PRÆCELLENTEM AVstriæ Archiducem Leopoldum, &c.

AVCTOR.

CAEsareus sanguis genus Augustale, columna
Austriadum, Princeps Optime, Magne, faue.
Quanquam Atlantæo totus sub pondere sudas,
Et multum ex omni parte fatigat onus
Bellona, belliq; labos fundamina totis
Nisibus Europæ conglomerata quatit;
Magna ruunt omni concita pericula mundo,
Hinc cædes, sanguis, terror & inde minæ;
Hungariæ sceptrum, radians diadema Bohemum,
Austria prô clades! Austria vulnus habet.
Hæc ita sint, tamen impauido, Inuictissime Princeps,
Stas Leopolde animo, stas Aquiline Leo.
Nimirum Herculeo præcordia robore firmas,
Nimirum fibris viuum adamanta foues.
Vnica Relligio virtutem in dura ministrat,
Hoc fulcimentum sors inimica dedit.
Hæc mihi Relligio est elucubrata libellis,
Hæc nocturna mihi & cura diurna fuit.

His

His ego ſollicitus niuei candentia cleri
Agmina præceptis erudiſſe ſacris.
Quem Diuum aut Heroa legam? qua numinis vmbra
Pacatus videat Martia ſecla liber?
Te venerabundus, te poplite cernuus vnum,
Si fas eſt timida deligo voce cliens.
Illa ſerenatis longe formoſior aſtris
Tantiſper facies lumina clara vibret;
Diffugiant curæq; catenatiq; labores
(Sol velut in nubi purpurat axe diem)
Accipe me, tenerumq; ſinu complectere fœtum
Ara anathematibus Diua reperta meis.
Sublimes tecum patiare inſcendere currus,
Excipiant gremio ſcrinia eburna ſuo.
Nec dentes ego mome tuos, nec Zoile linguam
Non Hipponactis liuida tela morer.
Maieſtate Leo Auguſta tutabitur; auſim
Tutus obire ſolum, tutus obire ſalum
Magnæ Aquilæ Leopolde ales Hæres, Auguſta propago;
Per te fata meus neſciat atra liber.

ΕΙΣ ΒΙΒΛΟΝ ΤΟΥ

ΣΕΒΑΣΜΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΓΙΣΒΕΡΤΟΥ

Σκευιγκαβίκ.

ᾠδὴ

Βίκ ϗ ἐθῶν ϗ ϛ καλήκονϑ ἰῶν Κληρικῶν.

Ὡς θεὸς ἀθανάτοις, βασιλεὺς μερόπεσσιν ἀνάσσϛ,
Τῶγε κλέοϑ Διὰ γῆν φαίνεπϛ ἀκροτάτην·
Ὅπι ῥα πορφυρέοισι δέμας χλαίνῃσι κέκασϛ
Καὶ σέφοϑ ἀμφὶ κάρῃ χρυσεοτεύκτην ἔχϛ,
Τῇδ' ἄρα δεξιτερῇ βασιλήιον ἵφι νάσσϛ
Σκῆπτρον, μιν δὲ πεῖ πυκνὸς ὁμιλοϑ ἀεί.
Αὐτάρ ἐμοὶ δοκέειν, πεσέχει βασιληὶδοϑ ἕδρης,
Τόνγ' ἱερεῦσιν ἑοῖς χερσὸς ἔγειρε, θρόνοϑ·
Ὅσσον ὑπερπετέων ἄστρων Διὰ νύκτα φανέντων
Τηλαυγὲς φλογερῇ ἠελίοιο δίφροϑ.
Κἄν γὰρ μὴ χρυσέοις μαρμαίρει ἐν εἵμασι ΜΥΣΤΗΣ,
Οὔτε κάρῃ σεφάνας, σκῆπτρά τε χερσὶ νέμϛ·
Ἀξίοτης μὲν ὅμως ζαθέῃ πολὺ κάλλιον αὐτὴν
Ἱροσύνης κοσμϛ, ἢ σέφοϑ, ἢὲ θρόνοϑ·
Ἀλλὰ δ' ἀρ' ἀπίσσων, σεφανηδὸν εὔπλεϰοϑ ἑσμὸς
Ἀιθερίης σεληῆς μυσιπολοῦνϛα κύκλοι,
Ὁππόϑ' ἁγναμπάλας τελετὰς πεδὰ βωμὸν ἄγϛανλον
Ἔρδοι ἀν' ἀμβρόσιον σῶμα θεοῖο λαβών.

)(?)(Οια

Οἱα μελισσάων ἀεὶ λείρια καλὰ βρομήσῶν
ἐθνεα συμπέλαται ἡγεμόνεσσιν ἑοῖς.
Τὔνεκ' ὑποκλίνεσθε μέγα φρονέοντες ἄνακτες,
Μυσιπόλων δυνάμει σκῆπτρα, κάρηα, σεφάνας,
Ὑμεῖς δ' ὦ τλαμίαι ψηχῶν, μεγακυδέες ἄνδρες,
Ἰσοι μὲν Μακαρῶσι, ἀγχίθρονοι δὲ Θεῶν
Κῦδος ἀρ' ὑμέτερον γινώσκετε τῆσδε βίβλοιο,
Ἣν ἱερὸς ἱεροῖς ἐξεπόνησε σοφός.

Argumen-

Argumentum Libri I.

1. TRiplex Clericis præstitutus finis, Dei honos, propria perfectio & proximi ædificatio, cap. 1. 2. 3. 13.
2. Hunc tripartitum finem vt assequerentur Apostolicam olim duxêre vitam, à qua paulatim desciscentes à sanctis ac doctis viris reformati sunt, cap. 4. ad 24.
3. Quanta religione Clericis inchoandus dies, mens conformanda, ad templum adeundum & in eo versandum cap. 24. ad 50.
4. Insigni attentione & deuotione diuinum & Ecclesiasticum illis officium persoluendum siue cantu siue lectione cap. 50. ad 98.
5. Vt sacris interesse, operari, participare debeant cap. 98. ad 123.
6. Vt Deo rectius vacent, sæcularibus se occupationibus expediant, ac totos se pietate tradant, cap. 123. usq; ad Calcem libri.

Quæ omnia ex capitum assignatione exactius cognoscentur.

Elenchus Capitum libri primi.

1. QVis viro in Ecclesiasticis functionibus constituto vitæ actionum q; præfixus sit scopus, qui & cunctis rebus propositus.
2. In vnius Dei honorem & gloriam homini sacris Ecclesiæ ministeriis addicto collimandum tanquam finem ac scopum.
3. Proximus & secundarius Ecclesiastico propositus finis integritas vitæ ac perfectio propria.
4. Quænam sit Clerici perfectio ex nomine ac primæuo instituto.
5. Saluator omnibus virtutis numeris absolutissimũ vitæ exemplar.
6. Apostoli in Euangelicis consiliis sectandis Liberatoris nostri imitatores.
7. Primi Christi fideles Euangelicorum Consiliorum sectatores.
8. Canonici antiqui Apostolicæ vitæ sectatores.
9. Eximius quondam Clericis honos delatus.
10. Quibus de causis Ecclesiastici ex sanctioris vitæ orbita sensim recesserint.
11. Laxata Ecclesiastica disciplina doctissimorum ac sanctissimo-

rum Patrum præsertim D. Augustini vigilantia & ope rursum astricta.

12. *Clerici in peius recidunt.*
13. *Postremus Ecclesiastico quoq; viro propositus est finis, ædificatio instructioque populi, atque ad virtutis æmulationem prouocatio.*
14. *Seruatoris mandato aliorum ædificationi studendum & vacandum Clericis.*
15. *Probitatis exempla ab Ecclesiasticis valdè postulat Apostolus.*
16. *Sicut Clericorum virtus Deo honori est & ipsismet aliisque saluti: ita & illorum peruersitas Deo ignominiosa & tam ipsis quam aliis pestifera, & exitiosa.*
17. *Aduersus eos, qui alios prauo exemplo corrumpunt, grauis ac iusta D. Bernardi insectatio.*
18. *Sanctorum cultus, imploratio, & æmulatio cedit Deo ad gloriam atq; ad hominum vergit tenditq; salutem.*
19. *Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum summa ab Ecclesiasticis veneratione atq; obseruantia prosequendum.*
20. *Ad exemplum Christi Domini vita Clericorum efformanda.*
21. *Beatissima Dei genitrix Clericis singulari cultu & honore prosequenda, morumque ac virtutum imitatione quantum fieri potest, exprimenda.*
22. *Dei genitrix sibi deuotorum Clientum adiutrix.*
23. *De Diuorum tutelarium atque custodum Angelorum veneratione atque obsequio.*
24. *Sanctis cogitationibus, desideriisque ac precibus diei à Deo sumenda initia.*
25. *Matutina salutarium rerum contemplatio Clericis longe vtilissima.*
26. *Aditus in templum atque introitus Clericis valde sit religiosus.*
27. *Religione insigni ac reuerentia in templo ob diuini numinis inibi præsentiam Ecclesiasticis versandum.*
28. *Similem religionem ac reuerentiam ab Ecclesiasticis postulat Christus Dominus in S S. Eucharistia existens.*
29. *Religiosa modestia adhibenda ob Angelorum in templo præsentiam.*

30. *Beati spiritus sacratas tuentur aras.*
31. *Reliquiæ sacræ venerationem reuerentiamque afferre debent Ecclesiasticis.*
32. *Sancti suis præsentiam conditoriis exhibent.*
33. *Sanctorum ad sepulchra edita miracula ipsorum ibidem præsentiæ testimonia.*
34. *Quo modo suis sacris exuuiis præsto adsint Sancti.*
35. *Non impune fert, quisquis debitum Sanctorum reliquiis honorem non habet.*
36. *Piæ statuæ ac picturæ religionem Clericis excitent ob multiplicem vtilitatem.*
37. *Quo honore & veneratione sacræ statuæ & Imagines sint afficiendæ.*
38. *Vsus sanctarum imaginum & cultus Deo acceptus.*
39. *Templi sanctitas animos ad studium pietatis accendat.*
40. *Satius & religiosius in æde sacra, quam profana domo cultus diuinus peragitur.*
41. *Exemplo Saluatoris, Apostolorum & primorum Christianorum rectius in æde sacra quam prophana diuinum Numen veneramur.*
42. *Eximia & singularis Regis vatis pietas erga sacram Dei ædem.*
43. *Omnis è templo eliminetur immodestia, omnis in eo regnet modestia & religio.*
44. *S. Patres reprehensores eorum, qui templi sanctitatem & honorem negligunt.*
45. *In templo quidem potissimum, sed & vbique & quouis loco reuerendus & colendus, & implorandus Deus.*
46. *Templa magnifice & splendide exornanda.*
47. *Deus sacræ ædis ornatum præscripsit.*
48. *Saluator ornatum templi comprobat.*
49. *Sacerdotes & Clericos maxime decet templorum exornatio.*

De horis Canonicis.

50. *Ecclesiasticum horarum pensum quotidie necessario absoluendum.*

51. *Diuinum officium septem distinctis constat horis, & quænam illæ.*
52. *Matutinarum precum & laudum rationes producuntur.*
53. *Cur Clericis ad matutinas properandum.*
54. *De reliquis horis canonicis, primæ, tertia, sexta, nona, vesperis, completorio.*
55. *Officium diuinum vnde desumptum.*
56. *Ista Canonicarum horarum vicissitudine redemptoris nostri mysteria repræsentantur.*
57. *Quis modus Canonicas legendi preces.*
58. *Canonicæ preces magna vigilantia & religione persoluendæ.*
59. *De animi attentione in precibus canonicis à qua abducit dæmon.*
60. *Vigilantiam, attentionem, & precationis pietatem interturbare nititur sathanas.*
61. *Naturæ nostræ imbecillitate ad mentis euagationem abutitur dæmon.*
62. *Primaaffertur causa, cur precantem Diabolus ab attentione distrahat.*
63. *In diuinæ excellentiæ despicatum homines ab orationis attentione abstrahit dæmon.*
64. *Humanæ salutis inuidentia dæmon precantes ab attentione abducit.*
65. *Ne ingentia mortales à Deo impetrent beneficia tartarei spiritus orationem impediunt.*
66. *Quæ Canonicis precibus adhibenda attentio.*
67. *Diuinæ excellentiæ præsentis quam alloquimur contemplatio attentionem conciliat.*
68. *Quo nos modo Deum præsentem effingere possimus.*
69. *Diuinæ præstantiæ cogitatio, fons amoris, amor scaturigo deuotionis & attentionis.*
70. *Exempla alte DEVM contemplantium & ardenter precantium.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ecclesiastico cantu.

71. HAeretici cantum damnant & vsurpant.
72. Plumbea Sectariorum tela veritatis igne liquescunt.
73. Prouidendum ne mentis Vitio cantis deprauetur.
74. A sanctis patribus mutuata argumenta soluuntur.
75. Ecclesiæ Cantus diuina auctoritate comprobatur.
76. Beatæ mentes diuinarum laudum Cantatrices.
77. Beati homines diuinas cantitant laudes.
78. Primi Christiani sacros identidem hymnos Deo cecinerunt.
79. Piæ Eremitarum Cantiones.
80. Sacris psalmis Christianorum ornatur sepultura.
81. Et verbis & argumentis sacrarum cantionum prædicator D. Mediolanensium Antistes Ecclesiæ doctor Ambrosius.
82. Vnde oppositis choris psallendi ratio.
83. Catholicus Cantus fidei Catholicæ confessio.
84. Cantu & corpus & animus laudat Deum.
85. Sacer Cantus prauos corrigit mores.
86. Cantus animi perturbationes sedat.
87. Diuinus Cantus orci extricat laqueos.
88. Ad fidem ac religionem vel capessendam vel amplificandam instigat sacer cantus.
89. Pius Cantus tristitiam mitigat, relaxat, tollit.
90. Pia Cantatio in probitatem inflammat.
91. Deo laudes Cantans Angelorum imitator.
92. Voce pariter & mente, Deo cantandum.
93. Ecclesiastici officij diuinitas.
94. Quorum in Ecclesiastico officio partes obtineant Clerici.
95. Diuini officij rite persoluti vtilitates.
96. Canonicas horas pie sanctèq; absoluendi vsus.
97. Quæ in diuini officij recitatione obseruantia.

De diuinissimo Missæ sacrificio.

98. DE sanctissimi istius sacrificij instituendi causis & vtilitatibus, ob quas meritissimo singulos in dies Clerici maxi-

maximo suo spiritali emolumento sacrum audiunt.

99. *Missæ sacrificio latriæ honor Deo tribuitur.*
100. *Missæ sacrificio meritæ Deo exoluuntur gratiarum actiones.*
101. *Missæ sacrificio reconciliatur & placatur Deus.*
102. *Missæ sacrificio & mala auertuntur, & bona impetrantur.*
103. *Maxima sacro missæ officio religione adesse decet & oportet.*
104. *Frequens Communio vtilissima.*
105. *Communionis procrastinatæ quæ causse.*
106. *De Communione Spirituali.*
107. *Quam pernicioſum sit sacerdoti non sacrificare.*
108. *Inuitamenta ad sacrificium sæpe Deo offerendum.*
109. *Exempla creberrime sacrificantium.*
110. *Quotidie celebrantium exempla.*
111. *Pura mente & conscientia ad diuinissimam Eucharistiam accedendum.*
112. *Quæ potissimum Communicaturo vitanda.*
113. *Cælestis contra nefarios sacrificos vltio.*
114. *Quibus modis & religionis actibus Eucharistia sit percipienda.*
115. *Rem diuinam faciendi praxis & Vsus.*
116. *Ante sacrificij inchoationem quid præstandum.*
117. *In ipso sacrificio ut se habere debeat Sacerdos.*
118. *Quid sacrificio finito agendum.*
119. *Solenni ritu ministrantes criminis expertes sint.*
120. *Mortifero scelere alligati, & vel sacramenta ministraturi, vel concionem habituri, vel canonicum pensum absoluturi contritionem excitare conentur, si confessionis non detur copia.*
121. *Clericis sæpè exomologesis facienda, & quæ crebræ confessionis vtilitas.*
122. *Confessariorum ut pharmacorum habendus delectus.*
De pia Ecclesiasticorum exercitatione.
123. *Negotia sæcularia, quantum fieri potest, non tractanda Ecclesiastico.*
124. *Superuacaneum tempus lectioni spiritali Clericis tribuendum.*
125. *Quinam libri potissimum Clericis euoluendi.*
126. *Concio attentis auribus & mentibus excipienda.*

127. Eccle-

127. *Ecclesiæ ceremoniæ rite decenterq; seruandæ.*
128. *Sacri dies præcipua religione traducendi.*
129. *Ante somnum discutienda conscientia.*
130. *Discutiendæ conscientiæ vtilitates.*
131. *Examinandæ conscientiæ modus & ratio.*
132. *De orationis cubiculo & consecrata aqua.*
133. *Christus Dominus & Apostoli discupiunt, vt Ecclesiastici toto in religionem pectore incumbant.*

Synopsis libri 2.

1. *Maximam à vitijs continentiam, virtutisq; perfectionem & excellentiam à Clericis requirit Apostolus capit. 1. ad. 6.*
2. *Eam vero sanctitatem postulat S. Paulus ob Ecclesiastici status dignitatem cap. 6. ad 20.*
3. *Vt illam sanctitudinem & Ordinis sui honorem tueantur à quibus ipsos vitijs temperare velit Apostolus cap. 20. ad 78.*
4. *Ecclesiæ antistitibus vigilandum & nitendum, vt Clericos à peccatis cohibeant & inquinatos emendent cap. 78. ad Libri finem.*

Verum ista ex subiunctis capitibus dilucidius constabunt.

Cap. 1. S. Paulus vno eodemque Episcopi vocabulo sacerdotem vtrumque, maiorem ac minorem, Antistitem videlicet atque presbyterum complectens eadem probitatis & sanctimoniæ documenta tradit ambobus.

2. *Presbyteri quoque nomine Episcopum designat Apostolus, ideoque quod præcipit illi, huic se quoque mandare significat.*
3. *Episcopalis honor presbyteri gradum dignitate præcedit.*
4. *Recte viuendi mandata & instituta Episcopis atque presbyteris ab Apostolo tradita, diaconis quoque cæterisque ordinis inferioris Clericis sunt ab eo imposita.*
5. *Ecclesiasticæ vitæ statusque Clericalis ex Apostolo compendium & synopsis.*

Ecclesiastica dignitas eximiam requirit probitatem.

6. Cur ab Ecclesiasticæ vitæ professoribus absolutam adeo virtutis rationem deposcat Apostolus.
7. Clerici sunt præcipui diuinæ maiestatis administri.
8. Clerici sunt possessio Dei, & Deus illorum possessio.
9. Clerici discipulorum Christi successores, & S. Ecclesiæ conseruatores.
10. Ecclesiastici sunt aliorum Iudices.
11. Regiam maiestatem antecellit Sacerdotium.
12. Sacerdotes sunt spiritales parentes.
13. Clerici sunt nostri intercessores, patroni, & aduocati.
14. Clerici sunt quidam terrestres Angeli.
15. Clerici suo modo Christi Domini progenitores.
16. Sacerdotum cum deipara Virgine conuenientia.
17. Sacerdotes quadam ratione quasi Christo æquales.
18. Sacerdotes quidam Dii.
19. Quidam sacerdotii dignitate præstricti illud refugientes latibula vel alia effugia quæsiuere.
20, Præcipuo honore & auxilio digni Clerici.
A grauioribus semper, à minutis, quantum fieri potest, peccatis Clericis abstinendum.
20. Hominem Ecclesiasticum publico vulgoque noto vacare oportet crimine.
21. Clam etiam atque occulte à sceleribus omnino abstineat clericus.
22. Non mortifera modo, sed minutiora etiam, quantum fieri potest, Clericis deuitanda sunt peccata.
23. A viris Ecclesiasticis procul absit superbia mentisq; elatio.
24. Ab omni superbiæ modo ac specie Clericorum vita moresque abhorreant.
25. Ab Ecclesiastico muneri dicatis longe exulet ambitio.
26. Rationes quibus adducti ambitionis vitium declinent Ecclesiastici.
27. Ambitio peculiari quodam modo insidiatur Clericis.
28. Auaritia summopere Clerico detestanda.

29. Calli-

29. Callida Ecclesiasticorum insectatrix est auaritia.
30. Simonia Clericis penitus est detestanda. Quibus mercatura & negotiationis exercitium interdictum.
31. Vsura, infelix auaritiæ soboles atq; propago, cum aliis omnibus tum vel maxime Clericis grauissime prohibetur.
32. Beneficia sine graui causa beneficiis aggregare non caret auaritiæ nota nec salutis periculo.
33. Auaritiæ indicium est diuitiarum coaceruatio non vt egentibus subuenias, sub vt cognatos & amicos dites ac locupletes.
34. Rationes quæ ab auaritiæ auocent Idololatria.
35. Apostolus impurum abhorret, & castum pudicumque requirit Clericum.
36. Eandem turpitudinem detestatur ac Castitatem & pudicitiam ab Ecclesiasticis postulat Christus Dominus, nec non alii.
37. Multi fœdissimæ Luxuriæ scabie infecti Clerici.
38. Superiorum contra Luxuriam rationes, compendium, & additamentum.
39. Seuera Ecclesiasticæ libidinis vltrix Dei iustitia.
40. Luxuriosus Sacerdos & impius à dæmonibus ad inferos raptus.
41. Commemorantur plura Luxuriæ detrimenta.
42. Feruidus & concitatus ad iram vitæ Clericali ineptus.
43. Iræ commotiuncula quamprimum Ecclesiasticis in ipsa stirpe elidenda.
44. Cur velis remisque fugienda Clericis iracundia.
45. Prudens quandoq; Zelus adhibendus.
46. Ecclesiasticus non sit contentiosus & litigator.
47. Quanto Ecclesiasticis familiarior litigatio, tanto cautius declinanda.
48. Quæ merito à contentione auocare debeant.
49. E priuatis etiam laribus altercatio eliminetur.
50. Dissensionis scintilla enascens mox extinguatur.
51. Ecclesiasticus non sit procax, vel maledicus.
52. In numero Ecclesiasticorum nemo sit Conuiciator.
53. Dei execratio atque blasphemia summopere Clerico vitanda.

54. Aiu-

54. *A iuramentis abſtinendum Clericis.*
55. *A verberibus aliorumque pulſatione temperet Eccleſiaſticus.*
56. *Cibi & maxime potus immoderatio Clericis euitanda.*
57. *Rationes Apoſtoli, cur Eccleſiaſticis abhorrendum ab intemperantia.*
58. *Alios vrgere poculis indigniſsimum Eccleſiaſticis.*
59. *Deuitanda eorum, qui ad pocula ſolicitant, viro Eccleſiaſtico menſa.*
60. *Magis obediendum Deo temperantiam præcipienti, quam hominibus, qui vrgent immoderationem.*
61. *Liuor Eccleſiaſticorum corruptor.*
62. *Cur merito ab Inuidia Clericus abhorreat.*
63. *Deteſtanda in diuino cultu ſegnities.*
64. *Acedia ſæpe etiam Clericos invadit.*
65. *Qua ratione in diuino cultu excutiendus torpor.*
66. *Salutarium ſtatuique ſuo neceſſariarum rerum inſcitia non laboret Clericus.*
67. *Eccleſiaſticorum ignorantia Deo diſplicet & ab eo punitur.*
68. *Clericus non ſit ſimulator & fallax.*
69. *Calliditas & verſutia Deo odioſa.*
70. *Simulatio proximis valde noxia.*
71. *Simulatio exitialis eſt ſimulatori.*
72. *Falſitas & orationis Vanitas Clericis deuitanda.*
73. *Nullum omnino mendacium culpa vacat, nec apud Deum poteſt excuſari.*
74. *Mendacii detrimenta.*
75. *De adulatione, ſimulatione ac mendacio cognato.*
76. *Prouida caueant Eccleſiaſtici cura, ne in aliorum veniant contemptum.*
77. *Gloriæ Dei & humanæ ſaluti plurimum officit Eccleſiaſticorum improbitas.*
78. *Eccleſiarum Antiſtites ſiue Prælati ſuos emendare clericos ne intermittant.*
79. *Inſigni vigilantia & ſtudio in ſuorum incumbant ſalutem Eccleſiæ Præpoſiti.*

80. *Ra-*

80 *Ratio Ecclesiasticæ disciplinæ conseruandæ.*

Libri 3. summa & complexio.

1. QVibus quantisque virtutibus ornati esse debeant Ecclesiastici cap. 1. ad 91.
2. *Quæ munia Confessarii & concionatoris cap. 91. ad 105.*
3. *Diligentissimam suæ æstimationis & famæ curam habeant Clerici cap. 106. ad libri vsque finem.*

Cuncta illa sequentia docebunt capita.

Cap. 1. Absolutam perfectionem virtutis in Clerico desiderat Apostolus.

2. *Omnibus completam numeris perfectionem ab Ecclesiasticis hominibus requirit Seruator.*
3. *Ex veteris tabernaculi siue templi ministrorum sanctitudine colligitur, quanta sit opus sanctitate ministris Ecclesiæ.*
4. *Ecclesiæ Antistites alios virtute antecellant oportet.*
5. *Modestia siue submissio maximum Ecclesiastici viri ornamentum.*
6. *Seruator noster eximius humilitatis Doctor & exemplar absolutissimum.*
7. *Animi demissio summopere Clericis necessaria.*
8. *Fructuum humilitatis atque emolumentorum compendium.*
9. *Indignitatis propriæ atque Excellentiæ diuinæ contemplatio humilitatis genitrix.*
10. *Largus & erga indigentes beneficus sit vir Ecclesiasticus.*
11. *Liberalitatis natura vt insigni animi alacritate largiatur.*
12. *Duo liberalitatis genera.*
13. *Erga quos liberalitas exercenda.*
14. *In pauperes curiosè non inquirendum.*
15. *De proprietatibus largitatis & effectionibus.*
16. *Liberalitas sanctissimæ Trinitatis in nos munificentissimæ imitatrix.*
17. *Thesaurus Ecclesiæ in calamitosos dispertiendus.*
18. *Considerata diuitiarum inanitas liberalem reddit Ecclesiasticum.*

19. Diui-

19. *Diuitiæ, luxus, ægritudinis, ac æternæ damnationis occasio.*
20. *Ecclesiastici non sua, sed Christi Domini, cuius dispensatores sunt, bona largiuntur.*
21. *Vir Ecclesiasticus Deo, à quo hunc in finem accepit, sua, idem, Dei bona suo temporali, spiritali, & cælesti commodo & emolumento egenis largitur.*
22. *Ecclesiasticorum in egenos liberalissimorum exempla.*
23. *Corporis mentisq; puritatem ab Ecclesiasticæ vitæ professoribus exigit Apostolus.*
24. *Sua & in naturæ & in legis statu Dei ministris castimonia non defuit.*
25. *Ecclesiasticis functionibus obest coniugium.*
26. *Clericus in maioribus ordinibus constitutus & Castitatem vouit, & eam violans duplex mortiferum committit flagitium.*
27. *Occasio segesque lætitiæ à matrimonii difficultatibus liberum esse, & Castitatis dignitate, deliciis ac dulcissimis fructibus delectari.*
28. *Insigne Castitatis in cælis præmium probatur ex Isaia vatum flore, ex ipso saluatore nostro & sancto Ioanne Apostolo.*
29. *Christus Dominus absolutissimum puritatis exemplar, & qui ipsius imitatores.*
30. *Quibus auxiliis defendatur Castitas.*
31. *Paulus mansuetum postulat Ecclesiasticum.*
32. *Mansuetudo summopere Ecclesiastico necessaria.*
33. *Sectanda Clericis patientia, utpote quæ illis maximopere necessaria.*
34. *Apostolus requirit Ecclesiasticum valde in cibo potuq; moderatum.*
35. *Temperantes sint Clerici, quia dicati Deo ministri.*
36. *De Ecclesiasticorum in conuiuiis frugalitate.*
37. *Ecclesiasticæ temperantiæ exempla proferuntur.*
38. *Peruersus edendi ac bibendi appetitus cohibendus.*
39. *Cur Ecclesiæ ieiunia Clericis studiose seruanda.*
40. *Varios ex Ieiunio fructus capiunt Ecclesiastici.*
41. *Ieiunanti ab alimentis & à peccatis temperandum, & aliis vacandum piis operibus ac virtutibus.*

42. Cari-

42. Caritas & à Christo Domino & ab Apostolo Ecclesiasticis valde commendata.
43. Cur tantopere Caritatem à Clericis requirant Christus & Apostolus.
44. Ecclesiasticæ dilectionis exempla à Christo Domino, Petro & Paulo Apostolis data.
45. S. Ioannes Euangelista præcipuus Caritatis Doctor.
46. SS. Iacobi Apostoli ac Stephani Protomartyris Caritas.
47. De diuini honoris, & humanæ salutis studio.
48. Quæ Zeli animarum incentiua.
49. Gentilium Sacerdotum & nostrorum in Euangelica lege eruditio.
50. Quis modus diuinam comparandi scientiam.
51. Dr Confessarii scientia.
52. Confessiones excipiendi ratio & Vsus.
53. Concionandi munus perdifficile, eximiam sapientiam & virtutem postulat.
54. Qua Concionatori opus scientia.
55. Concionatores non suam sed Dei gloriam Auditorumq; spectent vtilitatem.
56. Concionator potius exemplo doceat quam verbo.
57. Idoneus docendi munus ne refugiat.
58. Concionator ad Auditorum captum se accommodet.
59. Superbia Concionatori vitanda.
60. Precibus & Concionatori & auditoribus conciliandus est Deus ut rite munus suum expleat.
61. Praxis habendi concionem.
62. Sicut medicus diuersis ægrotis diuersa adhibet medicamenta, ita & faciendum animarum medicis, Antistitibus, Confessariis, Concionatoribus ac pastoribus, de quibus multa hactenus fuit nobis dissertatio.
63. Ecclesiasticus suæ sit famæ curator.
64. Modestia famæ Conseruatrix.
65. Vt in externis actionibus moderandis se habeat modestia.
66. Morum corporisq; motuum rectrix modestia.
67. Mores actusq; externi moderati & bonam famam conciliant, & conseruant & augent.

68. De

68. *De Vestitus modestia.*
69. *In muliebrem Clericorum ornatum inuectiua.*
70. *Quis probandus vestitus.*
71. *Peculiaris vestitus peculiarem vitæ statum, conditionem, ac institutum subindicat.*
72. *De modestia & honestate familiæ curanda ei, qui illibatam conseruare famam velit.*
73. *Clerici ut honestam tueantur famam inhonestos deuitent socios necesse est.*
74. *Nihil admirabilitatis vel nouitatis habet, quod optimis sæpe viris præsertim Ecclesiasticis ac Religiosis, sicut figuli figulis obtrectent improbi, & quod aduersus hos solatium.*

CAP.

CAPVT I.

QVIS ECCLESIASTICO viro constitutus finis, hominibus etiam vniuersis, ac rebus conditis.

DE FINE INITIO AGENDUM: quia ad eum totius vitæ curriculum dirigendum. Triplex vero Ecclesiastico viro propositus est finis, DEI honor, propria ac proximi virtus & salus. Finis præcipuus non solum angelorum & hominum, sed etiam rerum consilii vel sensus expertium est vnius DEI Opt. Max honor & gloria. Quem finem & ipse Deus in huius Vniuersitatis molitione ac fabricatione spectauit: nam vt ait Salomon *Prouerb. 16. v. 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*, id est, non solum Deus sua incitatus bonitate, sed etiam ad suam gloriam tanquam vltimum finem cuncta procreauit, adeo quidem, vt improbissimus etiam quisque, dum iniquis operibus DEI gloriam obscurare nititur, eam velit nolit iustis suppliciis illustrare cogatur, quemadmodum ad rebellem Pharaonem Ægypti regem ait *Exod. 9. v. 16. Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Quasi dicat

Cunctarū finis rerum Dei gloria.

Impius dū vult Dei impedire gloriam, promouet.

dicat Deus : Te ô Pharao creaui quidem & regem constitui, sustinui, vt vertit Chaldæus & conseruaui, vt habent 70. vt mihi morem gereres, benè beateque viueres, sed quia præuidi, quod contumaciter & prę-fractè monitis præceptisq; meis, plagis etiam atq; miraculis repugnaturus esses, tuam malitiam ad meam ordinaui gloriam, permisiq;, vt in populum meum tyrannus insurgeres, & ego vicissim in te quasi hostem tot potentissimis plagis & pœnis insurgerem, tandemque te cum tuis mergerem in mari rubro, vt sic omnes meam iustitiam cognoscerent ac potentiam timerent etiam, & venerarentur.

Omni in re Deo gloria tribuenda.

§. Eo nomine quod nimirum omnia ad suum honorem condiderit Deus, & illi omnem transcribendam gloriam docet Apost. *Rom. 11. v. 36. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula Amen.* Quia, inquit, ex ipso Deo, vt causa effectrice, per ipsum, vt causam rectricem, & in ipso, vt causa conseruatrice cuncta subsistunt : idcirco meritissimo illi omnis tribuenda gloria. Et iterum *Rom. 16. v. 25. & 27. Et qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo per Iesum Christum honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Et 1. *Tim. 1. v. 17. Regi autem sæculorum, immortali & inuisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Soli Deo honor diuinus, scil. honor & cultus latriæ, quo vt Deus colitur & honoratur. Quapropter & præcipit Apost. nihil faciendum penitus, quod non in Dei obsequium & laudem referatur. *Rom. 15. v. 6. Vnanimes, vno ore, honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* & 1. *Cor. 10. v. 31. Siue māducatis,* ait, *siue bibitis, siue aliud quid facitis: oīa in gloriā Dei facite.* Et *ad Coll. 3. v. 17. Omne quodcūq; facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi* (supple facite) *gratias agētes Deo & Patri per ipsum.*

A Dei spectata gloria humanarum actionum bonitas, meritū, salus.

§. Animaduertimus hîc quantopere instet & vrgeat Apost. vt in omnibus prorsus nostris institutis, operib.

perib. & negotijs Dei gloriam intueamur, quæramus, promoueamus: quia nimirũ finis est, à quo actiones nostræ suam bonitatem mutuantur; cuius n. rei finis bonus est, & ipsa bona est, & cuius finis malus, mala. Quod & minimè ignobilis intellexit Philosoph. *Seneca ep. 95.* cum ait: *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Amico ægro assidet quis, probamus: at si hæreditatis causa hoc facit, vultur est, cadauer expectat. Eadem, & turpia, & honesta sunt, refert, quare aut quomodo fiant: proponamus oportet finẽ summi boni, ad quem nitamur, ad quẽ omne factum nostrum & ductum respiciat, velut nauigantibus ad aliquod Sydus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est.*

Finis diuersus facit opus & bonũ & malum.

§. Et sanè si opera nobis salutifera & meritoria esse velimus, in Deũ eiusq; gloriam referenda sunt. Quod tribus fieri modis potest, vel ex natura operis, vel virtute, vel ipso actu. Ex natura operis, quia omnia bona opera apta & habilia sunt ad Dei gloriam promouẽdam & augendam. Virtute; quando opera, quæ exercemus, procedunt ab illo actu, quo antea illa in Deũ & vltimum finem retulimus. Actu enim in singulis operibus inchoandis Deum eiusq; gloriam spectamus. Etsi vero nõ desint auctores, qui opinentur omne opus bonum hominis iusti & diuina charitate præditi vitam æternam promereri, verisimilior tamen & tutior est illorum doctorum sententia, ad meritũ exigi, vt bonum opus iusti, vel tunc cũ fit, actu imperetur à caritate, & in Dei obsequium cultumq; referatur, vel certè oriatur ex actu imperato à caritate, atq; in Deũ relato, quod est virtute non actu in Deum referri.

Opus in Dei gloriam nõ ordinatum vanescit.

§. Hinc Saluator docet, quod tam præsentium malorum perpessio, quam caducorum bonorum contẽptio ad sempiternam non prosint felicitatem, nisi p- pter ipsum vt vltimum finem suscipiantur. *Mat. 5. v. 11.* *Beati, inquit, estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersũ vos mẽtientes,*

propter me.&c.10.*v.*42. *Quicunq; potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*Mat.19.*v.*29.*Omnis qui reliquerit domum,*&c.*propter nomen meum, centuplum accipiet,& vitam æternam poſſidebit.*Ex quo S.Matt. c.10. loco *B.Aug l.13.conf.c.26.* docet meritum ſumi ex fine actionis : citans enim illud Apoſtoli *Phil.4.v.17. Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Didici à te Deus meus,* inquit, *inter datum & fructum diſcernere. Datum eſt res ipſa quam dat, qui impertitur hæc neceſſaria, veluti eſt cibus, nūmus, potus, veſtimentum, rectum, adiutoriū. Fructus aūt bona & recta voluntas datoris eſt. Non n.ait Magiſter bonus Mat.10. Qui ſuſceperit Prophetam, tantum: ſed addidit in nomine Prophetæ. Neq; ait tantū: qui ſuſceperit iuſtum : ſed addidit in nomine iuſti. Ita quippe ille mercedem prophetæ, iſte mercedē iuſti accipiet. Nec ſolum ait : Qui calicem aquæ frigidæ potum dederit vni ex minimis meis, ſed addidit; tātum in nomine diſcipuli,& ſic adiunxit: Amen dico vobis, non perdet mercedē ſuam. Datum eſt ſuſcipere prophetam, ſuſcipere iuſtum, porrigere calicem aquæ frigidæ diſcipulo, fructus autē in nomine Prophetæ, in nomine iuſti, in nomine diſcipuli hoc facere.* In nomine propheteę ſiue doctoris, in nomine iuſti, in nomine diſcipuli, hoc eſt, quia propheta, quia iuſtus, quia diſcipulus eſt, eos recipiens eorundem & mercedem capiet, quia propter Deū facit illiſq; cooperatur Dei Chriſtiq; miniſtris.

§. Apoſtolus itaq; 1.*Cor.*10. & *Coll.*3. ſuadet, vt omni ſtudio omnibus in rebus Dei gloriam ſpectemus & promoueamus, mandatq; ne quid diuinæ gloriæ repugnans committamus. Illud ſummopere ſalutiferum foret clericis ad ſpiritale meritū, & cœleſte præmium augendum, vt non modo mane illuceſcentis diei officia, vt horas canonicas, ſacrificium, eleemoſynas, munia publica vel priuata Deo ad ipſius gloriā offerrent, ſed idem in ſingulis actionibus propoſitum renoua-

Sua ſemper inſtituta in Deum dirigere fructuoſiſſimum.

renouarent, sic enim & indifferentia eorum opera, vt sunt bibere, commedere, ambulare, sermocinari, dormire, virtutis & meriti rationem consequerentur, & quia id non modo rudes & imperiti, vt milites, opifices, agricolæ, sed etiã viri docti, vt Jureconsulti, Medici, Theologi, Ecclesiastici prætermittunt, & solum ad finem naturalem labores etiam ingentes exantlant, v.g. vt se suosque enutriant, omni se merito priuant, similes illis qui aërem verberant, hic enim cum ictum non admittat, frustrà se defatigant.

CAPVT II.

DEI HONOS ET GLORIA TANQVAM finis viro Ecclesiastico potißimum proposita & commendata.

§. OMnibus quidem & singulis hominib. diuini honoris scopus, in quem suas dirigant actiones, præfixus, sed maximè clericis, vt quorum vita diuinis laudibus mancipata & dedicata est. Quocirca Regius vates Sacerdotes & Leuitas exhortatur, vt sedulò diuino cultui insistant, & non tantum interdiu, sed etiam noctu supremum Numen collaudent: *Ecce*, inquit, *Psal.* 131. *Nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum* Et rursus: *Psal.* 134. *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum, Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, Laudate Dominum: quia bonus Dominus, psallite nomini eius, quoniam suaue.* *Præcæteris diuinus honos, præfixus, sed maximè clericis, vt quorum vita diuinis laudibus mancipata & dedicata est. Quocirca spectandus.*

§. Quia vero S. Aug. in huius Psal. 134. commentario exponit & duplicem causam, alteram ex parte nostra, quia serui sumus, alteram ex parte Dei, quia ipse Dominus & bonus, cur laudandus sit, & discrimẽ ac periculum nostrum, si à diuinis laudibus cessaueri-mus, & vtilitatem ac præmium, si eius laudes celebra-

uerimus, & laudatorum Dei cõditionem ac proprietatẽ: quia, inquam hæc breuiter, luculentè ac piè explicat, adscribam illius hic verba: *Valdè nobis dulce esse debet, & dulce nobis esse gaudendum est, quo nos Psalmus iste cohortatur. Dicit enim (Laudate nomen Domini) Causamq; ipsam quare iustum sit, vt laudemus nomen Domini, continuo subiecit: (Laudate serui Dominũ.) Quid iustius, quid dignius, quid gratius? Etenim si non laudauerint serui Dominum: superbi, ingrati, irreligiosi erunt, & quid faciunt, non laudando Dominum, nisi vt seuerum sentiant Dominum? Neque enim seruus ingratus, si Dominũ suum laudare noluerit, ideo efficit, vt seruus non sit. Laudes, non laudes, seruus es, sed si laudes, propitiabis: si non laudes, offendis. Non laudibus nostris ille crescit, sed nos. Quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer iubet, vt laudemus eum, nõ arroganter. Et si semper tantummodo serui essetis, deberetis laudare Dominũ: quanto magis debetis laudare Dominum serui, vt esse mereamini & filii? Sed quoniam scriptum est in alio Psalmo 32. Rectos debet laudatio, & item alibi scriptum est Ecclesiast. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Itemq; alibi dicit Psal. 49. Sacrificium laudis glorificauit me, & ibi via est, in qua ostendam illi salutare Dei, & consequenter: Peccatori autem dixit Deus, vt quid tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu autem odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te: ne fortè quisquam: quoniam dictum est, Laudate serui Dominum, etiamsi in domo ista magna fuerit malus seruus, putet sibi prodesse laudem Domini, continuo, quales sint, qui laudare debeant Dominum, subijcit & docet: (Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.) Qui statis, non qui venitis. Illi autem stare dicuntur, qui in mandatis eius perseuerant, qui in fide non ficta, & spe firma, & charitate sincera seruiunt Deo, & honorant Ecclesiam eius, & non dant occasionem malè viuendi eis, qui venire volunt, & in via lapides offensionis inueniunt. Ergo qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, Laudate Dominum. Quid dicturus sum,*

Impii serui homines, qui Deum Dominum suum non laudant.

Laus Dei nobis vtilis.

Serui laudantes Deũ in filios adoptantur.

Non nisi pii ritè Deum laudant.

sum, quare laudetis? Quoniam bonus Dominus, Omnia bona ipse fecit: ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille à seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere DEO *bonum est, Psalm. 72. Qui non eguit, vnde fieret bonus, sed eguerunt illo cætera, vt fierent bona, Bonum bona faciens, sic & bonum est propriè Matth. decimonono. Nemo bonus nisi vnus* DEVS, *& Exod. 3. Ego sum, qui sum. Illi enim comparata, quæ facta sunt non sunt: quia verum esse incommutabile esse est, quod ille solus est. Est enim est, sicut bonorum bonum, bonum est. Si ergo quicquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum est: nulla tibi maior causa, & melior & firmior dari potuit, quare laudes Deũ, nisi quia bonus est.* (*Psallite nomini eius, quoniam suauis est.*) *Fortè esset bonus & suauis non esset, si tibi non daret posse gustare. Talem autem se præbuit hominibus, vt etiam panem de cœlo miserit, & filium suum æqualem, qui hoc est, quod ipse dederit hominem faciendum, & pro hominibus occidendum: vt per hoc quod tu es, gustes quod non es. Ista sapienter, piè & salutariter S. August.* præsertim pro Ecclesiasticis viris, vt nôrint qua ratione Deum suum dilaudare debeant.

Dei bonitas laudis materia.

Quomodo bonus Deus & creaturæ.

Suauitas & benignitas Dei.

§. Ad idẽ diuinæ gloriæ studium & exercitium sacros homines exhortantur, & incitant sanctiss. illi tres pueri in Babylonica fornace illæsi, apud *Dan. c. 3. v. 84. 85. Benedicite*, inquiunt, *sacerdotes Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite serui Domini Domino, laudate & superexaltate eũ in sæcula.* Quocirca clero rectissimè illud Dei elogiũ aptatur, *Isa. 43. v. 21. Populum istũ formaui mihi, laudem meã narrabit.* Nõ ergo tẽporalis lucelli spẽculâ, neq; caducorum bonorum desiderio, sed solius diuini honoris respectu suas obeant functiones, & tunc *quærentibus regnum Dei & iustitiã eius adiicietur, &c. Mat. 6. v. 33.* Et vero grauiter Deꝰ irascitur & cõminatur aliter facientib. & suum honorem ac cultũ non promouentibus, *Malac. 2. v. 1.* vbi ita *legi-*

Offensa Dei ab exercitio honoris.

legimus : *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes: si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo*, ait DOMINVS *exercituum, mittam in vos egestatem & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.* Atque vtinam tales Clerici, qui diuino honori impedimentum afferunt, sola corporali inopia & egestate premerentur, & non animo sterilescerent, & à virtutibus penitus exarescerent; vt vsus probat & experientia.

CAPVT III.

QVOD PROPRIA INTEGRITAS ET perfectio Ecclesiastico viro, vt finis secundarius, sit proposita.

§. EST & alter finis sed minus principalis, in quem assidue collimare debet clericus, nimirum sua metipsius virtus & perfectio, vt secundum mensuram gratiæ sibi diuinitus concessæ quotidianũ in sanctitate progressum faciat, vt talentum sibi creditum non in sudario reponat aut humi defodiat & audiat: *Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium*, sed siue duo, siue quinq; talenta acceperit, totidem minimùm industriâ suâ lucretur & audiat. *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui.* Matth. 25. v. 14. vsq; ad 31 Luc. 19. v. 12. Quod Euangelium exponens *S. Gregor. hom. 9. in Euang. Lectio S. Euangelii, fratres carissimi, sollicitè considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mũdo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi, grauius inde iudicemur. Cum n. augentur dona, rationes etiam crescunt donorum, Tanto ergo esse humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, Ecce homo*

homo qui peregrè proficiscitur, seruos suos vocat, eisq; ad negotium talenta partitur. Post multum vero temporis positurus cum eis rationem reuertitur: bene operantes pro apportato lucro remunerat, seruum verò à bono opere torpentem damnat.

§. Et quidem hos seruos Orig. tract. 33. in Matt. Cæsarius hom. 22. Ambr. in c. 19. Lucæ, Chrys. Hier. Beda, Euthymius, Theophyl. in commentarijs suis in Matth. Ecclesiæ Doctores & ministros interpretantur. *Talenta hic*, ait S. Chrys. hom. 79. in Matt. *pro eo, quod vnusquisq; facere potest, accipimus, siue auctoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas*, Luc. 12. v. 48. Omni autem, cui multum datum est, multum quæritur ab eo. Etsi etiam omnes exhortetur Apostolus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiant* 2. Cor. 6. v. 1. nec cum tempore sinant esse ociosam, sed bonis operibus augeant, potissimum tamen ab Ecclesiasticis id postulat 1. Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetam cum impositione manuum Presbyterii.* Monet vt ordinis sui officij, gratiæ & virtutis donatæ diligentem rationem habeat & curam: & rursum 2. Tim. 1. v. 7. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionẽ manuum mearum.* Quasi dicat Apostolus, O Timothee, consenescentem, & tempore, humana infirmitate ac mutabilitate, desidia etiam atq; inertia languescentem gratiam in ordinatione acceptam assidua oratione, meditatione, pia lectione, alacritate & vigilantia animi, virtutis studio & contentione exsuscita. *Quemadmodum ignis*, ait, hom. 1. in 2. ad Tim. S. Chrys. *indiget ligni: ita & gratia alacritate nostra opus habet vt feruere perpetuò possit: quippe hanc vel extinguere vel excitare in nobis est. Idcirco & alibi* 1. Thess. 5. 19. *ait, spiritum nolite extinguere. Is enim angore animi & negligentia extinguitur, vigilantia vero & intentione suscitatur.*

CAP. IV.

QVAE CLERICI PERFECTIO EX NOmine & primæuo instituto

Veri clerici pars Dominus, & ipse Domini pars.

§. DOcet id S.Hier.epist.2. ad Nepot.cap.5.& habetur 12.q.1.c. 4. *Clericus, inquit, qui Christi seruit Ecclesiæ interpretetur primum vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse q̃ dicitur, si enim κλῆρος græcè, sors latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, i. e. pars clericorum est. Qui a. vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet: talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit Ps.15.v.5. Pars meæ Dominus: nihil extra dominum habere potest. Quod si aliud quippiam habuerit præter Dominum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis partibus, Dominus pars eius fieri nõ dignabitur. Si a. ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius non accipio partes inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum his contentus ero & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaq; te & repetens iterum iterumq; monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, i.e. ne lucra sæculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti & dicatur tibi* (Hier.12.secund. 70.) *Cleri eorum non proderunt eis: Nonnulli n. sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares, & clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo nõ habuerũt, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundos tenuit ante mendicos.* Ergo ex S.Hier. sententia veri perfectiq; clerici sunt, qui ab Ecclesia *habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt* 1.Tim.6.ver.8.& omne tempus studiumq; suum in diuinum cultum ac proximorum salutem conferunt.

Sacerdotiũ non sit diuitiarum aucupium.

Ex codris Cræsos gemit ploratque ecclesia.

Probi clerici vna cura diuinus cultus.

§. Consentit prorsus cum B.Hier.& D.Ambr.Episcop.& ipse Ecclesiæ Doctor l. de fuga sæc. c. 2. & habetur

betur 12.q.1.c.6. *Cui Deus*, inquit, *portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod n. ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atq; huic nostro officio decerpitur. Hæc n. vera est sacerdotis fuga abdicatio domesticorum, & quædam alienatio carissimorum, vt suis se abneget, qui seruire Deo gestit. Fugitans est suorum, sacri altaris eius minister: vnde Dominus quasi princeps sacerdotum formam Leuitis in Euang. dans suo dixit Mat. 12. v 48. Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc est, non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ii sunt, qui audiunt verbum Dei & faciunt: solum ergo verbum Dei nouit minister, cum eos nouit, in quib. operatur verbum Dei.* Cum his & congruit S. Isid. Hispalens. Episc. l. 2. de eccl. off. c. 1. *Oportet*, inquit, *qui Deum hæreditate possident, absq; vllo impedimento sæculi, Deo seruire studeant & pauperes spiritu esse contendant, vt congruè illud Psalmistæ dicere possint: Dominus pars hæreditatis meæ. S. Epiph. epist. ad Ioan. Ierosolymitan. Episc.* in eo omnes monet ex nomine clericos: *oportebat nos, dilectissime, Clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, & obseruatione diligentissima hoc esse quod dicimur.*

Alienatio à sæculari cõsanguineorum familiaritate clerico facienda.

§. Ex his planum est perperam effutuisse Luth. l. de abrog. Miss. priuata p. 1. ϕ *in Christiano populo nulla sit differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus.*

§. Sed & hujus sectandæ perfectionis illos admonet vocabulum Canonici. Vox enim Græca κανὼν Latinis etiam vsurpata regulam significat, & Canonicus Regularem, vt qui ex diuinæ legis, rectæ rationis atq; Ecclesiasticæ regulæ disciplina se suamq; vitam instituit & componit, quod qui non facit, nomine tenus est Canonicus & reipsa non est. Hinc illa Sapientum dicta: *Canonicus, qui non vult regi aut dirigi, non est canonicus. Si canonici vocamur, & canonicam vitam professi sumus, Canones à Romana Ecclesia matre nostra nobis datos à quib. etiam vocabulum sumpsimus, amplecti in omnib. & imi-*

Canonici appellatio virtutis monitrix.

& imitari debemus. Ideo, inquit Iuo Carnutens. Episc. decretorum Collector epistol. 202. *Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas vos velle obseruare cæteris arctius deuouistis.*

Canonici olim Apostolor. imitatores.

§. Hi Canonici olim Apostol. duxere vitam, vnde & Apostol. ordo dictus est. Seruabant enim ꝙ primi Christiani, de quib. S. Lucas Act. 2. v. 44. & 45. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnib. prout cuiq; opus erat.* Hujus S. communitatis causam assignat S. Chrys. ho. 7. in Actus Apost. ꝙ videntes spiritalia bona omnibus communia voluerunt & temporalia communicare. Aliam affert S. Cypr. tr. de opere & eleemos. ꝙ vigebat calor fidei atq; imitatio Dei nullũ arcentis à beneficijs suis. Non dissimiliter S. Hier. ep. 8. c. 7. tribuit calenti adhuc Christi Domini cruori & feruenti recenter in credentib. fidei. Verum potissimam causam affert S. Luc. Act. 4. v. 32. & 35. *Multitudinis credentium*, ait, *erat cor vnum, & anima vna, nec quisquã eorum quæ possidebat, suum aliquid esse dicebat, sed erãt illis omnia communia. Diuidebatur a singulis, prout cuique opus erat.* Ex vnione animarum, nascitur externarũ rerum communio, dum quisq; fauet amico, sicut & sibi. *Amicus n.* vt dixit Pythag. *alter ipse, & amicitia vna anima. Quoties*, ait Arist. *Magnor. Mor. c. 2. volumus vehementer amicũ dicere. Vna*, inquimus, *anima mea, & huius.*

Tres potissimum causæ cur primis Christianis omnia fuere communia.

Canonici olim socialem & communem duxere vitã.

§. Talem quondam vitam agebant Canonici, vt planum est ex Moguntini Conc. constit. c. 9. Tom. 3. Concilior. vbi sic legimus: *In omnibus quoniam humana permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici Clerici canonicè viuant obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta SS. Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum incompositè agere præsumant. In vnoquoq; Episcopatu simul manducent & dormiant, vbi his facultas faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt. In*

suo

suo clauſtro maneant; & ſingulis dieb. manè prima hora ad lectionem veniant, & audiãt, quid eis imperetur. Ad menſam ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones Magiſtris ſuis exhibeant. Simile eſt decretum Conc. Turonenſ. c.23. *Canonici*, inquit, *& clerici ciuitatum, qui in Epiſcopiis conuerſantur conſideramus, vt in clauſtris habitantes, ſimul omnes in vno dormitorio dormiant, ſimulq; in vno refectorio reficiantur, quo facilius poſſint ad horas Can. celebrandas occurrere, & de vita & conuerſatione ſua admoneri. Victum & veſtimentum iuxta facultatem Epiſc. accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi per diuerſa vagari ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur.* Eadem habet Syn. Aquiſgr. c.117. & Leo IX. 12. q. 1. c. Neceſſ. res. *Neceſſaria*, inquit, *res exiſtit, vt iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quib. Clerici eccleſiaſticis diſciplinis vacent. Itaq; omnibus vnum ſit refectorium ac dormitorium, ſeu cæteræ officinæ ad vſus clericorum neceſſariæ. Miniſtri vero poſt Epiſcopos ſuper eos eligantur, quorum vita atq; doctrina illos potius exornet, quam dehoneſtet.* & diſtin. 32. *c. Præter hoc Alexander II.* qui anno plus minus centeſimo ſupra milleſimum vixit, mandat, *vt Subdiaconi, Diaconi Sacerdotes iuxta eccleſias (ſicut ait, oportet religioſos Clericos) ſimul, manducent & dormiant, & quicquid eis ab eccleſia competit commune habeant.*

Rationes, cur Eccleſiaſtici conuixerint.

§. Quam beati tunc temporis Canonici, q̃ felices Clerici intra Eccleſiæ ſepta habitantes, nec vllam periculoſarum diſcurſationum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum, agitandarum commeſſationum, conueniendarum mulierc-ularum, exercendarum graſſationum, libidinum, turpitudinum occaſionem habentes, ſed diuinis tantum contemplationibus, laudibus, precibus, concionib. officijs, cantibus, ſacrificijs vacantes, & tanquam angeli quidam terreſtres in paupertate, caſtitate & obedientia degentes, & ſolum Dei gloriam, & ſuam aliorumque ſalutem procurantes.

Maxima quondam felicitas canonicorum vnà viuentium.

§. Hos

Alterũ canonicorum genus sportulantes.

§. Hos tamen præter clericos fuere, q̃ non communẽ cum aliis, sed separatam agerent vitam, sub Pontificis tamen sui imperio, à quo & ecclesiæ opibus sustentabantur. Hos S. Cypr. epist. 66. Sportulantes appellat fratres à nomine sportula Suetonio & Martiali vsurpato. Sportulæ v. siue sportula dicebatur Romanis distributio pecuniaria siue obsonium q̃ pauperculis clientib. & salutatorib. dabatur à diuitib. aut populo vel principe. Est & titulus Iuris in Cod. de sportulis & sumptu in diuersis judicijs faciendis, quas sportulas valde quidam vsurpant Iureconsulti. Vtitur a. ea voce S. Cypr. pro certo vitæ stipendio q̃ singulis Clericis per menses aut dies singulos ab Episcopis distribuebatur, idq; ex quarta illa bonorum Ecclesiæ parte, quæ cleri erat: nam prima erat Episcopi, altera tẽpli, tertia pauperum, ecclesiasticorum postrema. Et quidem pro singulorum meritis certa nummorum quantitas, alijs major, vt presbyteris, alijs minor vt Diaconis tribuebatur, quemadmodum satis insinuat B. Cypr. ep. 34. sub fin. & Theophyl. in dictum Apost. 1. Tim. 5. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri dupliei honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

Ecclesiastica bona in quatuor partes tributa.

S. Aug. & eius sectatores Apostolicã amplexi paupertatem.

§. De vtroq, Clericorum ordine S. Aug. serm. 1. & 2. de communi vita cleric. qui sunt tom. 10. serm. 49. & 50. de diuersis. Et quidem serm. priore in hunc modum loquitur. *Presbyter factus sum, & per hunc gradum perueni ad episcopatum. Cœpi boni propositi fratres colligere compares meos nihil habentes, sicut nihil habebam, imitantes me: vt quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, sic facerent illi, qui mecum esse voluissent, vt de communi viueremus. Commune a. nobis esset magnum & vberrimum prædium ipse Deus. Volui habere in ista domo episcopali mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo viuimus: Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent: Nulli licet: Si qui habent, faciunt*

Proprietatem à suis exclusit B. Augustin.

faciunt quod non licet. Pergit S. Aug. & habetur 12. q. 1. c. 18. certè ego. *Certè ego,* ait, *qui statueram sicut nostis nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: vt si vellet discedere à proposito, recte illi tollerem clericatum: quia desereret sanctæ societatis promissum, cœptumq; consilium: Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium. Qui volunt aliquid habere proprium, quibus non sufficit Deus, & ecclesia sua, maneant, vbi volunt, & vbi possunt, non eis aufero clericatum.* Non dissimilia habet idem S. Aug. serm. posteriore de communi Clericor. vita. Similiter *B. Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus,* S. Augustt. perpetuus sectator l. 2. *de vita contemplativa cap.* 11. *Clerici,* inquit, *quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes accipiunt, quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit necessitas.* S. Greg. M. ad primam interrogationem Augustini Angliæ Archiepiscopi, & habetur 12. q. 2. c. 30. Mos est. *Mos,* ait, *Apostolicæ sedis est ordinatis Episcopis præceptum tradere, vt ex omni stipendio, q̃ accedit, quatuor debeant fieri portiones. Vna videlicet episcopo & familiæ propter hospitalitatem & susceptionẽ, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsim viuere non debet à clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patrib. nostris, in quib us nullus ex his, quæ possidebant, aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis oĩa cõmunia.*

Ecclesiæ prouentus in quatuor olim partes tribuit.

In Angliã communẽ auxere vitam clerici.

Quod Clerici quondam Apostolicam & perfectissimam duxerint vitam, cujus adhuc expressa extent vestigia.

CAP. V.

CHRISTVS DOMINVS PERFECTISSIMAE vitæ exemplar.

§ *Scitis gratiam D. N. Iesu Christi: quoniam cum dives esset, propter vos egenus factus est, vt vos illius inopia diuites* Christi liberatoris paupertas.

uites essetis, ait Apostol. 2. Cor. 8. v. 9. In stabulo natus, Luc. 2. v. 7. toto mortalis vitæ curriculo non habens, vbi caput reclinaret. Matt. 8. v. 20. nudus in cruce mortuus & alieno conditus sepulchro, Ioan. 19. v. 23. & 41. Sanctã in suo corpore dedicauit paupertatem. Quin & spiritu ac pia voluntate pauperes beatos prædicauit Matth. 5. v. 3. Luc. 6. v. 20. & eam vitæ formulam suis dedit sectatoribus Matth. 10. v. 10. *Nolite possidere aurum neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam, dignus est enim operarius cibo suo.* Idem Saluator & alijs se submittendi obtemperandiq; exemplar, *descendit de cœlo, non vt suam sed patris faceret voluntatem* Ioan. 6. v. 38. *& non solum Patri factus est obediens vsq; ad mortem crucis,* Philip. 2. v. 8. sed etiam matri ac nutritori suo *fuit subditus* Luc. 2. v. 51. Quin & iniquissimis magistratibus vt Pontificibus ac Pilato morem gerens obedientiam sanciuit. Ipse deniq; de Spiritu S. conceptus & ex illibata natus virgine perpetuam Agnus immaculatus seruauit virginitatem, & commendauit *Eunuchos, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum,* Matt. 19. v. 12. hoc est, qui conjugij suscipiendi facultatem sibi perpetuo voto penitus absciderunt.

Christi Domini obedientia.

Castitas saluatoris.

CAPVT VI.

APOSTOLI IN EVANGELICIS CONsiliis Seruatoris Æmuli.

§. HAnc viuendi in castitate, obedientia, ac paupertate rationem ac consilium amplexi Apostoli, Dominum Petri ore conueniebant Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quemadmodum vox (secuti) imitationem in paupertate, castitate & obedientia indicat, ita & vocabulum *omnia* nihil excipit. Non diuitias: constat enim ex Euangelio & Apostolicis Actibus; qua quantaque paupertate traduxerint:

xerint: Nec excludit vxorem, cum & id loci Matt. 19. v. 19. inter relinquenda eam recenseat Dominus dicens: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem & matrem, aut vxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Neq; sejungit ꝓpriam inde voluntatem, cum ea potissimum deserenda, abneganda & ad vnius Christi imperium componenda & moderanda sit. Sanè apostolorum Princeps suam vt paupertatem testatam faceret. Act. 3. v. 6. ait: *Argentū & aurum non est mihi.*

Apostoli voto ad perfectionem astricti.

§. Sed & voti vinculo ad illa tria perpetuo seruanda sese apostoli obligarunt, alioquin in perfectionis apicem non ascendissent, cùm multò perfectius sit & sanctius ex voto aliquid agere, quàm sine voto, cujus rei tripartitam causam affert S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 6. c. 1. 1. qa votum est actus religionis & latriæ, quę inter morales virtutes nobilissima est, ex qua cum illa ꝓficiscuntur & imperantur, vt jejunium, caducar. rerum abdicatio, castimonia, obedientia, majoris meriti sunt & præstantiora, cum ad diuinum cultum pertineant & quasi quædā Dei sint sacrificia. Neq; n. vt ait S. Aug. l. de S. virg. c. 8. *Virginitas carnis honoratur, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur.* 2. quia votum magis hominem subjicit astringitq; Deo, cum sine voto actum quidem v. g. jejunandi, continendi Deo offerat, sed cum voto simul Deo submittit conseruatq; ipsam potestatem, vt jam aliter facere non possit, sicut plus dat homini, qui arborem largitur cum fructib. quam qui tantum donat fructus. 3. quia voto immobiliter obfirmatur in bono voluntas, vt autem docet Philosoph. l. 2. Eth. c. 4. *operari ex voluntate in bono firmata ad virtutis perfectionem pertinet.* Quapropter Apostoli vouerunt, q̄ ad perfectionis statum pertinent, quando omnibus relictis Christum sunt secuti, vt ibidem

Trib. de cau sis satius est ex voto quā sine voto recte agere.

2. 2. q. 88. artic. 4. ad 3. affirmat B. Thomas, quod & ante illum docuit S. Aug. l. 17. de Ciu. Dei. c. 4. vbi de Chriſto & Apoſtolis ita loquitur: *De terra ergo ſuſcitatus eſt ſupra omnes diuites ille pauper, & de ſtercore erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: ſedebitis ſuper duodecim ſedes* Matth. 19. v. 28. *Et ſedem gloriæ hæreditatem dans eis. Dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te.* Mat. 19. v. 27. *hoc votum potentiſſimi vouerant ſed vnde hoc eis niſi ab illo, de quo hic continuò dictum eſt, Dans, inquit, votum vouenti. Non enim Domino quiſquam quicquam rectum voueret, niſi qui ab illo acciperet quod voueret.* Hactenus Theologorum anteſignanus.

CAP. VII.

IN CONSERVANDA CASTITATE, paupertate, obedientia, primi Chriſtiani Apoſtolorum imitatores.

§. APoſtoli itaque non tantum libera voluntate, ſed & voti obligatione perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ cultores fuere, eamq; religionem ſuo exemplo plurimum commendarunt poſteritati, ita vt eandem viuendi rationem primi Chriſtiani complexi fuerint Ieroſolymis, vt Actus teſtantur Apoſtolici c. 2. v. 44. 45. ſed & in Ægypto atq; alibi, vt memoriæ prodiderunt Dionyſ. de Eccl. Hierar. c. 10. Euſebius l. 2. Eccl. hiſt. c. 17. S. Hier. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Philone & in Marco. Qui q; & voto ſe ad hoc ſanctiſſimum vitæ genus obligaverint, idem B. Hier. demonſtrat epiſt. 8. & ad Demetriadem c. 7. *In Act. Apoſtolorum, inquit, quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas, & pretia eorum ad Apoſtolorum deferebant pedes, vt oſtenderent pecunias eſſe calcandas, dabaturq; ſingulis prout cuiq; opus erat: Ananias & Saphyra diſpenſato-*

res

res timidi, imo corde duplici & ideo condemnati: quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius, cui ea semel vouerant, partemq; iam sibi alienæ substantiæ reseruarunt, metuentes famem, quam vera fides non timet, præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correptionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam eis imprecatur mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium Prophetico spiritu annunciat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum Act. 5. v. 1. ad 12.

CAP. VIII.

CANONICI VETERES APOSTOLICÆ VITÆ Æmulatores.

§ IAm vero priscos illos clericos ac præsertim canonicos eandem viam institisse, & votis etiam Deo nuncupatis paupertatem, castitatem, & obedientiam obseruasse, partim ex ijs quę diximus planum est, partim ex ijs quæ dicemus, constabit. Docuimus id superiore c. 4. ex Conc. Moguntino, Turonensi, Aquisgr. ex Greg. M. & Alexandro II. antiquissimos Clericos & canonicos cœnobium, cœnaculum, dormitorium, officinas & alia omnia habuisse communia, quib. & adjungi potest S. Clemens Pauli discipulus & Petri Successor epist. 5. & habetur 12. q. 1. c. *Dilectissimus*, vbi Clericos alloquens, *communis*, inquit, *vita omnibus, fratres, necessaria est & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum eorumq; discipulorum imitari volunt.* Et hi clerici omnes illibatam custodiebant castimoniam, quemadmodum docet S. Hier. ep. 50. ad Pammach. *Christus*, ait, *virgo, virgo Maria vtriusq; sexus virginitatem dedicauere, Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotiũ in æternũ pudici.* Græci et Sacerd. à principio agami fuerunt. *Qui*, ait S. Cyr. Iero. Catech. 12. *apud Iesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet se à muliere.* Neq; postea matrimo-

nium contraxerunt nisi mali,& qui Canones probatamq; veteris Ecclesiæ consuetudinem rejecerunt,vt ait S.Epiphan. hæresi 69.

Votum castitatis Clericorum in maionibus ordinibus.

§. Hanc castitatem in S.ordinib. promittebant, q̃ votum adhuc vel maximè viget, & idem est planè q̃ religiosorum, ita vt matrimoniũ contrahendum illicitum reddat,& contractum irritum efficiat. S.Greg. M.l.1.ep.42.*ad Petrum subdiaconum*,& habetur d. 28.c. 2.Nullum.*Nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi: nisi qui se castum victurum promiserit: quia nullus ad ministerium altaris accedere debet,nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* Qua dist.28.plures de vota Clericorum castitate exstant Canones. *Et Bonifacius VIII.de voto c. vn. l. 6. Illud solum votum debet dici solenne quantum ad contractum post matrimonium dirimendum, q̃ solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis: aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis.*

Clericorum erga Episcopum & suos magistratus promissa obedientia.

§. Præterea obedientiam suo quisque spondebat Episcopo, cujus rei plurima supersunt vestigia & indicia,qualia sunt q̃ de B.Martino, in ejus vita scripsit Seuerus Sulpitius: nimirum quod S.Hilarius,cum eum adamasset, quo illum arctius sibi implicaret & deuinciret, hanc vnam rationem tenuerit, vt illum Ecclesiasticis ordinibus initiaret. Et quod testatur S. Greg.4.Registri,epistola 74.morem fuisse adhuc suo tempore Romæ, vt quisquis semel in ea Eceleſia sacrum ordinem accepisset, egrediendi ex ea vlterius licentiam non haberet.Et quod Concilium Moguntiacum c.9.præcipiat,vt nihil sine Episcopi vel Magistri licentia faciant, & illis obedientiam secundum Canones exhibeant. Quam obedientiam, vt libentius,promptius,& accuratius præstarent, non nisi p̃babili vita & doctrina illis præficiendos Eugenius II. 12.q.1. c. necessaria res. constituit.

§.De

§. De paupertate id multo illustrius est. Testatur S. Hieronymus & refertur 12. q. 1. c. 7. Duo. hanc esse causam, curab ipso Ecclesiæ initio clericorum capita radi cœperint, vt significaretur depositio omnium temporalium: quia victu & vestitu contenti, nihil proprium habere debent, sed omnia communia Prosper Aquitanicus excellenti doctrina & sanctitate Episcopus Regiensis l. 2. de vita contempl. c. 9. & habetur 12. q. 1. c. 13. expedit. *Expedit*, ait, *Ecclesiæ facultates possidere, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates, & ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis aut venditis fit rei suæ contemptor, cum præpositus fuerit Ecclesiæ factus, omnium, quæ habet Ecclesia, fit dispensator.* Vbi & Sanctorum Paulini & Hilarij affert exempla, qui paterna prædia diuendita pauperibus erogarunt, ijdem autem Episcopi facti facultates Ecclesiæ diligenter administrarunt: de quibus & subjungit B. Prosper. *Et idcirco scientes*: Nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum, *non eas vendicauerunt in vsus suos, vt proprias, sed vt commendatas pauperibus diuiserunt. Quod habet Ecclesia cum omnibus nihil habentibus, habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.* Et consequenti c. 12. *Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat, accipiunt.* Possidius Calamensis Episcopus in vita S. Aug. c. 5. *Factus*, inquit, *Presbyter, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum & regulam, sub sanctis Apostolis constitutam, maximè vt nemo proprium quicquam in illa societate haberet sed essent illis omnia communia.* Et cap 25. de eodem S. Aug. jam Episcopo: *Cum ipso semper Clerici, vna etiam domo ac mensa sumptibusq; communibus alebantur & vestiebantur.* Quod etiam hæc omnia voti sponsione *parunt.*

Clericorum paupertas vota.

Quæprimæ tonsuræratio.

Quid Ecclesiastica bona.

S. Aug. redigiosorum Canonicorum Antistes.

Clerici vota paupertatis, castitatis & obedientiæ nuncu-

sione stabilirentur & confirmarentur, supra quidem ostensum est, sed id etiam manifestum ex epist. Vrbani Pontificis ad omnes Episcopos, vbi post alia Clericos alloquens, vt refertur 12. quæst. 1. c. 9. Scimus. *Quicunque, aut, vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere: videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne damnationem sibi, sed præmium acquirat, quoniam melius est non vouere, quam votum, prout melius potest, non perficere.* Quod & perspicuè docet Sanctus Augustin. serm. 1. de communi vita Clericorum, qui est 49. de diuersis. *Qui societatem, inquit, communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sanctæ cadit. Obseruet iudicem scilicet Deum, non me, ego ei non aufero clericatum. Quantum sit periculum ante oculos eius posui: faciat & vult, ego scio quantum mali sit profiteri sanctum aliquid nec implere, Vouete,* inquit Psalm. 75. v. 12. *& reddite Domino Deo vestro.* Et Eccl. 5. v. 4. *Melius est non vouere, quam vouere & non reddere. Clericus duas res professus est, & sanctitatem & clericatum. Interius sanctitatem: nam clericatum propter populum suum Deus imposuit ceruicibus ipsius, cui magis onus est, quam honor. Sed quis sapiens & intelligit hæc?* Psalm. 106. v. 43. *ergo professus est sanctitatem, professus est communiter viuendi societatem & professus est, quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum* Psal. 132. v. 1.

Quanti periculi & exitii sit vota non soluere.

CAP. IX.

MAXIMVS OLIM CLERICORUM honor.

§ ET quidem ejusmodi clerici tum propter religiosam & Apostolicam vitam, tum propter fructum, quem in Ecclesia proferebant: Christianum siquidem

quidem populum baptizabant, catechismis & concionibus erudiebant, sacramentis præsertim pœnitentiæ & Eucharistiæ pascebant, sacrificiis & precib. Deo commendabant, in summo honore & precio erant, quemadmodum ostendit S. Hier. epist. 1. ad Heliodorum c. 7. toto, & epist. 10. ad Furiam c. 1. ita vt id ætatis è Monachismo ad Clericatum tanquam ex inferiori gradu ad superiorem fieret ascensio. Hinc S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum monachum c. 8. & refertur 16. q. 1. c. 26. Sic viue. *Sancti*, inquit, *sunt Clerici & omnium vita laudabilis. Ita ergo age & viue in monasterio, vt Clericus esse merearis, vt adolescentiam tuam nulla sorde commacules, & ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium, fœminæq; nomen tuum nouerint, & vultum tuum nesciant, cum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit: & te vel populus vel Pontifex ciuitatis in clerum eligeret, agito quæ clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores: quia in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima.*

Nõ nisi monachorum flos ad cleri dignitatem adscribebatur.

§. Idipsum quod non nisi optimi monachi ad clericorum promouerentur officium, fatetur suo de tempore S. Aug. epist. 76. ad Aurel. & habetur 16. q. 1. c. 36. Legi epistolam tuam. *Ipsis*, inquit, *monachis facilis lapsus, & ordini clericorum indignissima fit iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eligantur, cum ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atq; meliores in clerum assumere soleamus: nisi forte sicut vulgares dicunt: Malus choraula bonus Symptomachus est: ita iidem ipsi vulgares de nobis iocabuntur dicentes: Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendi, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigimus, & tam graui contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.* Hæc idcirco à nobis memoriæ

Ab equis ad asinos & ab asinis ad equos.

Cur ista de clericorum perfectione commemorata.

moriæ prodita sunt, vt intelligatur quanta fuerit priscorum clericorum & canonicorum perfectio, eamque posteritas sic mentis oculis intueamur, vt & ad eam quam proxime accedere elaboret, quod fiet, si Dei, Ecclesiæ, præsidum suorum præceptis morigeri, si integritatis & castimoniæ seruantissimi, si Ecclesiasticis bonis non in luxum, non ad fastum & auaritiam abusi, sed honesta secundum status sui decentiam sustentatione contenti, superflua ad Ecclesiæ ornamentum, ad egentum subsidium atque ad alias pias causas erogauerint.

CAPVT X.

QVAS OB CAVSAS PAVLATIM CLERICI à sanctioris vitæ instituto defecerint.

§. VErum isti Clerici paulatim à sanctioris vitæ disciplina ad laxiorem liberioremq; viuendi rationem dilapsi sunt. Cujus laxamenti & discessionis duæ potissimum occurrunt causæ: altera clericorum multiplicatio: quoniam cum ita creuisset populus Christianus, vt à paucis clericis administrari regique non possit, & ad ipsius Ecclesiæ splendorem facere videretur, vt plures jam ministros haberet Prou. 14. v. 28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*, non ita potuit in tanto numero ille perfectionis ardor conseruari & euenit illud Prophetæ: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Isa. 9. v. 3. Altera causa: quo longius tempora à primo illo Ecclesiæ statu procedebant, eo magis & Dei caritas in hominibus refrigescebat, & abundabat amor sui, suorumque commodorum, ita vt nollent se Ecclesiastico statui, sub tanta disciplina, & tam tenui dieta mancipare, & fortassis, vt fit, in tanta mul-

multitudine oriebantur inter quosdam discordiæ. Itaq; sensim beneficia, & præbendæ institutæ, certiq; prouentus annui singulis assignati, ex quibus cómodè, seorsim, & p̃ suo arbitratu possint viuere: quæ sacra vectigalia, quantam parsimoniam, ne beneficia beneficijs cumulentur, quàm pios vsus, ne dissipẽtur, requirant, plurimi nôrunt, pauci perficiunt. S. Bern. citato hoc Isa. loco c. 26. v. 10. *Misereamur impio, & non discet iustitiam, in terra Sanctorum iniqua gessit, & videbit gloriam Domini*: subiũgit ser. 32. in Cant. *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendijs quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua quibus egeni sustendandi forent, impie sacrilegeq; sibi retineant, & in vsus suæ superbiæ atq; luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur: duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.*

Vnde Ecclesiasticorum beneficiorũ origo.

Querela S. Bern. de peruersis clericis.

§. Quin & istius licentioris in Clero vitæ prolusionem, & quandam inchoationem fuisse ex S. Augu. & aliis didicimus, cum quidã Clerici corruptissimis & perditissimis fuêre moribus, in quos plenis sæpè velis inuehitur S. Hieron. vt ep. 1. ad Heliodor. c. 8. *Non omnes, inquit, Episcopi, episcopi sunt: Attendis Petrum; sed & Iudam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi cap. 2. v. 6. sua damnat sententia. Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri iam cum Christo regnantium.* Et ep. 2. ad Nepotianum vanitatem quorundam sugillat Clericorum, intemperantiam & auaritiam. *Si propter officium clericatus*, inquit c. 6 *aut viduæ visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum cõtubernio non infameris. Si lector, si acolytus, si psaltes te sequitur: non ornentur veste sed moribus: nec calamistro coment comas sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secreto & absq; arbitro vel teste, non sedeas.*

In improbos clericos S. Hieron. inuectiua.

Qualis clericorum esse debeat societas.

S. Hier. vt perfidorum hæreticorũ, ita & improborum cleri corum exagitator.

§. Erant ergo & id tempestatis muliebriter compti calamistratiq;, vt nostro, prô dolor, tempore Clerici. De quibus ead. ep. c. seq. 7. D. Hier. illorum personam sustinens, & delitias cupiditatemq; exagitans: *Natus, inquit, in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram: nunc similam ac mella fastidio. Noui & genera & nomina piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: Sapore auium discerno prouincias, & ciborum meraritas, ac nouissimè damna ipsa delectãt, Audio præterea in senes, & anus absq; liberis quorundam turpe seruitium. Ipsi apponunt matulam; obsidẽt lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt, pauent ad introitum medici: tremẽtibusq; labijs, an commodius habeant, sciscitantur: & si paululum senex vegetior fuerit, periclitantur, simulataq; lætitia mens intrinsecus auara torquetur,* &c. Et rursum idem S. Hier. taxans ob turpis lucri cupiditatem indecora clericorũ & nimis humilia obsequia, *ep. 22. ad Eustoch. de custodia virginit. Clerici ipsi,* inquit, *quos & magisterio esse oportuerat pariter, & timori, osculantur capita matronarum, & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, si nescias, pretia accipiunt salutandi. Illæ interim quæ sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam,* &c. Et *ep. 48. ad Sabinian. Diac. c. 3.* illius libidinem castigans & arrogantiam. *Non tibi illa nunc replico, quod plures virgines stupratas narreris? quod à te nobilium violata matrimonia publica cæsa sint gladio, quod per lupanaria impurus & belluo cucurristi.* & *ca. 4. Amiciris lintheis: digitos annulis oneras: dentes puluere teris: raros in rubenti caluaria digeris capillos: taurina ceruix, toris adipeis intumescens, nec quia propter libidinem fracta est, inclinatur. Super hæc vnguenta fragas: mutas balneas: & contra renascentes pilos pugnas: per forum ac plateas nitidus ac politus amator incedis.* Cernunt hic improbi & nefarii clerici sui similes in antiqtate nõ defuisse, sed & illud perpẽdãt, eos infami & exitiali morte sublatos, vt quorũ imitãtur mores, pertimescãt & exitus.

Prô pudenda Ecclesiasticis ministeria.

CA-

CAPVT XI.

LABOR ET INDVSTRIA SANCTORVM AD instaurandam Ecclesiasticam disciplinam.

§. VERVM & hos vt ad pristinum sanctitatis nitorem reuocarent, & in Apostolicæ perfectionis studium denuo inflamarent sanctissimi doctissimiq; viri conati sunt, & ipsum religiosum ordinem cum clericorum statu coniunxerunt. B. Ambros epist. 82. & ser. 69. eã S. Eusebio Vercellensi Episcopo laudem tribuit, quod suos clericos ita instituerit, vt ab ijs duo pariter exigeret, & monasterij continentiam & disciplinam Ecclesiæ. *Hic*, inquit, *primus in occidẽtalibus partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus monachorum instituta teneret, & Ecclesiam regeret ieiunus sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & normam integritatis iuuentutem astringat, & conuersantes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione.*

§ Verum præcipuus clericalis religionis & religiosi clericatus instaurator fuit sanctus Augustinus, non solum idcirco, quod, vt in eius vita narrat Possidius, intra Ecclesiam Clericorum monasterium constituerit, vbi vna omnes mensa communibusque sumptibus alerentur, nihilque cuiquam suum esset, iuxta rationem, vt loquitur, sub sanctis Apostolis primum introductam, & plurimos ad id vitæ genus permouerit, sed ideo etiam quod regulam Canonicorum moribus accommodatissimam conscripserit, quæ passim à quamplurimis Congregationibus est acceptata & mirificè per S. Fulgentium Ruspensis Ecclesiæ Episcopum, per S. Prosperum Regiensem antistitem, per Gelasium S. Pontificem, & alios Sancti August. discipulos ac sectatores propagata, quam & magnus ille Patriarcha S. Dominicus pro suo religiosissimo & Ecclesiæ vtilissimo ordine acceptauit. Idẽ præstantissimum

Primarius clericatus reformator S. August.

D. Aug. regulã plurimi secuti.

simum vitæ genus monachismum cum clericatu copulans in Gallias inuexit S. Martin. Turonensis Episcopus, vt in eius vita testatur Seuerus Sulpitius. Et *S. Augustin. lib. 8. conf. c. 6. Erat monasterium*, inquit, *Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Et de moribus Ecclesiæ Cath. cap. 33. idem *D. August. Vidi ego*, inquit, *diuersorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate atq; prudentia & diuina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana caritate, sanctitate, & libertate viuentibus: ne ipsi quidam cuiquã onerosi sint, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo, quod est vsquequaq; vsitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere*, &c.

Clericorum monasteria.

CAPVT XII.

CLERICORVM REGVLARIVM IN deterius prolapsio.

§. VERVM vt est natura vitiata ad bonum difficilis, ad malum prona, his motibus quasi fluctibus agitata Canonicorum vita, rupto aggere extra regularis disciplinæ alueum egressa est, qua de re Joan. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico ad ann. 975. ita loquitur: *Sub Theodorico Archiepiscopo Treuirensi Canonici maioris Ecclesiæ ibid. abiecta vita regulari, quam hucusq; in eadem Ecclesia maiores eorum continuauerunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & cõuersatione sæculares. Quo alii, vt in arrum exemplo malo Canonici quoq; S. Paulini Treuirenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, VVormatienses, Spidelam mutentem cãdelam mutarenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diuersis quidem tempo-*

Funestam faciem præferunt Treuirenses, assiliunt mox ad ea,

temporibus, sed vno impietatis spiritu regularis vitæ communitatem abiecerunt. Hæc ille.

§. Quid ergo? Damnandusne iste Canonicorum status? Nequaquam, cum sit longo vsu firmatus, & Apostolicæ Sedis concessu permissus, & in eo multi sanctissimi viri vixerint, & etiamnum viuunt, & diuinarum atq; ecclesiasticarum legum obseruantes ampliſſima in cœlis præmia consequi possint. Ista autem hactenus nobis expositasunt, vt Clerici in Apostolicæ vitæ, quam illorum maiores duxerunt, archetypum, & perfectissimę virtutis exemplar intuentes toto pectore in propriæ sanctitatis studium, qui alter ipsis constitutus finis est, incumbant, conenturq; esse quod illi fuerunt, aut minimum castimoniam integrè colant, Ecclesiæ bonis decenter ac pie vtantur, statutis ac Maioribus suis obtemperēt, diuinum officium augustè ac sanctè persoluant. Nunc de 3. fine dicendum.

CAPVT XIII.

POSTREMVS ECCLESIASTICO VIRO propositus finis est populi ædificatio, & ad virtutis æmulationem incitamentum.

§. CVM Deus vnicuiq; mandauerit de proximo suo, Eccles. 17. v. 12. vt videl. nunquam noceat, prosit semper, non vtique illum prauo exemplo corrumpere, sed bono exemplo ad probitatis studium prouocare & impellere debet. Quocirca *S. Paulus ad Romanos cap. 12. vers. 17.* monet: *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed & coram omnibus hominibus.* Quod, ait Apostolus, istud est: Tam sobriè, iustè, & piè vestram vitam instituatis, vt Deo pariter & hominibus probetur, nec iure à quoquam reprehendatur, sed cęteris in virtutis exemplum præluceat. Qui idem Apostolus

Abunoquoque proximus ad bonum excitandus.

cap. 15.

cap.15.v.2.in eadem Romana epistola: Vnusquisque vestrum, ait, *proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* quasi dicat: Quisque sua continentia, sua modestia, sua humanitate, & caritate se alteri ita accommodet, vt illũ ad omne bonum pelliciat & inducat. Quẽadmodum enim qui murum exstruit, eumq; sensim attollit, is domum ædificat; ita qui sua temperantia, sua submissione, sua religione, sua beneuolentia, aut quacunq; alia virtute proximum ad bonũ excitat aut erigit, is eum ad similia gerenda ædificare dicitur, vt fiat *templum sanctum Domino & habitaculum Dei in Spiritu sancto, Eph. 2.v.21.& 22.* Rursum vt sẽ mutuo instruant, & ad virtutem instigent, saltem exemplo suo & bona vita hortatur Apostolus *1.Thess.5.v.11. Consolamini inuicem,* ait, *& ædificate alterutrum, sicut & facitis.* Qua etiam de causa partim exhortatur, partim Philippenses dilaudat idem Doctor gentium *cap.2.v.15. Sitis,* inquit, *sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehẽsione, in medio nationis praue & peruerse, inter quos lucetis sicut luminaria in mũdo.* Vt quasi lucẽtes stellæ, vel lunæ, aut faces in excelsa turri expositæ, in cæca mundi nocte, & periculoso istius vitę mari nauigantibus, salutis portum & iter in cœlum vestro exemplo demonstretis.

§. Vel solus iusti intuitus ad sanctiorem conducibilis est vitam, quemadmodum docet *S. Ambros. serm. 10. in Psal.118.v.74. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua superspe aui,* cùm ait: *Qui videt gustũ & gaudet, ẽt ipse vult esse iustus: pulchrum est enim, vt eo in alios delectetur, quod vult ipse in se seruare si possit: est n. ansitum bonis, vt castum pudicus, prudentem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalem, & virtutes suas in aliis amet, plerisq; n. iustus aspectus admonitio correctionis est, perfectiorib. vero lætitia est. Quam pulchrum ergo si videaris & prosis. Bonum ergo vir iustus; propterea deniq; Paul. Apost. ascendit Hierosolymã, vt iustos videret, & cum Petro mansit diebus 15. vt ex eius aliquid*

Nemo gaudet bono, ni si q; amat. Simile simili amicum. Intuitus iusti morum magister. Gal.2.v.12.

quid cohabitatione proficeret. Propterea ipse Paul. & Barnab. cum Hierosolymã ingrederentur, magnificè excipiebantur ab Ecclesia, ab Apostolis & maiorib. natu, cum aũt abire vellent, ne discederent rogabantur. Et vt postea de Paulo legimus, cum lacrymis deducebãtur. Nã si est tanta vis in animalib. vt animal visum prosit ictericis, ita vt mortui quoq; cornu eius animantis, prodesse dicatur. Si fuerit demonstratum iis, qui huiusmodi inciderint passionem, dubitare possumus quod iusti sanet aspectus? Ergo vile animal ratione tantam virtutem habet, vt sanare possit hominem momento exiguo: quid videtur? homo iustus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui vtilitatem ab eo percipere desiderat, nihil cõfert? Nũ vel ipsi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere ijs, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cum videtur, ita & improbi iustorum cognitione torquẽtur, quia vel tacitis Sanctorũ moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentem, auaritiam liberalitas, impietatem fides.

Oculi mentis indices.

Probi inuisi improbis.

De hoc quoq; parile vilis animantis sumamus exemplum. Nam sicut prodesse diximus mutum animal, cum videtur, ita obesse percipimus lupum, si videndo præuenerit. Vocem enim feruntur amittere quos prior lupus viderit. Basiliscus quoque, hoc est, noxius serpens, si quodcunque prior viderit animal, fertur occidere; & allegatur statim necari, qui potuerit à serpente huiusmodi præuideri. Ipse quoq; serpens mori dicitur, si fuerit hominis præuentus aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, vt si alter alterum prior viderit, possit occidere: non est virtus in oculis iusti, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides, vt est in illa, quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur, & ille cui intendit Dominus Iesus statim ex eius oculis gratiam sanitatis hauriret? Sed qui videt iustum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non, inquam, illum videt, nisi eius viderit mentem, nisi eius sermonẽ intenderit, nisi sensus illius potuerit comprehendere, sapientiam, de tractatu eius potuerit assumere.

Edere non poteris vocẽ lupus est tibi visus.

Vide Adagium: lupi illum vidêre priores.

Matth. 9. v. 21. 22.

Tunc

Tunc igitur lætabitur, cum ista perspexerit, cum ista cognouerit, Ita ergo & nos sicubi audiuimus iustum festinemus videre, sicut illa mulier, quæ audiuit in domo Pharisæi discũbere Dominum Iesum, & ingressa est, & eius pedes perfudit vnguento, illius imitatores simus, quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet?

Luc. 7. v. 37

§. Hæc quidem generatim ita se habent, vt quilibet etiam homo vitæ suæ integritate alios ad virtutis studium prouocare debeat, hoc tamen maximè locum habet in viris Ecclesiasticis. Verè *S. Greg. l. 7. Regist. epist. 117. Cum sacerdotalis*, inquit, *dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita, vt quisquis ea ornatus est, cunctis se in uitandum debet ostendere: vt exemplo suo nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subditorum. Nam satis noxium atq; perniciosum est, vt imitatione ipsius, quæ ædificari debuerant, destruantur. Sacerdotum est*, ait *V. Beda cap. 8. super Esdram, sua opera sanctificatione speciali præ cæteris digna facere, atque insigniter agere, vt quicunque sibi iunguntur, nomen Domini in seipsis bene viuendo sanctificent.*

CAPVT XIV.

CHRISTI DOMINI PRAECEPTO IN POPULI ædificationem maximopere incumbendum Ecclesiasticis.

§. DE hac cæteros ædificandi cura Ecclesiasticos & in discipulis suis monet saluator. *Mat. 5. v. 13 ad 17. Vos estis sal terræ*, vt sicut sal insipidis reb. dat saporem, & eas conseruat, ne corrũpantur, ita & vos sapientia vestra alios docere & moribus bonis ædificare debetis. *Vos estis lux mũdi*, vt vniuersum orbem doctrina & virtute vestra illuminetis. *Non potest ciuitas abscõdi supra montem posita.* Cui vrbi vos similes estis, vt sicut illa latere nõ potest, sic nec vos latere debetis, sed cõspicu-

spicua omnibus sapientiæ & sanctitatis documenta dare. *Quamuis ipsa ciuitas voluerit esse velata*, ait Chrys. hom.10.in Matth.op.imp. *Mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo monte excelso, non possunt esse absconditi, quod si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Propterea vos supra alios tãquam vrbem supra montem posui, propterea vos in sortem meam vocaui, & diuinitus collustraui, vt lucem veritatis & sanctitatis aliis ostendatis. Ergo *sic luceat lux vestra coram hominib. vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Eius enim gratia fit, quicquid boni fit. S. Isidorus Petruosita l.1. epist.32. *Deus*, ait, *lucernam, hoc est, sacerdotem accendit, atq; cãdelabro imponit suæ lucem ferenti cathedræ, vt & dogmatum, & actionum ab omni caligine liberatum splendorem Ecclesiæ, fulgetræ instar, asserat: quo nimirum plebs viuifici fulgoris radios spectans ad eos sese dirigat, patrisque luminum gloriam prædicet.* Ecce quot argumentis suadet & vrget Dominus, vt ipsius discipuli eorundemq; sectatores verbo & exemplo aliis præluceant.

CAPVT XV.

APOSTOLVS VRGET BONO VT EXemplo sint Ecclesiastici.

§. SIMILITER Apostolus in suis carissimis discipulis & Episcopis Timotheo ac Tito Clericos exhortatur, sua vt vita facem alijs ad virtutem præferãt, 1.Tim. 4.v.12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelibus, in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate.* Quasi dicat Apostolus, etsi ætate iuue-

Cor canum sit in iuuenili clericorũ pectore, & quanto magis in senili, ne bis pueri senes.

nis sis, tamen ita sanctè & grauiter agas, vt omnes cor canum in tuo iuuenili animaduertant pectore, & omnes te ob prudentiæ & virtutis maturitatem suspiciant, ac reuereantur, & quidem talem te præsta in sermone, in familiari consuetudine, in amoris diuini atque humani declaratione, in fidei rectitudine & constantia, in totius vitæ puritate.

§ Et *ad Tit. c. 2. v. 7.* monet. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorū operum in doctrina, in integritate, in grauitate. S. Chrys. hom. 4.* in Titianam epist. & hæc verba: *Sit omnibus*, inquit, *doctrina, exemplarq; virtutis, tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti Archetypus & primitiua quædam imago, omnia in se habens, quæ bona & honesta sunt: quæ magna cum facilitate volentibus aliquid sui decoris imitari, exẽpla semper præbere parata sit.* Vult aũt Apostol. vt Tit. luceat doctrinâ alios ad fidem & pietatẽ erudiente, vitæ integritate ac sanctitate, morum grauitate & modestia ad probitatẽ proliciente.

CAPVT XVI.

VT SACRORVM HOMINVM PROBITAS Deo perhonorifica, ipsis & proximis est salutaris, ita illorum improbitas Deo probrosa, & ipsis & alijs exitialis.

Cur Ecclesiasticorum vita debeat esse virtutis norma.

§ CVr autem clericorũ vita eiusmodi esse debeat, vt ad eam tanquam certissimam virtutis regulam alij mores suos dirigant & componant, ea potissima causa est, quod illa omnium oculis sit exposita, & idcirco eos saluator cum luce, cum ciuitate in mõte exædificata, cum lucerna ardente, & candelabro impositâ comparauit. Hoc significat *Trident. Synod. sess. 22. c. 1. de reformat.* Nihil est, inquit, *quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur: in eos tanquam*

Conc. Trid. summopere piam Ecclesiasticorum vitam postulat.

quam speculum reliqui oculos coniciunt, ex iisq; sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresq; suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone aliisq; omnib rebus nil, nisi graue, moderatum ac religione plenum præ se ferant, leuia autem dicta, quæ in ipsis maxime essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Et sess. 23. in decreto de Reformat. c. 14. Presbyteri ita pietate ac castis moribus sint conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Similia habet idem Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. c. 1. & c. 12. vtrobiq; ab initio, & sess. 25. de Reformat. c. 1. Quod & eximiè docet *S. Ioan. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Sacerdotis animi pulchritudinem vndique*, ait, *splendescere oportet, vt oblectare pariter & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos coniiciunt. Nam vulgarium hominum delicta, velut in tenebris commissa auctores suos solos perdunt: cæterum hominis illustris ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert, & parua eius peccata aliis magna videntur. Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur.*

Ecclesiasticus populo speculum.

Peruersitas clericorum sudes in oculis hominũ.

§. Ex his planum est, quod virtutibus conspicua clericorũ vita. 1. ipsi Deo, cuius præcipui famuli sunt, sit perhonorifica, cum ad illustrãdam ipsius gloriam aliis sanctitatis facem præferũt. Quod & docet *S. Pet. 1. ep. v. 12.* omnes quidem Christianos, sed potissimum clericos, qui Christiani orbis lumina esse debent. *Cõuersationem vestram*, inquit, *inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Eleganter id docet *S. Ambros. lib. 1. off. cap. 50. Decet actuum*, ait, *operumque nostrorum testem esse publicam existimationem & attestationem, ne derogetur muneri: vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, Dominum veneretur, qui tales seruulos habeat. Laus*

Ecclesiastico rum probitas Deum cõmendat.

enim Domini vbi mũda possessio, & innocẽs familiæ disciplina.

Ecclesiasticorum integritas alienæ virtutis incitamentum.

2. Deinde & illud manifestum ex ijs quæ diximus, quod pia Clericorum vita vehementer in probitatis studium incitetur populus. *S. Chrys. hõ. 10. operis imperf. in Matt. Propter bonã*, inquit, *cõuersationem suam sacerdotes sunt sal: quoniam bona conuersatio sacerdotum conditura populi est. Propter verbum aũt doctrinæ lux; quoniam verbum ignorantiæ lumen est. Prius aũt vocauit eos sal, postea autẽ lux; aut quia prioris loci est seruare quos habes, secundi autẽ vocare quos non habes; aut quia prius est bene viuere, secũdo autẽ bene docere.* Idcirco & hunc in modum hortatur Conc. Tolet. 4. c. 21. & 22. *Quãuis conscientiam puram apud Deum sacerdotes habere oportet, tamen ẽt apud homines famam optimam custodire oportet. Ideo conuenit testimonium probabilium personarũ conuersationis & vitæ in conclaui suo habere: vt & Deo placeant per conuersationẽ bonã & Ecclesiæ per optimã famam.*

Ecclesiasticus & sanctitate apud Deum, & bona fama floreat apud proximum.

§. Quæ virtutis existimatio nõ tantum clerico non est negligenda, sed etiam ad Dei honorem & proximi salutem valde ambienda. qua cum & auctoritas ipsius pollet, & doctrina magni fit, & Ecclesiastico Ordini decus accedit & ornamentum.

Curam habeat Ecclesiasticus de bono nomine, vt monet Eccles. c. 41. v. 15.

§. Contra vero improba Ecclesiasticorũ vita. 1. quidem ipsi Deo ignominiosa & perosa est. *Leu. 21. v. 6. Sacerdotes sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius. Et v. 21. ibid. Omnis qui habuerit maculam* (i. corporis vitium) *de semine Aaron sacerdotis, non accedet hostias offerre Domino, nec panes Deo suo.* Sua maiestate indignum iudicauit Deus corpore deformatum sibi in templo deseruire, quãto magis indignum Deo, si eius minister clericus turpificato animo sit deformis? *Ezec. 22. v. 26. Sacerdotes eius contempserunt legem meã, polluerunt sanctuaria mea.*

Impurus & nequã clericus Deo inuisus & probrosus.

Si sancti sacerdotes Deo dedecori nõ sunt, vtique Qui contemptim & impiè in Dei domo versatur, vtiq; iniuriam Deo facit, cuius domũ violat. Quod satis indicat

Deo sunt probro sacerdotes impii, cum contrariorum contrariæ sint consequentia.

indicat Deus, *Ier.7.v.11. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua est inuocatum nomen meum in oculis vestris?* Et iterum *c.11.v.15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Sensit idem & Assuerus rex Hestheræ 7.v.8. & *Apostolus 1.Cor.3.v.17. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei Peruersus sanctum est, quod estis vos.* Deinde ipse clericus seipsum *Ecclesiasti-* in contemptionem adducit, *Malach.2 v.9. Propter quod cus sibi suis-* *& ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sic- que dedecout non seruastis vias meas, (vt vos contemnerent, & pro honore ri est. & gloria quasi deiectos humilesq; calcarent) S.Hier.in cõmen.*

§. Quid despicacius impuro clerico? Quin & suo officio atque adeo ecclesiastico ordini maculam ac dedecus inurit. Quod cum nosset Apostolus tam serio monuit *Cor.2.epist.c.6 v.3. ne vllam darent offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Cauete, ait ne dissolutiore vita vlli scandalum præbeatis, quo fructus Euangelij quẽ nos verbo & exemplo propagare connitimur, impediatur. Et si religio Christiana in contemptum venit propter auditores, quãto magis propter doctores & præsides qui sunt clerici? Vetustissimum quidem est & optimum documentum, quod habet *S.Ioan.Chrys.hom.4.de verbis Isa.c.6. Vidi Dominũ. Cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum qui rebus male vtitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verum ob id non accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimen est sacer-* *Improb.cle-* *dotii, sed malum animi*: Saluberrimum præceptum, sed *ricus vniuer-* quod à paucissimis obseruatur, plerumque enim fit *so eccleſia-* quod ait *S.Aug.ep.137. ad suos Hippon. Ad quid aliud sedent stico statui isti*, ait, *& quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus vel maculam Clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes es-* *inurit.* *se tales credant, iactent, contendãt, sed non omnes posse manifestari?* Neque enim isti maledici dictitant: Paphnutius est potator, Abdias est scortator, Matthias est ob-

Malè audiens Ecclesiasticus doctor non sine contemptione auditur.

trectator, sed isti clerici sunt scortatores, potatores, obtrectatores, ita vt propter paucos malos totus ordo pessimè audiat.

Publicum offendiculũ ac proinde remouendũ malè viuens clericus.

§. Quin & peruersi clerici institutiones quantumuis doctæ, veræ, salutares in despicatum veniunt: *quia vt inquit S. Greg. hom. 12. in Euãg. cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur.* Denique quæ quantaq; scandala dat peruersus clericus? quot moratur, & sustinet ne in virtute progrediantur? quot à iustitiæ semita auertit? *Hoseæ 5. v. 1. Audite hoc sacerdotes: quia vobis iudicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi.* Pro speculatione qua aliorum saluti prouidere debuistis, facti estis laqueus, & illos peccatis vestris irretiuistis. *S. Hier. in comment. Speculatores*, inquit, *vos posui, & principes in populo, & in excelso dignitatis culmine constitui, vt populum regeretis errantem. Vos autem facti estis laqueus, & non tam speculatores & principes, quã venatores appellandi.* Rursus de sacerdotum improbitate & offendiculo queritur Deus, *Malac. 2. v. 8. Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* Septuagĩta habẽt: *Vos declinastis de via mea, & infirmos fecistis multos in lege.* vbi S. Hier. *Infirmos faciunt multos, qui, cum credentes in Christo fidei robur acceperint, infirmari eos faciunt negligentia conuersationis suæ.* Atque ita meridiana luce clarius est, quod ait S. Greg. hom. 17. in Euang. *Nullum, puto, fratres carissimi, ab aliis maius præiudicium, quam à sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit.* Verè *S. Isidor. Pelus. l. 3. ep 326. Si sacerdotes mores suos correxerint, spes est plebem quoq; secuturam esse.* Plura in hanc sententiam lib. 2. titulo de sui contemptu Ecclesiasticis vitando.

Cleri emendatio populi correctio.

CAPVT XVII.

IN SCANDALVM PRAEBENTES iusta inuectio

S. Bern.

§. S. Bern. quantũuis Doctor mellifluus indignitate tamen & sceleris immanitate eõmotus ser. 1. in conuers. S. Pauli non modo Religiosos & Ecclesiasticos, sed & sęculares, qui aliis offendiculo sunt, acerbissimè perstringit & persectatur: *Quid me persequeris, ait Dominus ad Saulũ, Act. 9. v. 4. Annõ persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis affixere patibulo, & non persequebatur eum, qui aduersus corpus eius quod est Ecclesia (est enim corpus eius ipsa) odio furebat in quo? Deniq; si proprium sanguinem dedit in precium redemptionis animarum, non tibi videtur ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione auertit ab eo animas quas redemit, quàm à Iudæo qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi & expauescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt. Videbatur iam cessasse persecutionis tempus, sed vt palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc quod grauius est ipsi Christum persequuntur, qui ab eo vtique Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi aduersum te appropinquauerunt & steterunt. Psalm 37. v. 12. Coniurasse videtur contra te vniuersitas populi Christiani à minimo vsq; maximum: à planta pedis vsq; ad verticem non est sanitas vlla: egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum: non est iam dicere, vt populus, sic sacerdos: quia nec sic populus, vt Sacerdos. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Syon occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Misera eorum conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est. Atque vtinam sola hac parte nocerent. Esset fortè qui dominica præmonitus & præmunitus exhorta-*

Iniuriosus in Christi fideles, & in ipsum Chrẽ stum iniurius.

Christi interfectores aliorum saluti noxii.

Peruersi ecclesiastici, præcipui persecutores Christi.

Prauitas cleri deprauatio populi

hortatione daret operam ipsorum non exempla imitari, sed ob-
Mat.23.v.3 seruare præcepta, iuxta illud: Quæ dicunt facite, & ad opera eo-
1.Tim.6.v. rum nolite respicere. Nunc autem dati sunt sacri gradus in oc-
5. casionem turpis lucri, & quæstum æstimant pietatem. Copiosis-
Pecuniarũ cura animarũ incuria. simæ siquidem pietatis inueniuntur in suscipienda (imo accipi-
enda magis) animarum cura, sed hæc apud eos cura minor, &
de animarum salute nouissima cogitatio est. An vero Saluatori
animarum grauior vlla esse poterat persecutio? Iniquè agunt,
& cæteri contra Christum, multiq; sunt nostris tẽporibus Anti-
christi. Merito tamẽ & crudeliorem eam censet persecutionem
pro acceptis beneficiis, & grauiorem sentit pro potestate, quam
propriis sustinet à ministris: licet alii quoq; multi cõtra proxi-
morum salutẽ multifariè multisq; modis & variis occasionibus
agere videantur. Hæc videt Christus & silet, hæc saluator pati-
A Gallo cã- tur & dissimulat. Propterea dissimulem⁹ nos quoq; necesse est &
dido abstì- sileamus interim, maximeq; de prælatis nostris magistris eccle-
nendum. siarum. Sic nimirum sic placet & ipsis, vt euadant nunc humana iudicia, veniatq; semel iudicium graue his qui præsunt, &
Religiosorũ potentes patiantur tormenta potenter. Vereor dilectissimi, ne
improbitas quis forte sit & in nobis Domini persecutor, quia manifesta do-
persecutio cuit ratio, impedire salutem, esse persequi saluatorem. Quas ego
Christi. de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi
propinat detractionis fraternæ venenum? Merito detractores
Rõ.1.v.30. Deo odibiles describuntur, tãquam persecutores. Quid & is qui
exemplo suo ad remissius agendum cæteros prouocat, aut singu-
laritate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua
Eph.4.v.30 & murmuratione molestat, aut quocunq; modo contristat spi-
Mat.18.v.6 ritum Dei, qui in eis est scãdalizans vnum de minimis istis cre-
Qua ratio- dentibus in vnum? Nõne & hic manifeste persequitur Christũ?
ne Christi vt ergo persecutorum & nomẽ & crimen longe sit semper à no-
insectatio bis, obsecro vos dilectissimi, benignos semper & mites exhibea-
declinanda. mus nos, inuicem supportãtes in omni patientia, & ad id quod
Eph.4.v.2. melius & perfectius est, alterutrum prouocantes. Quis n. seruus
sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Do-
mino? Quam habiturus est gratiam, si vt non resistit, nec as-

sistit

fistit quidem? Deniq; si quis adeò pusillanimis sit, vt satis sibi reputet nec persecutorem esse, nec coadiutorem Dei, audiat quid ipse loquatur: Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

§. Vt v. memoratos ecclesiastici fines consequantur, vtilissimus est sanctorum cultus, imitatio, imploratio. Qua de causa & in Clericorum sodalitijs menstrua viget Sanctorum siue electio siue sortitio, quos & tunc peculiari honore & cultu prosequuntur.

CAP. XVIII.

VENERATIO SANCTORVM ET IMITATIO, Deo honorifica, proximis ad imitandum proposita, & cuiq; salutaris.

§ HActenus à fine tanquam linea vel carcere exordium sumpsimus, nunc vt eum feliciter prehendamus, per media & adminicula velut stadium decurramus, inter quæ Christi Saluatoris, Deiparæ Virginis, Diuorum & Angelorum tutelarium, patriæ patronorum, & eorum Sanctorum, in quorum ecclesijs beneficia possident, veneratio & imitatio primo occurrit loco, & hoc vt pstetur cumprimis Ecclesiasticos decet viros: Siquidem & hac ratione in finem tanquam in scopum collineabimus, ac Dei Opt. Max. honorem, nostramq; & alienam salutem promouebimus: Nam Deus honoratur in Sanctis suis, *in quib. ipse est mirabilis*, vt ait Regius Vates Psal. 67. v. 36. Qui *rũ laus Dei*, proinde & nos exhortatur Ps. 150. v. 1. *Laudate Dominũ in sanctis eius.* Quod si in sanctissimis cœlorum habitaculis aut templis inanimatis tantum prædicandus est Deus, quanto magis in justis, qui sunt viua & animata sanctissimæ Trinitatis templa 1. Cor. 6. v. 16. Et c. 6. v. 19. & 2. Cor. 3. v. 16. Ex quibus non nemo dicebat Gal. 1. v. 24. *In me clarificabant Deum*, & ad Phil. 1. v. 20. *Magnificabitur Christus in corpore meo siue per vitam, siue per*

Laus sancto sanctitatis fons & origo.

In S. Pauli virtute laudatur Deus.

per mortem. Idcirco & S. Aug. serm. 26. de Sanctis. *Cum dicat ad Sanctos suos,* ait, *omnipotens Deus* Luc. 10. v. 16. *Qui vos honorat, me honorat, & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit Christum Dominum nostrum.* Qui idem B. Aug. in Ps. 44. *In Petro quis honoratur,* ait, *nisi Christus defunctus pro nobis?* Probitas serui honor est Domini. Quod & probè intellexit S. Hier. ep. 53. ad Ripar. *Honoramus,* ait, *reliquias martyrum, vt eum cuius sunt martyres adoremus. Honoramus seruos vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait* Matt. 10. v. 40. *Qui vos suscipit, me suscipit.* In eandem concedit sententiam B. Greg. Nazian. orat. de laudib. S. Athanas. Alexandr. Archiepiscopi: *Athanasium,* inquit, *laudans virtutem laudabo: quoniam omnes virtutes complexu suo tenet. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus ad homines promanat cuiusq; beneficio nobis contingit, vt ad eum per cognatam illuminationem euehamur, vel potius reuehamur.*

Honor martyrũ Christi honor.

§. Quod si verò in cęteris Sanctis honoratur Deus, quanto magis in longè sanctissima Virgine Maria? hæc enim præ omnibus electis omni gratia & virtute ornatissima fuit, effecta genitrix Dei? *At gloria filiorum patres eorum.* Prou. 17. v. 6. paterni materniq; honoris participes sunt filii. Proinde & B. Cyrill. Alex. hom. contra Nestorium. *Laus & gloria,* ait, *sit tibi sancta Trinitas, sit etiam tibi sancta Dei mater laus. Tu enim & pretiosa margarita orbis terrarum: Tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei. Per te Trinitas sanctificatur:* & meritissime siquidem *fecit illi magna qui potens est & sanctum nomen eius* Luc. 1. v. 49. vt cum Deipara Virgo ob virtutem eximiam honore afficitur, illius vtiq; virtutis auctor largitorq; Deus commendatur. Ita S. Ioannes Damas. l. 4. orth. fid. c. 17. *Is honor quem Dei matri adhibemus, ad eum qui carnem ex ea assumpsit, refertur: item, si egregia sanctorum virorum facinora quæ*

In Deiparæ laudib. honoratur Deus.

nos

nos ad animi magnitudinem & zelum, virtutisq; eorum imitationem ac Dei gloriam exstimulant. Nam honor ille; quo probos seruos afficimus, nostræ erga communem Dominum beneuolentiæ argumentum est.

Christi qua homo est honor, eximius Dei honor.

§. Quod in Christo Saluatore nostro tanto illustriorem locum habet, quanto magis illum *Deus vnxit Spiritu S. & virtute* Act. 10. v. 38. *& oleo exultationis præ participibus suis* Hebr. 1. v. 9. Psal. 44. v. 8. adeo quidem *vt qui non honorificat Filium, nec honorificet Patrem.* Ioan. 5. v. 23. Et qui filij vestigijs insistit *illiq; ministrat, illum Pater honorificat* Ioan. 12. v. 26. Itaq; dum Christum liberatorem nostrum, Deiparam, aliosq; beatos spiritus Angelicos & humanos veneramur, primum finẽ, qui Dei honor est, assequimur: quia quicquid in illis honorandum & laudandum est, Dei donum est, sed & alterum finem, propriam perfectionem indipiscimur: dum ipsi suis meritis & precibus quam plurima bona nobis impetrant cœlestia pariter & spiritalia & sequentibus capp. 19. vsq; ad 24. declaratur, quod vt probat S. Aug. q. 108. in Exodum cùm ait: *Sanctorum Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui.*

Laudatur Deus in præclaris Sanctorum factis: vt in donis suis.

Sanctorum veneratio & imitatio ad virtutẽ aliis incitatio.

Deniq; quotidianus vsus efficacissimè probat, plurimos qui id aliàs non fecissent, aliorum exemplo, & Eucharistiam humilius adorare, coram illa libentius precari, illam religiosius & frequentius pcipere, & sacrificio interesse, Deiparam virginem augustius venerari, ad ejus honorem quotidianum Rosarium lectitare, illius dies festos jejunio vel abstinentia, S. confessione, & dimississima communione celebrare, Sanctorum templa visitare, ad loca sancta peregrinationes suscipere, Diuorum suffragia exposcere, illis se suaq; commendare? Tantum & hæc res valet ad ædificationem populi. Quam verò cuique salutifera sit, sequentibus capitibus clarissimè demonstrabitur

CAP.

CAP. XIX.

DIVINISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO summum assiduè honorem & venerationem habeant Ecclesiastici.

§ CHristus Iesus Deus ac Dominus noster in Eucharistia existens communis ille humani generis liberator, & aduocatus, propterea quod omnes Ecclesiastici ordinis eorundemque functiones circa diuinissimum hoc Sacramentum potissimum occupentur & versentur, suprema Clericorum obseruantia & honore prosequendus est. Illud ergo sanctissimum Sacramentum cum alibi semper tum maximè in templis interna & externa religione & cultu, & tàm corporis quàm animi demissione supplices venerentur: *Nam illum eundem Deum præsentem in eo credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit* Psalm. 96. v. 8. Hebr. 1. ver. 6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adorauerunt* Matth. 2. v. 6. *quem deniq; in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur* Matth. 28. v. 17. Luc. 24. v. 52. vt loquitur Concil. Trid. sess. 13. c. 5.

Illum eundē in Eucharistia Dei virginúq; filiū veneramur, quem & ad Dei dexterā in cælis residentem adoramus.

§. Nec se mutuo tantum in hujus sanctissimi Sacramenti cupiditatem, amorem, venerationem excitare studeant, sed & alios impellere nitantur, & irreuerentes monere, & emendare. Et illud etiam ipsimet & religiosissime ac honorificentissime tractent, & alijs administrent: Hinc Honorius III. de celebr. Miss. cap. Sunt. *Sacerdos*, ait, *instruat plebem suam frequenter, vt cum in celebratione missæ eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet. Idem faciat, cum eam Presbyter defert ad infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat & referat manifestè, ac honorifice ante pectus,*

Ad amorem & cultū Eucharistiæ omnes inflammare conentur clerici.

Summa Eucharistiā reuerentia & tractent, & administrēt aliis Sacerdotes.

Quanto honore Eucharistia ad ægrotos deportanda.

cum

cum omni reuerentia ac honore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ: vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur, &c. Et rursus ibidem: *Ne propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato semper honorifice collocata deuote ac fideliter conseruetur.* Sacerdos autem qui in his negligens fuerit grauiter puniendus, vt habetur de Consec. di. 2. capit. 27. si per negligentiam ex Pio II. & cap. 94. Qui bene ex Concilio Arelatensi. Et vtique longe acerbiores Deo pœnas dabit, quam Ecclesiæ diuinissimi illius Sacramenti contemptor.

In sacrario honorificentissime Eucharistia asseruanda.

CAP. XX.

CHRISTVS DOMINVS ECCLESIASTICIS summoperè imitandus.

§ EVndem Christum Dei virginisq; filium vt patronum suum & Hierarcham siue Sacrorum Principem & absolutissimum totius sanctitatis exemplar diuini honoris flagrantique salutis proximi studio, eximia religione, & precandi assiduitate, singulari modestia, submissione, lenitate, commiseratione, beneficentia, patientia, morũ grauitate, animi corporisque puritate, & id genus alijs virtutibus, sibi imitandum proponant. Hoc enim cum à cæteris Christianis meritissime postulet, majori jure à Dominis Ecclesiasticis tanquam conjunctioribus & honoratioribus sui corporis, hoc est, Ecclesiæ membris id exegit. *Discite*, inquit Matth. 11. *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ioannis 13. versic. 15. 16. 17. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non est seruus maior Domino suo, neq; Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Et vers. 34. *Mandatum nouum do vobis,*

Quæ pressa Saluatoris virtutũ vestigia potissimum consequantur clerici.

Cur clericis imitandus Christus?

vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos vt vos diligatis inuicem. Religionis summa est, ait S. August. l. 8. de ciuit. Dei c. 17. *imitari quem colas.*

§. Cum ergo ex propria vocatione & vitę instituto cæteris exactius Christum venerari debent Clerici, amplius etiam & perfectius illum consequi & imitari diuinaq; humanaq; lege tenentur: & rectissimi in cœlos itineris se duces præbere. Quod declarat idem S. Aug. in Ps. 39. v. 4. *Videbunt multi & timebunt & sperabunt in Domino. In Ecclesia,* inquit, *iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur, & qui præcedunt, exemplum se præbent sequentibus, & qui sequuntur, imitantur præcedentes. Sed & illi qui se exemplum præbent sequentibus, nunquid neminem sequuntur: si neminem sequuntur, errabunt, sequuntur & illi aliquem, ipsum Christum. Meliores quiq; in Ecclesia, quibus non remansit iam homo, quem imitentur, quia omnes proficiendo superauerunt, ipse Christus eis remanet, quem vsq; in finem sequantur. Et emitis ordinatos gradus per Paulum Apostolum dicentem* 1. Cor. 11. v. 1. *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Et S. Cypr. Martyr & Episcopus l. de disciplina & habitu Virgin. maximopere Christi Domini imitationem, vt tutissimam & certissimè in cœlum ferentem viam commendat, vrgetq;. *Omnia de Dei voluntate facienda sunt,* inquit, *vt Domini nostri vestigia & magisteria diuina sectemur, qui monuit & dixit* Ioa. 6. *Non descendi de cœlo vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me. Quod si non est maior Domino suo seruus, & Liberatori debet obsequium liberatus, qui cupimus esse Christiani, debemus quod Christus fecit imitari. Scriptum est & legitur, & auditur, & in exemplum nostri, Ecclesiæ ore celebratur. Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare* 1. Ioan. 2. v. 6. *Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est.*

Nemo tàm perfectus, vt non habeat q̃ in Christo imitẽtur.

CAP.

CAPVT XXI.

BEATISSIMA DEI PARENS colenda & æmulanda D. Eccleſiaſticis.

§ MAximopere decorum & ſalutare eſt, vt apprimè venerentur, & obſeruent ſanctiſſimam Deiparam ſemper Virginem Mariam, quæ exactiſſima Eccleſiaſtico ordini viuendi norma eſt. *Sit vobis,* inquit S. Ambroſius libr. 2. de Virginibus, *tanquam in imagine deſcripta virginitas vitaq; B. Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulterabat affectum: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone: arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu: aqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem: Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: vt ipſa corporis ſpecies, ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit. Quicunq; eius ſibi exoptat præmium, imitetur exemplum.*

Deipara honeſtatis norma.

Quæ vitia deuitauerit, quas Dei mater virtutes ſectata fuerit.

Amabiliſſimi & honeſtiſſimi virginis mores.

§. Et quam laudabilis & prædicanda illorum eſſet Dominorum Eccleſiaſticorum vita, qui has aliasque Deiparentis virtutes, ſi non penitus aſſequerentur, magno tamen ſtudio & contentione

tione sequerentur? *Ergo sancta Maria, ait ibidem Ambrosius, disciplinam vitæ informet.*

CAPVT XXII.

BEATISSIMA VIRGO SVIS CVLtoribus & imitatoribus perfugium, arx, portus.

Tutum Dei para præsidium.

§. ET sane dubio procul est, *quòd* ait, *S. Ephrem Syrus, oratione de laudibus sanctissimæ Dei Matris, illa sit spes desperantium, peccantium & auxilio destitutorum, adiutrix, solatium & gaudium mundi, omnium salus*, quatenus nimirum nobis Saluatorem peperit & precibus conciliat, & exemplo ad illum perducit, vt merito hortatur S. Bernard. homil. 2. super Missus, *vt in tentationibus, tribulationibus, periculis, reb. dubiis, ad illam tanquam è procellis & furibundo mari in portum & è discrimine in Asylum confugiamus*, & illa possit tanquam mater Dei, & velit tanquam mater misericordiæ & caritate abundans omnib. opitulari, Illud tamen est certum, q̃ suis laudatorib. cultorib. imitatorib. majorẽ beneuolentiam opemq́ue impertiat: vnde & supra memorato loco S. Bernard. *Vt impetres*, inquit, *eius orationis suffragium, nos deseras conuersationis exemplum.*

In quacunque tempestate perfugiũ in portum Deiparæ.

Dei parentis precatio & auxiliũ ipsius imitatoribus promptum.

§. Hanc ter benedictam Dei suamq́ue Matrem, vs quotidiano honorent Rosario siue Corona, valde & decorum est clericis & vtile: neque enim illa vnquam patitur sibi cultum vel frustra adhiberi, vel sum auxilium implorari, quod optime demonstrat eximius ille Deiparæ cultor & mellifluus Doctor S. Bernadus sermon. 1. de Beatæ Mariæ Assumptione: *Aduocatam, ait, præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam Iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. VIRGO beata*

Efficacissimum Deiparæ patrocinium.

beata dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est: demq; mater est vnigeniti filii Dei. Nihil n. sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest, omnino in affectum caritatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est caritas nouem mensibus corporaliter requieuit. Argumentum S. Bernardi iſtud eſt: quod quis vult & poteſt, id facit ſanctiſſima Virgo, ſuis clientibus & cultoribus vult ſubuenire, quia mira & ingenti caritate abundat, & poteſt per filium nihil matri abnuentem, certò itaque opitulatur. *Qui vult & potest certò operatur.*

§. Quid quod ipſe Matrem ſuam honorandi prægnantes cauſas præbuit, eamq; ſuam mentem eſſe & ſententiam clariſſime declarauit? Non meis id verbis ſed S. Bernardi rurſus demonſtrabo. Is ſermon. in Nativit. B. Mariæ loquitur. *Altius intuemini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, & proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delitiis affluens Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere (hoc est Christum) voluit per Mariam, hæc inquam eius voluntas est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad solia fugiebas:* Geneſ. 3. v. 7. *Iesum dedit tibi Mediatorem, quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtiq; pro reuerentia sua* Hebr. 5. v. 7. *Pater enim diligit Filium,* Ioan. 3. v. 35. *An vero trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, vt misericors fieret,* Hebr. 4. v. 1. *Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso* *Dei filius honorē haberi vult matri. Deiparam. Animitus colenda sanctiſsima virgo. Asylū Deipara. Deiparæ Christum nobis fratrem præſtitit.*

ipso Maiestatem vereare diuinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen DEVS. Aduocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre: Pura siquidem humanitas in MARIA, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum Scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audiri aut non audire filius potest? Neutrum plane. Inueniſti, ait Angelus Lucæ 1. versic. 30. gratiam apud DEVM: Fœliciter semper hæc inueniat gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, inuenit, & frustrari non potest. Denique monet vt quicquid Deo offerre paramus gratissimis illis & omni acceptione dignissimis manibus tradamus & commendemus, vt & repulsam non patiamur, & eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit.

Qui Deiparam Cynosuram sequitur, in portu naufragat.

Omnia nostra instituta beatiss. Virgini cõmendentur vt per eam Deo offerantur.

CAP. XXIII.

DE TVTELARIVM DIVORVM Patronorum ac Angelorum custodum veneratione.

§. COnvenit & decet Dominos Ecclesiasticos suæ diæcœsis & Ecclesiarum, in quibus beneficia possident, patronos cultu quodam præcipuo & honore prosequi. Etsi enim *Sancti omnes de sua felicitate sint securi, & de nostra Salute adhuc solliciti, vt loquitur de Mortalitate Sanctus Cyprianus*: & proinde suffragium nobis pariter ferant, & auxilium, credibile tamen, benigniores esse in illos, quibus à Deo salutis aucto-

Sancti nostram accurant salutem.

auctores fuerunt, & vbi sacra illorum lipsana requiescunt, & à quibus crebrius inuocantur, & religiosius coluntur.

§. Quo fit vt & id loci plura ac majora per illos miracula Dei potestate patrentur, & potiora beneficia præstentur: sensit hoc Beatus Leo Magnus Sanctos Apostolos Petrum & Paulum præ alijs fidelibus fauere & patrocinari Romanis, quod & eos præsentes docuissent, & eorum ibi corpora requiescerent: Sic n. ille loquitur Serm. 1. *in illorum Apostolorum Principum Natali. Si vt & nos experti sumus, & nostri probauere Maiores, credimus atq; confidimus inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos peculiarium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.* Et serm. 2. *de iisdem Apostolis*: *Beatus*, inquit, *Petrus Apostolus pro nobis orare non cessat, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbiq; protendit: quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro eadem, qua præsedit carne requiescit?* Qua ratione dixit & Sanctus Ambrosius l. de Viduis. *Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore, patrocinium vindicare. Sanctus Maximus serm. de SS. Octauio, Aduentore & Statore*: *Cuncti*, inquit M.C. *Martyres deuotissime percolendi sunt, sed ii præcipue veneranda sunt à nobis, quorum reliquias possidemus*: Illi enim nos orationibus adjuuant, isti etiam adjuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hic, ne nos peccatorum labes assumat, ibi, ne inferni horror inuadat. Idcirco & Apostolus hortatur Christianos, vt Apostolos & discipulos Domini, qui eorum Doctores

Pio Sancti affectu plus suis fauent quàm alienis.

& rectores fuerunt, ſuſcipiant, in honore habeant & eorum piæ vitæ & morum felicem exitum ob oculos proponant, ſicut diſcipuli ad primum exemplar picturas ſuas conferunt & fidem virtutemq; æmulentur: *Mementote*, inquit, Hebr. 13. v. 7. *Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem.*

§. Et ſi illi Sancti nobis obſeruandi colendiq́ue ſunt ob præſtita præſtandaq́ue beneficia, ob virtutis excellentiam, quanto juſtius ſancti angeli noſtri præſides, tutores, conſeruatores venerandi, cum majora & plura ab ijs partim acceperimus partim accepturi ſumus beneficia, quàm à reliquis cœlitibus? Illi ſunt potentiſſimi, ſapientiſſimi, optimi ſpiritus, quibus mandauit Deus, vt cuſtodiant nos in omnibus vijs & inſtitutis noſtris: & idcirco ſua intelligentia & voluntate, ſua ſapientia & potentia quaſi quibuſdam manibus nos portant, ne affectuum noſtrorum præſertim timoris & amoris impetu ad ſalutis impedimentum tanquam pedib. ad lapides offendamus, ne amore temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali euadendi in peccatum labamur, & ſic æternum bonum amittamus, & ſempiternum ſupplicium incurramus, vt tradit Regius Vates Pſal. 60. & S. Baſilius Magnus commentario ſuo in Pſalm. 33. exponens verſum *Immittet Angelus Domini* (ſiue caſtra metabitur) *in circuitu timentium eum. Omni*, inquit, *in Chriſtum credenti Angelus aſsiſtit, niſi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus. Velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit, ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem abigit multa lachrymarum aſpergine dignum ac graueolens peccatum. Si enim in anima tua ea, quæ ſunt dignæ Euangelica cuſtodia, habueris, mens item in te opulentum fixerit domicilium per multimodam veritatis contemplationem, perq́ue præclara opera, quæ ſecundum virtutem geſſeris, tibi*

Angelis præſertim cuſtodib. noſtris ſingularis veneratio adhibenda.

Suus cuiq; præſto eſt Angelus.

tibi adfuerit, neceſſe iam ſit, vt te propter tutores, præſidales q̃ cuſtodes, qui tibi aßiſtant, collocet Deus. Conſidera igitur quanta ſit Angelorum natura: quoniam vniuerſo Exercitui, & caſtris numeroſæ hominum multitudinis, vnus aßimulatur Angelus. Ob magnitudinem ita q̃ eius qui te cuſtodit, caſtra tibi munitiones q̃ præbet Deus: propter vero Angeli virtutem, veluti circumuallat te vndiq́ ſecuritate, quæ eſt per illum. Hoc nam q̃, in circuitu, ſignificat. Sicut enim muri ciuitatis circumducti omni ex parte abarcent propulſant q̃ hoſtiles inſultus: ſic & Angelus te præmunit, à fronte & à tergo cuſtodit, & nihil vtrinq̃ incuſtoditum relinquit. Propterea inquit: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit, nec plaga quidem ab vllo tibi infligetur inimicorum: quoniam Angelis ſuis mandauit de te.

§. Ex ijs quæ hactenus à capit. 19. docuimus, euidens eſt, male ſenſiſſe Lutherum in libris ad Waldenſes, Caluinum libr. 1. Inſtit. cap. 14. §. 12. & libr. 3. cap. 20. §. 20. & ſeqq. cum affirmant non modo inutile, ſed & illicitum eſſe opem Sanctorum implorare. Secuti ſunt Vigilantium, vt habet S. Hieronym. L. contra eum, Henricianos & Apoſtolicos, vt eſt apud S. Bernardum ſermon. 66. in Cant. Waldenſes, Catharos, & alios ouo prognatos eodem. Nunc quid ad Dei honorem propriamq́ ac proximi ſalutem clericis dies in ſingulos agendum, diſtinctè & ex ordine exponamus.

CAPVT XXIV.

A DEO, SANCTIS COGITATIONIBUS, desideriis ac precibus diei sumant initium Ecclesiastici.

Propitio Numine cuncta res inchoanda.

§. ADEO omnium rerum primordia ducant, & in eum vniuersa sua instituta & negotia, vt in finem dirigant; ille enim primus est & nouissimus, principium & finis Isaiæ 41. v. 4. & cap. 44. versic. 6. Apocal. 1. v. 8. & 17. Sanctus Gregorius Nazianzenus sui Apologet. exordio: *Quisque*, inquit, *vel orationem aliquam vel negotium auspicatur, non alium meliorem commodioremq; ordinem tenere potest, quàm vt à Deo incipiat & in Deo conquiescat.* Plato in Timæo ait: *Omnes qui quomodocunq; mentis compotes sunt, in operis cuiuslibet vel magni vel parui exordio Deum inuocare solent.* Quod & Demosthenes in princ. epistolarum, & ex eo Tullius l. 2. de legib. ait, *A Deo immortali sunt nobis agendi capienda primordia.* Itaq; vel maximè diem à Deo auspicentur & expergefacti, suam in illum mentem referant, & cogitationes pias tanquam primitias offerant, & illi se precibus commendent. *Vir enim sapiens & iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur:* Vt ait Eccles. c. 39. v. 6. 7. Ad quod exhortatur Deus per Hieremiam Thr. 2. v. 19. *Consurge lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Pollicetur & Deus Prou. 8. versic. 17. 18. *se talibus propitium ac benignum affuturum. Ego*, inquit, *diligentes me diligo & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia*: id est, Qui impertita sibi à me caritate piam affectionem studium-

Dies à Deo initium capiat.

Iustus primo mane expergefactus mente & precatione se ad Deum suũ conuertit.

Deus illos qui prima diligentes me diligo & qui mane vigilant ad me, inuenient me. eum luce colunt, amat & seruat.

studiumque erga me ostendunt, hos & ego magis atque magis diligam, & donis meis cumulabo. Et qui mane ante alia negotia vigili pietate me quæsierint, reperient me clementem & beneficum, & vnà mecum consequentur diuitias & honores persæpe temporales, nunquam autem non sempiternos: ego enim infinitus sum bonorum omnium thesaurus.

§. In piorum vigilum numero erat Isaias, qui cap. 26. v. 8. 9. sic Deum alloquitur: *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio anima. Anima mea desiderauit in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Quemadmodum auicula laqueo expedita mox in altum subuolat, ita Rex Dauid somno solutus animum, cogitationes & desideria sua erigebat in Deum Psalm. 5. v. 4. *Mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi & videbo, quoniam non volens iniquitatem Deus tu es.* Summo mane antequam alijs loquar, te Domine precabor, & contemplabor te peccati osorem & virtutis amatorem, vt per diem hanc secter, illud fugiam Psalm. 54. v. 18. *Vespere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Tribus istis diei temporibus oratione coram Deo & meas miserias proponam & illius bonitatem dilaudabo, & me voti compotem efficiet. Quod fecit & Daniel c. 6. v. 10. *Daniel*, inquit Scriptura, *tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat confitebaturq; coram Deo suo.* Et Ps. 58. v. 17. *Exaltabo mane misericordiam tuam.* Id est, primo quoque tempore, ante omnia alia negotia exultans laudabo bonitatem tuam, qua liberasti nos. Ps. 87. v. 14. *Et ego ad te Domine clamaui & mane oratio mea preueniet ad te.* Plura afferri possunt testimonia de S. Dauide, sed illis prætermissis vnum adhuc audiamus. Psal. 62. v. 1. 2. 7. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea quam multipliciter caro mea. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia*

Primo Deū diluculo implorantium exempla.

fuisti adiutor meus. Id est sub auroram, in matutino crepusculo, quamprimum oculis corporis hanc lucem conspicio, pariter & oculos mentis ad te spiritalem & æternam lucem conuerto, & non ad mundi opera, sed ad te Deum meum vigilare incipio. Id autem idcirco fit, quia anima mea admirabili tui desiderio & amore flagrat, te vt cibum & potum suum, vt lumen & gaudium suum, vt bonorum omnium fontem concupiscit. Et animi ardore inflamata caro, sicut terra arida pluuiam sitire dicitur, ita & ilia multis miserijs obnoxia multis modis ad te liberatorem suum anhelat. Et si profunda nocte adhuc in lectulo quiescens nequaquam tui memoriam deposui, multo magis clara die & appetente aurora de te cogitabo, considerabo potentiam & majestatem tuam & gratias agam pro ope, gratia & beneficentia mihi præstita.

Quamobrẽ primo diluculo precandum.

§. Manè orandum est, teste Sancto Cypriano de *oratione Dominica, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Adde ex Sancto Chrysostomo hom. 41. ad pop. Antioch. Vt sine periculis animi & corporis diem traducamus. Adde vt pro transacta feliciter nocte gratias agamus, & affluentem Dei beneficentiam impetremus. *Oportet,* inquit, *Salomon,* Deum alloquens, Sap. 16. vers. 28. *præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

Gentiles cũ prima luce Deos precari & tũc Christianus Deum non inuocabit?

§. Etenim *si gentes quotidie cum è somno surrexerint,* ait S. Clem. l. 2. Apostol. Const. c. 50. *ad idola properant colenda, & ante opus actionemq; omnem eis primum preces adhibent. Si inquam perditæ gentes ea, quæ nihil eis prosunt, frequentãt, quid tu Domino excusabis, qui ab ecclesia eius absens, qui n egentes quidem imitaris? Imò quia abes, ideo te desidiæ dedis,* (in studio virtutis) *aut apostasiæ, aut maleficio. Ecce desidia frequentius adeundi templum quales pariat fructus?*

Ab apostolorum temporibus mos Deum manè implorandi.

Hanc primi Christiani cõsuetudinẽ mordicus tenue-

re, de

re, de quibus *Philo in lib. de vita contemplatiua. Quotidie,* inquit, *bis precari solent, mane & sub vesperam: oriente sole petentes diem vere felicem, vtque mentes eorum cœlesti repleantur lumine,* &c. *Tertullianus in Apologia capite secundo. & Plinius libro decimo, epistola* 97. Primos Christianos testantur antelucanos ad DEVM laudandum iniuisse cœtus. *Valerius Maximus lib. de primo cultu Deorum. Apud Romanos,* inquit, *sacris imperia seruiebant, existimabant enim summam felicitatem sequuturam, si deos sibi propitios facerent: sic Scipio Africanus antelucanis horis in templum Iouis, cuius filius creditus est, se contulit, fruituſque Deorum colloquio & salutaria Reipublicæ contemplatus, in senatum ascendit.* Sabel. *lib. 2. cap. 4. Virg. A Ioue principium. Phocilides Inprimis venerare Deum. Pittacus. Ante omnia cole numen.* Quo pertinent illorum dicta: *Adsit Deus beatus, felix, propitius. Deo præeunte nullus officit obex, Deus vndique iuuat, si modo propitius.*

CAPVT XXV.

MATVTINA SALVTARIVM rerum contemplatio Clericis longe vtiliſsima.

§. PRIMÒ mane, si oportunum fuerit, aut alia vsi commoditate, aliquod piæ meditationi tribuant tempus, Regium imitati Vatem, qui ait *Psalmo quinto, versiculo primo, secundo, tertio, quarto, sexto, septimo. Verba mea auribus percipe* DOMINE, *intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ Rex meus &* DEVS *meus.* Rogat vt DEVS sit exorabilis, facilis, & precibus suis propitius, eiusque rei causam subiungit: *Quoniam ad te orabo* DOMINE: *mane exaudies vocem meam.* Quoniam ait mea potiſsima occupatio, erit oratio. Neque hoc præcipuum meum studium, sed

& primùm ante omnia alia opera à me frequentandum, à quo conuertam me ad meditationem. *Mane astabo tibi & videbo* (cõtemplabor ex Hebræo S.Hier.) *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* In matutino illo silentio antequam in animum meum vacuum turba irruat negotiorũ sistam me diuino conspectui tuo, & accurate considerabo quantus osor & hostis sis ac vindex peccati, quantus amator & remunerator innocentiæ & iustitiæ, & proinde hanc per diem & omnem vitam meam complectendam, illud verò odio habendum, & omni contentione fugiendum, &c. Idẽ S. Propheta Psal. 118. *Præueni*, inquit, *in maturitate & clamaui, quia in verba tua superspe raui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia.* Quod S. Hier. ex Hebræo vertit. *Surgebam adhuc in tenebris, & clamabam, verbum tuum exspectans. Præueniebant oculi mei Vigilias, vt ditarer in sermonibus tuis.* Et *in comment. idem S. Hier. Non eum lux soporatum reperit, sed vigilãtem strenue, & circa diuina eloquia oculorum spiritalium intentione meditantem.* Rursus Psal. 76 v. 4. 5. 6. 11. 12. *Anticipauerũt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus*, id est, Nocte surgebam ad meditandum, & ex meditatione miserię & periculorum huius vitæ perturbatus sum, obticui tamẽ sciens iudicia Dei occulta sæpè, iusta semper. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Expendi animo huius vitæ spatia, & quæ in illis eueniunt, quãuis omnia etiam, cum longissimo tempore durauerint, antiquentur, labantur, intereant, & æternitatis stabilitatem, in qua omnia eodem in statu permanent, attente consideraui. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & excitabar, & scopebam spiritum meum* (ea consideratione solidas noctes transmisi, & mecum discurrendo, quasi quibusdam cogitationum scopis verrebam animum meum) *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis* (potentiæ

Quæ S. Dauidi meditationis materia.

tiæ & sapiẽtiæ, iustitiæ & misericordiæ, naturæ & gratiæ) *& in adiuentionibus tuis exercebor* (mente agitans & admirans arcana consilia, quibus humanum genus & res vniuersas administras. Ista S. Rex Dauid.

Præstantissimæ meditationis vtilitates.

§. Sacra inter salutis nostræ & spiritalis profectus adiumenta promptissimum & efficacissimum est meditatio, quod ex ipsius effectis & fructibus quos enumerat *S. Bern.* meridiano sole clarius est. Is igitur *l. 1. de consid. c. 7. primum quidem, inquit, ipsum fõtem suum, i. mentem de qua oritur, purificat consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, cõponit mores, vitã honestat & ordinat. Postremo diuinarũ pariter & humanarũ rerũ scientiam confert, &c. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectũ aut correctione egẽs. Hæc est q̃ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi nõ sentit, quorũ alterũ fortitudinis, alterũ prudẽtiæ est.* Ist S. Ber.

Proborum ab improbis discerniculũ meditatio.

§. *Salom. Prou.* 28. v. 5. inter improbos & probos hoc discrimen constituit, q̃ improbi malitia & cupiditate cœcati & occupati, nec seuerum Dei iudicium, nec q̃ æquum & iustũ est considerent, probi verò quia Deũ timent offendere, & se illi vni probare desiderant, & iustitiam Dei & omnia ad salutẽ necessaria diligenter cõtemplantur. *Viri*, inquit, *mali non cogitãt iudicium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.*

Meditationis materia & fructus.

O quã pura & sancta esset nostra clericorũ vita, si sæpè & seriò cõmentari, existimare, & ponderare velimus: Vnde simus, è nihilo scil. qui simus, nẽpe homines repleti miserijs & peccatis, puluis & vmbra, creati tamẽ ad imaginem & similitudinem Dei, & ad æternam felicitatem, Dei gratia & operâ nostrâ consequendã: quo tendamus, & qua tendamus, hoc est, ad quem exitũ ducat via, qua gradimur, mores quos sequimur, ad cœlitusne vel ad inferos. Quot nominibus & causis diuino obsequio obstricti simus, quã caduca, incerta, & fallacia sint mundi bona, quam cõstantia, sincera, eximia,

eximia ſpiritalia & cœleſtia bona, quanta pulchritudo, iucunditas, merces virtutum, quanta turpitudo, angor, pœna vitiorum, quam inopinata certa & imminens mors, quam formidabile iudicium Chriſti, quam inferorum ſupplicia multa, magna, intoleranda, perpetua, & id genus alia, qui animo agitaret, de ſpatio curriculoq; virtutis non deflecteret: rectiſſime enim *Eccleſiaſt.c.7.v.40. In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

§. *S. Aug. de Gen. contra Manich. c. 18. Nihil ſic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Et rurſus: *S. Aug. ſer. 120. de tempore: Irremediabile periculum eſt, ſic aliquem vitiis & cupiditatibus fræna laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Puto, quia magna ſit iam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidiſſe iudicii. S. Chryſ. hom. 2. in 2. Theſſ. Si earum legum, quæ in hoc ſæculo poſitæ ſunt, tantum poteſt metus, vt à malis nos actibus cohibeat: multo magis poterit hoc recordatio futurarum, ſupplicium immortale, pœna ſempiterna.*

Contemplatores mundi non contemplantes, immundi.

§. Animalia nõ ruminantia in lege, *Leuit. 11. & Deut. 14.* immunda erant, & tam ad veſcendum, quam ſacrificandum inepta. Ruminare dicuntur animalia, quæ cibum iam deuoratum è ſtomacho ad os reuocant, ac remandunt, rurſumq; deglutiunt. *S. Aug. in Pſ. 141. Admonemus caritatem veſtram, vt ea, quæ audiendo tanquam ventre memoriæ conditis, rurſus reuoluendo & cogitando quodammodo ruminetis. Hoc eſt enim theſaurus deſiderabilis, requieſcit in ore ſapiẽtis, vir autem ſtultus glutit illum. Proverb. 21. v. 20. Breuiter dixit: Sapiens ruminat, ſtultus non ruminat. Sapiens cogitat ea, quæ audierit; ſtultus autem audita obliuioni tradit. Neq; n. propter aliud in lege munda ea dicta ſunt animalia, quæ ruminant, immunda quæ non ruminant. Nã creatura Dei omnis munda eſt. Artifici Deo tam mundus eſt porcus quam agnus; Creauit n. omnia valde bona, Gen. 1. v. 31. Et omnis creatura Dei bona eſt, dicit Apoſt. 1. Tim. 4. v. 4. Et omnia*

omnia munda mundis, Tit. 1. v. 15. Cum ergo in natura vtrumque sit mundum, Significatione tamen Agnus significat aliquid mundum, porcus significat aliquid immundum. Agnus significat innocentiam sapientiæ ruminantis, porcus significat immunditiam stultitiæ obliuiscentis Ita sapienter S. Aug. qui eadem habet *hom 35. ex 50. in fine, & 45. in princ. S. Greg. in c. 7. v. 9. Cant. In lege,* ait, *scribitur, quia animal, quod non ruminat immundum habetur: quia quisquis bona, quæ audit, siue legit, nō recogitat vacās à sanctis cogitationibus, necessario immundas congregat. Animus Christianus, qui Christi beneficia non ruminat, non recogitat, non masticat, non ponderat & expendit, non imis reponit sensibus, impurus est coram Deo, nec homines adificat aliquo bono opere, nec Deo sacrificium offert vllo spirituali officio.*

§. Eiusmodi meditatio 1. à contractis peccatorum sordibus, quasi quibusdam scopis animum expurgat, & quasi Euangelica mulier perditam cœlestis gratiæ dragmam domū euertendo quærit & recuperat. *Luc.* 15. *v.* 8. *Psal.* 76. *v.* 1. *vsq; ad* 13. *v.* 6. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar.* (cogitando ac mecum discurrendo) *& scopebam spiritum meum*, quasi scopis cogitationum versabam, agitabam, scrutabar, fodiebam, *Luc.* 15. *v.* 17. *In se reuersus*, &c. 2. Arcet Meditatio à vitiis & impendentia prohibet flagitia. *Eccl.* 7. *v.* 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* 3 Meditatio aperit homini Dei voluntatē. Hinc *Dauid Psal.* 84. *v.* 89. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Vide *Bellar. & Psal.* 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* 4. Mirificam animo affert quietem, & tranquillitatē, quam vt assequeretur *Dauid*, exoptabat *Psal.* 54. *v.* 67. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ & volabo, & requiescam: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Per pēnas*, inquit *S. Greg. hom.* 3. *in Ezech. contemplatio, qua super nos ipsos tollimur, exprimitur, quia pēnis auium corpora in altum* *Meditationis fructus, & 1. quidem quod peccatorem ad vitæ emendationem excitet.*

2. Meditationis fructus quod imminentia auertat peccata.

3. Dei manifestat voluntatem.

4. Solatium & gaudium animi.

suble-

subleuantur. Hæc cõtẽplatio est dulcis somnus, ex quo sponsam suam excitari prohibuit cælestis sponsus *Cãtic.2.v.7. Sap.6.v.16.* 5. Meditatio ineffabili mentem dulcedine perfundit. *Hoseæ 2.v.14. Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* i. abiungam à rebus caducis, quod ne ægrè ferat blandissime & suauissime illam cõsolabor. *Vbi thesaurus ibi cor.* hinc *Apostol. Philip.3. Nostra conuersatio in cœlis est, vnde & Saluatorem exspectamus.* Et *Colloss.3.v.12. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram,* &c. 6. Meditatio mirum in modum accendit Dei caritatem, religionem & obsequium, nam, vt ait *S.Th.2.2.q.8.2.ar.3.* voluntas oritur ex intelligentia teste *S.Aug.l.14.de Trin.c.8.* & amor Dei ex contemplatione bonitatis ipsius, ex amore autem sic, vt quis se totum in amati tradat obsequiũ, quæ est vera deuotio. Hinc eximius ille contẽplator. *Psal.38.v.4 Concaluit cor meum intra me, & meditatione mea exardescit ignis.* 7. Meditatio ingentes bonorũ operum, virtutum, meritorũ, cælestium præmiorum fructus producit, q̃ prorsus persuauissimum habere debemus, si sanctiss. Vati Dauidi aut potius Spiritui S. per eũ loquenti fidem adiungere velimus, sic verò ille *Psal.1.v.1.2.3. Beatus vir, cuius in Domini lege voluntas est, & in lege eius meditatur die ac nocte, & erit tanquã lignum quod plantatum est secus decursus aquarũ, q̃ fructum suum dabit in tẽpore suo.*

Contemplatio diuini amoris inflãmatio.

Meditatio cunctorum ferax bonorum.

§. Hæc meditatio magno vsui est omnibus, sed potissimùm Ecclesiasticis quod præclarè ostẽdit *S. Amb. in Psal.118.ser.10.in v.77. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio est. Cui lex Dei meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ, vt viuat in æternum. Quomodo enim beatus quis potest esse sine miseratione diuina? Beatus autem, qui in Domini lege die ac nocte meditatur. Sed, qui meditatur in lege, eruditur in lege: & quem lex erudierit, Dominus erudit, qui locutus est legem. Ideoq; scriptũ est Ps.93.v.12. Beatus*

Miseratur Deus legem suam meditantes.

tus quẽ tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eũ. Discamus ergo, & nos in lege meditari, non auocemur sæcularibus illecebris, non occupemur impedimẽtis, sed semper ad legem simus attenti. Scriptum est enim Ps. 36. v. 20. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciũ, lex Dei eius in corde ipsius. Hoc in veteri testam. Audi dicentem in nouo, Rõ. 10. v. 8. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Et maximè hanc meditationem sacerdotib. necessariam ostendit, ad Tit. scribens 1. v. 9. Quia debet Episcopus amplecti eum, qui secundũ doctrinam est, fidelem sermonẽ, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Quod vtiq; solicitæ atq; intentæ meditationis est, nõ perfunctoriæ lectionis. Et ad Tim. 1. c. 4. v. 13. scribens, ait: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur. Animo aũt meditatione ac precatione cõposito per diem diligenter in actiones suas pius clericus animaduertat, vt & vitia, quib. obnoxius est, extirpet, & virtutes inchoatas perficiat, postmeridianum cũ antemeridiano tẽpore, diem cum die, mensem cũ mense cõferat. S. Bas. ser. de abdicat. rerum ad finẽ: Quæ singulis, inquit, diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora, & cum ijs, quæ feceris pridiè conferto: studioseq; operam dato, vt melior in dies magis ac magis existas. Processũ in virtutibus facito, vt hoc modo angelis efficiare propinquior.

Meditatio sacerdotib. necessaria.

Veritatis doctrinæ falsitatis confutatio meditationis partus.

CAPVT XXVI.

ADITVS ET IN TEMPLVM INTROITVS sit clericis valde religiosus.

Hoc agẽdum a gis præsertim in rebus diuinis.

§ TEmplum ingressuri eximiã quãdam diuini Numinis reuerentiã in se metũq; cõcitent, & vniuersas seculi curas ex animo deponant, totãq; mentẽ ad Dei maiestatẽ cultũq; defigant: tanquam omnium maximũ tractaturi negotiũ. Cum Aaron eiusq; successores, ait Isidor. Pelusiota l. 1. ep. 45. in tẽplum sacrificij causa ingrediebantur, laneis omnibus vestibus abiectis, vestimenta ex lino contexta induebãt; arcani aliquid continentes, atq; illud significantes, tis symbolũ.

Cur veteres sacerdotes lineis vsi in sacrificio. Exod. 28. v. 39. 40. Linũ puritatis symbolũ.

ficantes, externos tumultus tum de memoria deponendos esse. Nã qui rei sacræ causa ad Deum accedit, nihil alienũ nec vllam rerum ex malitia constantium sarcinam secum afferre debet.

Non modo Deus, sed & sacra ipsa & des reuerenda propter inhabitantem Deum. Præcipuè Deus est tibi pura mente colendus.

§. Hinc vt insigni reuerentia sacram adirent ædem præcepit Deus *Leu. 19. v. 30. Sanctuarium meum metuite, Ego Dominus*, ait *Deus*. Metuite ne impure & irreuerẽter accedatis. Et iterũ. *Pauete ad sanctuarium meum. Ego Dominus, Leu. c. 26. v. 2.* decẽter & religiose illud habete. Si nostrum sanctuarium cum vetere & vmbratili illo contulerimus, intelligemus quanto tremore & veneratione ad illud sit nobis accedendum.

§. *Exod. 30. v. 18. 19. 20. 21. & Exod. 40 v. 28. 29. præcepit Deus, vt Moses æneum faceret labrum, vt in eo Aaron & filii eius manus suas ac pedes lauarent ingressuri in tabernaculũ testimonii. Quid hoc?* nisi vt tam sordida facta, quã prauos expurgarent affectus Deo cultũ adhibituri? *S. Greg. ho. 17. in Euãg. Labrum æneum*, inquit, *Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei prius nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandum secretorum Dei arcanorum mũditiam nõ sit indigna.* Hinc & sacerdotes in Missa lauant manus: siquidem *illotis manib.* (& magis mentib. pollutis) *sacra tractare est nefas, vt ait Hesiod.* Et olim id Christiani fecêre, vt ablutione manuum internæ puritatis admonerentur; Hinc & *Tertul. l. de orat. c. 11. Quæ*, inquit, *ratio est, manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare?* Quod & vsitatum gentilibus: Vnde *Tibullus l. 1. elog. 2.*

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Loco huius aquæ pro Ecclesię foribus ad purificationem olim positæ, de qua Euseb. lib. 10. cap. 4. nunc ad templi ingressum ponitur vasculum aquæ lustralis leuium peccatorum expiatricis.

§. *Eccles. iast. 4. v. 17. Dei domum ingrediens, custodi pedem tuum; & appropinqua, vt audias. Multo enim melior est obedientia*

entia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. Commendat reuerentiam, metum, pietatem intrantibus in Ecclesiam, Basilicam, oratorium, templum, vtq; ibidem inter alia religionis officia attentis auribus & mentibus Dei incipiant verbum: quia multo melius ac salutarius est, diuinę voluntati ac legi obtemperare, quod nō potest nisi qui eam cognouerit, quā externa facere & immolare sacrificia: quod omnes possunt impij & stulti, quos doceri maximè esset necessarium. *Chaldæus: Tu fili hominis custodi pedes tuos (affectus à prauis desiderijs) in tēpore quo ieris in domum Sanctuarii, ad adorandum, ne venias eo plenus peccatis ante Dominum, quoad conuertaris. Et esto admouens aurem tuam ad excipiendam doctrinam legis à sacerdotibus & sapientib. & ne fueris, vt stulti, qui offerunt munus pro peccatis suis, & non conuertuntur ab operibus malis, quæ apprehendūt manibus suis, & non est ipsum acceptum in beneplacito: quia ipsi nesciunt facere in eis bonum & malum.* Hoc & significauit Dominus Moysi *Exod. 3. v. 5. & Iosuæ 5. v. 15.* Vbi vtrique præcipit: *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* Jussus vterque calceos exuere, vt reuerentiam exhiberent diuinæ maiestati, quæ eo loco se præsentem declarabat, & magna animi submissione ac veneratione ad perspiciendum indidem Dei oraculum accederent, & ꝙ omnis tunc prauus actus & affectus deponendus, & non resumendus, vt serpentes faciunt venenum ad tempus euomendo, & post resorbendo, & vt canes ad vomitum reuertendo.

Emendādæ vitæ propositio ad S. ædē accedendū.

§ *Ego in multitudine misericordiæ tuæ,* ait *Dauid Ps. 5. v. 8. Introibo in domum tuam, adorabo ad templū sanctum tuum in timore tuo.* Hoc est: Fisus non operatione mea, sed bonitate tua, domum tuam Domine, quæ domus orationis est, ingrediar, & abiiciam prosternamq; me coram tabernaculo tuo, timens q;, ac tremens beneuolētiam ac opē tuam suppliciter implorabo. *S. Ioan. Chrysost.*

S. Dauid in Dei æde reuerentia.

Qui Regiæ, minimum habeatur & honos Ecclesiæ.

Chryſ. hom. 15. in epiſt. ad Hebr. In aulam, inquit, regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cunctis alijs cõponis, & ornas temetipſum, in Eccleſiam aũt ingreſſurus, vbi vere eſt aula regia, & talis, qualis cœleſtis eſt, rides? & tu quidem, ſcio, quia non vides. Audi tamen, quia angeli præſentes ſunt vbiq; & maximè in domo Dei aſtant regi (Chriſto in Euchariſtia) & omnia plena ſunt incorporeis illis virtutib. Idem S. Ioan. Chryſ. qua animi puritate & præparatione veniendum ſit in Eccleſiam, exponit hom. 52. in Matt. In nõnullis, inquit, Eccleſijs hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi ſtudeant, quomodo manibus loti; candidis induti veſtimentis in Eccleſiam ingrediantur, quomodo autem animam atq; mentem ſuam puram atq; defecatã offerant Deo, nullam prorſus habent curam. Hæc dico, non quia lauare eos, aut manus prohibeam, ſed quia non ſolum aqua lauare os velim, verum etiam, vt æquius eſt, omni virtutis numero. Sordeſcunt quippe manus homicidio, cæteriſq; operationib. prauis; os autem maledictione, blaſphemia, contumelia, verbis iracundis atq; obſcœnis, diſſoluto riſu atq; ſcurrilitate. Si ergo nullius horum tibi conſciuſes, neq; his maculis obſcœnus, ingenti accede fiducia: ſin autem millies his ſordibus te deturpaſti, cur incaſſum laboras? cur os atq; linguam diligenter lauas, perniciоſam vero atq; peſtiferam maculam ipſorum non abſtergis? Sic diſpoſiti atq; affecti ad regem accedamus, & ad genua eius procidamus, non corporis ſolum, verumetiam multo magis mentis atq; animi figura. Veniat nobis in mentem, quem adire conſtituimus, & pro quibus & quid facturi adimus, quem Seraphim aſpicere nequeunt, Iſa. 6. v. 2. quem terra contremiſcit. Pſal. 17. v. 8. qui lucem inacceſsibilem habitat. 1. Tim. 6. v. 26. Adimus autem vt nos à tormentis gehennæ vindicemus, vt peccatorum indulgentiam impetremus, vt intolerabiles pœnæ diſſoluantur, vt cœlos, & quæ ibi ſunt, bona conſequamur. Cõcidamus igitur tam corpore, quam mente, vt ipſe iacentes nos erigat, oremus humiliter & manſuete. Hæc S. Chryſ.

Angelis inſeſſum templum.

Lotio & veſtium cãdor olim in vſu.

Non tã puritate corporis, quam animi ad Deũ accedẽdum.

§ Verè ſi iſtæ & ſimiles cauſæ templum adeundi ſuis ponde-

ponderibus & momẽtis examinarentur, præcipuam animis religionem inijcerent. Non omittenda hic *S. Hier. lib. aduersus Vigilant c. 4.* confessio. *Quando*, ait, *iratus fuero; & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phãtasma deluserit, basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertremisco.* Ista S. Hier. At nunc libidinum sordibus & grauissimis sæpè scelaribus contaminatissimi, & quidẽ sacerdotes in templa, in Dei sacraria, in ipsa altaria sine vlla diuini Numinis reuerẽtia irrumpunt. Adeant sane sordidi & flagitiosi templum, sed vt ibi scelera sua detestentur, cõfessione & lacrymis eluant, salutifera remedia accipiant. Consulat lector increpatoriam S. Hier. epist. 58. ad Sabinian. diaconum. Julianus Imperator impius Christianæ religionis desertor idolorum fanis, & inanium deorum ac dæmonum delubris magnum honorem haberi voluit: siquidem hanc legem sanciuit: *Cum in templa venerint magistratus, intra ianuas nemo præcedat eos militum, aut præcedentium officiorum, sed qui voluerit, subsequatur. Quam primum enim magistratus solum delubri attigerit, priuatus redditur. Ista Niceph. lib. 10. ca. 22. & Tripart. l. 6. c. 29.* Quanta ergo submissione & modestia principes Catholici & Ecclesiastici vnius veri Dei tẽplum ingredi debent? Illud etiam clerico templum ingressuro seruandum; quod habet *Concil. Basil sess. 21. Horas canonicas dicturi cum tunica talari, ac superpellicis mundis, vltra medias tibias longis, iuxta temporum ac regionum diuersitatem, Ecclesias ingrediantur.* Nunc causæ & rationes exponendæ, cur eximia semper pietate Clericis degendum sit in templo, illudque decenter ab ijsdem exornandum.

Quid ad hoc iras plũ beas gerentes, scelera tißimas cogitationes voluentes, & in libidinum sordibus volutãtes Clerici? vbi Dei fulmen? Quod differtur, nõ aufertur. Vt porci in lintrem.

CAPVT XXVII.

RELIGIONE INSIGNI ET REVERENTIA *in templo, ob Dei inibi præsentiam, Ecclesiasticis versandum.*

Qua ratione Deus non sit in tẽplo, vel vllo loco

§. IN templo, vt in cœlo commorentur, quod templum & cum cœlo comparat *sanctus Dauid* dicens *Psal.10.vers.8. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.* Deus est in templo, non quasi inclusus: qui sua immensitate vbique est: neque vt indigus: quia infinita est bonitas, & seipso beatissimus, quo sensu & *S.Stephanus Actor.7.v.47.*& seq. *Apostolus Paulus Actor.7.v.24.*affirmant, quod *Excelsus Deus in manufactis non habitet templis*, sed est in templo non solum naturæ suæ immensitate, qua vbiq; est, sed singulari etiam quadam & efficace præsentia, assistentia, prouidentia, opitulatione, benignitate, ac præcipuè precum exauditione. Quo pertinet illa pollicitatio Domini de templo loquentis: *Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi,* (i. essem ibi) *in sempiternum, 3.Reg.9.v.3.cap.8.v.29. Deuter.12.* Templum Dei locus, in quo est nomen Domini Dei, id est, Dominus Deus. Hinc & *Salomon 3.Reg.8.v.12.2.Paral.6.v.1. Dominus dixit, vt habitaret in nebula siue caligine. 2.Machab.3.v.38.39.eo quod in loco sit verè Dei quædam virtus: Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator, &*

Vt in tẽplo est Deus.

Virtus Dei in templo.

adiutor est loci illius.

Deus suum in templum aduentum demonstrauit.

§. In cuius diuinæ in templo inhabitationis argumentum & testimonium, cum tabernaculum à Moyse dedicatum est, operuit illud nubes, & impleuit gloria Domini, *Exod.40.vers.32.* Similiter cum Salomonis templum dedicaretur, *nebula impleuit domum Domini, & nõ poterant sacerdotes stare & ministrare, propter nebulã, impleuerat enim gloria Domini domũ Dom. 3.Reg.8. v.10.11.2.Paral.5.14.& 7.v.1.2.3.* Simile quid suo tẽpore con-

consecratæ Ecclesiæ euenisse narrat *S. Greg. lib. 3. dial. cap.* 30. Vbi & refert Dæmonem specie suis è consecrato templo fugatum. Idem docet *S. Dauid Psal. 73. v. 2. Mons Syon, in quo habitasti in eo. Psal. 77. v. 60. Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus. Psal. 131. v. 8. Surge Domine in requiem tuam* (templum locus requietionis Dei) *tu & arca sanctificationis tuæ. & v. 13. Quoniam elegit Dominus Syon, elegit eam* (Domum Sion) *in habitationem sibi.* Visus est Dominus Isaiæ supra templum *c. 6. v. 1.*

Regius Vates eximiã Dei in templo præsentĩam agnoscit

§. Sanctus Paulus ex eo, quod Deus inhabitet templum, colligit homines pios iustos, & sanctos esse templum Dei: quia & ipsos similiter, ac potius quam illud inhabitat, *1. Corinth. tertio. v. 16. 17. cap. sexto, vers. 19. 2. Corinth. 6. vers. decimo sexto. Hebr. 3. v. 6.* S. Pauli hæc videtur esse ratiocinatio: Quemcunque Deus locum peculiari gratia & benignitate habitat, & vbi colitur, ibi est templum eius; sed singulari beneuolentia & munerum largitione diuersatur apud iustos, & ab illis magna veneratione colitur, igitur illi sunt templum Dei.

Apostolus ex eo quod Deus in tẽplis inhabitet, docet sanctos esse templa Dei.

§. Hinc *Saluator*, ait *Matth. 23. v. 21. Quod Deus habitet in templo, & quod sit domus Patris sui. Ioan. 2. v. 16.* Et de templo à Salomone exædificato (quod de posteris templis longe sanctioribus, & recte accipitur) hunc in modum loquitur ipse *Deus 2. Paralip. ca. 7. v. 12. 15. 16. Audiui orationem tuam, & elegi locum istum in domum sacrificii. Oculi quoq; mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum, ibi cunctis diebus.*

Templum Christi sententia habitaculum & domus Dei. Templum domus sacrificii & orationis.

§. Aptissime hic accommodatur visio *S. Iacobi Genes. 28. vers. 12. 13. 16. 17. Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum inni-*

S. Iacobi visum templo conueniens.

xum scala. Cumq; euigilasset Iacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensq;: Quam terribilis est, inquit, *locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. S. Bern. serm. 6. in dedicat. Ecclesiæ, illum explanans scripturæ locum: Vnus*, inquit, *homo erat Iacob, & dormiens, vidit descendentes angelos & ascendentes. Parum est hoc, etiam Dominum angelorum adesse testatus est dicens: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Miratur enim gratiam & dignationis magnitudinem expauescit. Quam terribilior est iste locus, quam euidentius certiusq; est Dominus in loco isto? Vbi nimirum non duo aut tres, sed tam multi congregati in ipsius nomine perseuerant? Terribilis plane locus & dignus omni reuerentia, quem fideles viri inhabitant, quem angeli sancti frequentant, quem sua quoq; præsentia Dominus ipse dignatur.*

Cur tẽplum terribilis locus.

§. Et quidem studiose meditata hæc diuinæ Maiestatis in templo præsentia maximam animis religionem affert: ne quid nequiter, inuerecunde, leuiter, impie in eius conspectu committatur, ne iure expostulet nobiscum. *Ierem. 11. v. 15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? S. Basil. in Psal. 28. v. 9. Et in templo eius omnes dicent gloriam: Qui*, inquit, *in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscœnis rebus dissertos sermones pronuncient, sed in templo eius quisq; dicet gloriam. Assistunt verba describentes angeli, adest & Dominus affectus intrantium considerans, preces cuiuslibet Deo manifestæ sint.*

In templo à Deo notamur & angelis.

Laudata à Deo quorũdam sacerdotum pietas & reuerentia.

§. Ab ista demississima erga se reuerentia partem quandam piorum Leuitarum & Sacerdotum vehementer commendat *Deus Malach. cap. 2. vers. 3. Dedi*, inquit, *ei timorem meum, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat*, mentis formidinem etiam corporis horrore declarans.

Apostolus omnes Christianos vult esse vel maxime Dei reuerentes.

§. Talis reuerentia Deo præstanda. Ad quam & omnes Christianos hortatur *Apostolus Hebr. 12 v. 28. 29. Itaque*, ait, *regnum immobile suscipientes*, (legem Euangelicam,

licam, qua Deus regnat in nobis, *Lucæ 17. v. 21. Matt. 12. v. 28. Apoc. 1. v. 6. & cap. 5. v. 10.*) *habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia, etenim Deus noster ignis consumens est. Deuter. 4. v. 22.* Quasi dicat Apostolus magna verecundia, pudore, submissione, religione, & timore seruiendum est Deo: quia est ignis disperdens contemptores, & cultores suos debito metu & reuerentia carentes. Exemplo sunt Nadab & Abiu sacerdotes, *Leuit. 10. v. 1. 2. quos egressus ignis à Domino*, idcirco *deuorauit*. quod igne alieno incensum Domino obtulissent. Et Oza percussus à Domino, quod temerè arcam attigisset, 2. *Reg. 6. v. 6. 7.* Blasphemus, *Leuit. 24. v. 13.* & ligna in Sabbatho colligens, *Numer. 15. vers. 35.* ad mortem lapidatione inferendam, à Deo damnati sunt. Moyses & Aaron summi Sacerdotes ob quandam dubitationem & diffidentiam, promissæ terræ accessu prohibiti sunt. *Numer. 20. v. 12.*

Irreuerentium sacerdotum punitor Deus.

CAPVT XXVIII.

SIMILEM RELIGIONEM ET REVERENTIAM ab Ecclesiasticis postulat Christus Dominus in Eucharistia existens.

Christo Domino internus & externus honor tribuendus.

§. PRÆSTO est & templo Christus verus Deus & homo in Eucharistia, qui vtique Maiestatis suæ præsentia omnem lasciuiam & proteruitatem cohibere, omnem nobis modestiam & religionem commouere debet. Is enim Christus Dominus etiam quâ homo, est, cui *dedit Deus nomen super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, Philip. 2. v. 10.* Is Christus est, qui *Oriens ex alto, nos visitauit & redemit: vt de manu sanduin.*

Christi Domini Maiestas.

Coram Christo omni honestate & sanctitudine conuersari.

manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. In sanctitate & iustitia coram ipso (in Eucharistia præsente, inuente, audiente, iudicante) *omnibus diebus nostris.*

Indignatur Christus, si quid indecorè committatur in templo.

§. Hic est Christus Dominus, quem *comedit zelus domus Dei. Psal.68.v.10. Ioan.2.v.18.* qui ne quidem sacrificiis necessaria in templi atrio vendi, *Matt.21.v 12 Ioan.2.v.15* aut vas per illud transferri *Marc.11.vers.16.* sustinuit. Hic est Christus Dominus, cui exactissimam cogemur reddere rationem eorum, quæ cum alibi egerimus; tum vel maxime in templis, vbi si debitum ei honorem non habuerimus lubentes, in iudicio præstabimus inuiti: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi; Scriptum est enim Isa.45.v.23. Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo,* ait *Apostolus Rom.14.v.10.11.* Ei ergo nunc temporis & deuota mente, & pia laudatione, & supplici corporis habitu, omnem quem possumus honorem adhibeamus.

Qui nunc sua sponte nõ honorat Christum post vel inuitissime honorabit.

Christus Dominus singulos animaduertit.

§. *Chrysost. de S. Eucharistia* loquens *hom.1.* de verbis *Isaiæ cap.6. Vidi Dominum. Non cogitas,* inquit, *hic inuisibilem adesse Dominum, qui vnicuiusque motus metitur, & conscientiæ rationem habet? Non cogitas, quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cumq; reuerentia hunc circumuallant?* Ergo S. Joann. Chrysost. sententiâ, Christus Dominus in Eucharistia, & conscientiæ, & internæ religionis, & ipsius corporis compositionis rationem habet. Et cum *hom.4.* de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos dixisset, *Christum Dominum in Eucharistia, quasi iudicem pro tribunali sedere;* subiungit: *Cogita apud quem proximè stas, quibuscum inuoces Deum, scil. cum Cherubin, cum Seraphin, cum omnibus cœli virtutibus: animaduerte quos habeas socios: satis hoc tibi ad sobrietatem, cum recordaris te corpore constantem, & carne coagmentatum, admitti cum virtutibus incorporeis cõmendare omnium Dominũ.* Vtinã, vt *Luc.2.v.30.31. Discipuli cognouerunt Christũ in fractione panis,*

Christus iudex in Eucharistia. Exilitas fidei erga Christũ in Eucharistia parit & reuerentiæ temeritatem.

panis, ita & illum in ſpecie panis præſentem viua fide ſic agnoſceremus, vtiq; & exardeſceret cor noſtrum in ejus amorem, vt illorum exæſtuauit. Siquidem ibi in clariſsima luce conſpicuus cerneretur, vt viſus eſt à plurimis, & quidem à S. Dionyſ. ſacris operante, vt in ejus vita c. 29. teſtatur *Hilduinus Abbas*, quanta eſſet erga illum noſtra reuerentia? Si ignis ex arcula Venerabilis Sacramenti, in irreuerentes & male agentes erumperet, vt factum teſtatur S. Cypr. l. *de lapſis*, quantus nos metus in Chriſti præſentia corriperet? Si illũ in humana forma videremus, admirabili pulchritudine, ſplendore, & majeſtate coruſcantem, vt illum aſpexit *S. Angela de fulgineo vt eſt in eius vita c.* 24. quanto amore & lætitia perfunderemur? Aut potius cum eadem c. 40. oſtenderetur nobis Deus ipſe, quantum fas eſt mortalem aſpicere, & intueremur immenſam quandam plenitudinem ac pulchritudinem, & in ea omne bonum mentis oculis ſubjiceretur, nonne anima noſtra caritate & delectatione colliqueſceret? Proceſſurum ad templum Regem Duces, Comites, Nobiles inſigni modeſtia, reuerentia, taciturnitate, præſtolantur, excipiunt, comitantur. Talem ſe depingit Iob. c. 29. v. 7. & ſeq. Quanta ergo Chriſto Domino in Euchariſtia præſenti Regi Regum, & Domino dominantium reuerentia præſtanda? Si reuerentia eſt honor in teſtimonium excellentiæ, & potiſsimum virtutis, exhibitus, quum non ſit Chriſto Deo noſtro quicquam præſtabilius, ſummus vbiq; illi honor habendus. l. 2. vitæ S. Bern. c. 6. *de Theobaldo Aquitaniæ Comite*, ad Euchariſtiæ præſentiam conſternato, mirabile exemplum recenſetur.

Lumine circumfulgens viſus Chriſtus.

Ex S. Euchariſtia theca ignis exiliit.

Stupenda maieſtate Chriſtus apparuit.

Longe excellentior Chriſto vniuerſorum Monarchæ quã Regi terreno honor præſtandus.

Cur Chriſtus omni honore dignißimus.

§. Vehementer Deo diſplicet, q̃ ipſius præſentiam & conſpectum non vereantur, non erubeſcant delinquentes. Ier. 7. ver. 30. *fecerunt filii Iſrael malum in oculis meis, dicit Dominus: Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua*

Irreuerentibus iraſcitur Deus.

qua inuocatum est nomen vt polluerent eum. Duo opprobat illis Deus 1. quia ipso aspectante scelera conscíuerint. 2. ℣ & in ipso id fecerint templo. Hinc & Dauid impudentiam suam: ℣ ejus aspectum non erubuerit, Deo confitetur Ps.50.v.6. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Sanè Rex Assuerus conspicatus Amanum Hestheræ supplicem, & suspicatus flagitium; indignissimè tulit c.7.v.8. Hoc sci. Regem pessimè habuit, quod ante oculos ipsius, & in proprio domicilio ac palatio nefarium scelus videretur machinari Aman.

Maior Principis contẽptus non se contemnere in eius præsentia quã absentia. Quam ergo irascatur & succenseat illis ipsis Christus Dominus, qui in Eucharistia, vt in regia sua præsens, & auditu, & aspectu, & mente percipit, non aliter coram se versari homines, quam in conspectu statuæ nihil sentientis, nihil audientis, nihil cernentis, nihil intelligentis? quæ irreuerentia grauissimum sæpè peccatum esse potest, & acerbissimè vindicandum.

CAPVT XXIX.

IN TEMPLO HONOS HABENdus ob Angelorum præsentiam.

Vbi Christus, ibi & Angeli. § ADest & in templo frequens S. Angelorum multitudo, qui tanquam Spiritales Aquilę ad Christi Domini corpus congregantur Matt.24.v.28. & Ioan.1.v.5. *Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Hinc in Conceptione Luc.1. in Natiu. Luc.2. in Tentatione Matt.4. in Resurrectione Matt.28. Luc.24. In Ascensione Act.1. in judicio Mat.25. illum, vt stipatores, milites, nobiles, principes, suum circumuallant regem, eumq; perpetuis extollunt laudibus: Nec solum p̃stò sunt, vt Christum tanquam principes suum stipent & honorent Regem, sed etiam vt notent templum frequentantes, eorum preces Deo cõmendent,

vnà

vnà cum ipſis precentur, ac communem Dominum dilaudent, quæ omnia licet ſuperius demonſtrata ſint, tamen quia jucunda, mirabilia ſunt & pietatis excitamenta, plura proferamus teſtimonia.

Angelorum in templis formatæ imagines, vt ſic eorum ibi præſentia declaretur.

§. Hoc primò vt oſtenderet Moyſes, Exod. 37. v. 7. in oraculo fecit duos Cherubinos aureos: quia vt ſpiritale aurum, Angeli fulgent ſplendore ſcientiæ & caritatis. Similiter Salomon in templo ſuo fecit duos Cherubinos ex lignis oliuarum, eosq; puriſſimo circumueſtiuit auro 3. Reg. 6. v. 23. & 28. Quod & imitatus fuit Conſtantinus Magnus, qui quatuor Angelorum argenteas imagines in templo conſtituit, & auctor eſt Damaſus in Pontificali in Syluestro II. Confitetur & illud S. Dauid Pſal. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum & confitebor nomini tuo.* Id eſt, coram Angelis in templo tuo præſentibus Pſalmos decantabo. 3. Agnouit & Iſaias cum ait, c. 6. v. 1. 2. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum & ea quæ ſub ipſo erant replebant templũ. Seraphini ſtabant ſupra illud, &c.* Vidit Dominum ſupra templum cum Seraphinor. multitudine ipſum laudantium in ſublimi ſolio reſidentem, vt habitum regnantis oſtenderet, inquit, ib. Hier. & addit: *Et ea quæ ſub ipſo erant, implebant templum, ſiue vt Theodotio & Symmachus* tranſtulerunt, *Et ea, quæ ſub pedibus eius erant implebant templum*: quo LXX. interpretati ſunt. *Et plena domus gloria eius.* 4. Luc. 1. v. 11. 19. *Apparuit illi* (Zachariæ incenſum offerenti) *Angelus Domini* (Gabriel) *ſtans à dextris altaris incenſi.* Vbi S. Ambr. *Non immerito videtur*, ait, *Angelus in templo, quia veri Sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cœleſte ſacrificiũ parabatur, in quo Angeli miniſtrarent Atq; vtinam vobis quoq; adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus aßiſtat Angelus, imo præbeat ſe videndum. Non enim dubites aßiſtere Angelum, quando Chriſtus aßiſtit, Chriſtus immolatur.*

Angelos in templo præſentes agnoſcit Dauid.

Iſaias ſupra templũ conſpexit Angelos.

Angelos in templis veſari S. Patrum auctoritas.

Angeli in Miſſæ ſacrificio miniſtrant.

§. *S. Max.*

Angeli obseruant notantq; templū intrantes eorumq; preces Deo repræsentant.

§. S.Max.de Eccl.mystagogia c.25.exhortatur fideles, *assidui in sancta sint Ecclesia Dei propter Angelos, qui in ea permanent, & eos qui ingrediuntur, semper describunt, & Deo aperiunt, & pro eis orationes faciunt, maxime autem tempore S.Synaxis.* Idem prorsus ijsdem bene verbis tradit Elias Cretensis ad orat. 1.S.Greg.Nazianz. S.Chrys. ser. de Ascens. Domini. Non enim in hoc theatro, inquit, *Martyres tantum præsunt, sed Angelorum præsentia locus decoratur: nã & angeli præsunt.* Peruetus etiam Ecclesiæ Magister Orig. ho. 23. in Lucam. *Quia præsentes sunt*, ait, *Angeli in Ecclesia, in illa duntaxat, quæ meretur, & Christi est, propterea orantibus fœminis præcipitur, vt habeant velamen super caput propter Angelos* 1.Cor.11.v.10.S. Bern.serm.4.in dedicat. templi. *Ibi Sanctorum spirituum*, ait, *indefessa noscitur custodia vigilare, sed quis Angelicas sese vidisse excubias gloriatur? Qui videt & mittit, & ait*, Isa.62.v.6. *Super muros tuos Ierusalem cõstitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuũ nõ tacebunt.*

Angeli in Christi piorumq; Christianorum templis cõmorantur.

§. Quantam verò nobis religionem afferre debeat S. Angelorum præsentia, paulo ante explanauit B. Ioa.Chrys. Sed S.Bernar.rursus audiamus. Is serm. 1. in festiu.S.Michaëlis, quum dixisset Angelos esse ministros nostros Ps.90.v.11.Hebr.1.ver.14.qui offerant Deo bona opera nostra, sudores nostros, & lachrymas Apoc.8.v.3.Tob.12.v.12. & vicissim Dei gratiam & munera referãt nobis, adjungit: *Et hæc dixerim fratres, vt ampliorem de cætero erga B. Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra, eorum inuocetis auxilia; Sed & dignius in eorum præsentia conuersari & magis ac magis eorum verbis conciliare gratiã, captare beneuolentiam, exorare clementiam studeatis.* Et rursum: *Pensate quanta nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, vt dignos eorum sic nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne forte Sanctos offendamus obtutus.*

Angeli Iudeorum sic exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne forte Sanctos offendamus obtutus.

Angeli Iuterib. offensi eorum tẽplum derelinquunt.

§. S.Angelos in templis diuersari docetur exemplo Angelorum è Iudaico templo emigrantium. S. Hier.

Hier. epiſt. 17. c. 3. & in c. 52. Iſa. & 11. Ezech. ex Ioſeph. l. 7. de bello Iudaic. cap. 12. ait, *quod apertis repente ianuis templi, & ſponte reſeratis, quas multi homines claudere vix poterant, ex adytis templi auditæ voces Angelorum & cœleſtium virtutum, quæ ibi prius in præſidio erant: Tranſmigremus ex his ſedibus.* Quod contigit paulo ante templi euerſionem. Iam vero ſi in Iudaico ſiue Tabernaculo, ſiue templo commorati ſunt ſancti Angeli, quanto magis in Chriſtianorum Eccleſiis, quæ omnibus modis ſanctiores ſunt, ſedem domiciliumque ſuum fixerunt? 1. Cor. 11. v. 10. *Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* hoc eſt velamen, capitis operimentum, quod eſt inſigne ſubjectionis mulieris erga virum, & poteſtatis viri ſupra mulierem: Ergo tegendum & operiendum mulieri caput propter Angelos: Quos illos? An damnatos? ſic aliqui inſcienter putauerunt, quaſi in illorum concupiſcentiam exardeſcerent, aut parati ad ſeductionem, eas vt infirmiora vaſcula petulantius pertentarent. Rectius alij Sacerdotes intelligunt, qui per translationem in Scriptura Angeli appellantur. Optime qui de beatis ſpiritibus in templo degentibus accipiunt, vt Sanctus Hieron. & Chryſoſt. Orig. Bernard. de vita ſolitaria.

Fœminæ in templis tectæ ob ſanctorum angelorum reuerentiam.

CAP. XXX.

ANGELI ALTARIVM cuſtodes.

§ QVid quod beati illi ſpiritus non modo templa incolant, ſed ſingulas etiam aras cuſtodiant? Sic enim legimus in Prato ſpiritali c. 4. *Narrauit nobis Abbas Leontius cœnobii S. Patris noſtri Theodoſii Dux dicens: Quodam die Dominico deſcendi in Eccleſiam, vt acciperem S. myſteria. Ingreſſusq; vidi Angelum ſtantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuerſus ſum in cellulam meam.*

meam. Et venit mihi vox de cœlo, dicens: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum.

§. Et rursus ibidem cap. 10. *Postquam ascendit Abbas Barnabas ex spelunca sua ad Turres, cum fuisset ibi aliquantulum temporis, Anachoreta quidam alius abiit ad speluncam ipsius, ingressusq; vidit Angelum Dei stantem super altare, & fecerat senior, atq; sacrauerat. Aitq; ad Angelum Anachoreta: Quid hic agis? Cui Angelus ille. Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipso mihi credita sunt.*

CAP. XXXI.

SACRÆ RELIQVIÆ VENERATIONEM reuerentiamq; afferre debent Ecclesiastici.

Templa S. Reliquiis ornanda.

§ RElIquiæ etiam & Sanctorum lipsana in templo honorificè condita, & illud templum exornant, juxtà sententiam S. Aug. serm. 256. de Tempore. *Adhuc*, inquit, *amplius agendæ sunt gratiæ Deo nostro: Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum Martyrum reliquiis amplius honorari.*

§. Et simul mirum in modum eædem reliquiæ pietatem nostram prouocant & inflammant: fuerunt enim illa lectissima *S. Spiritus templa, membra Christi*, 1. Cor. 6. v. 15. & omnimodæ virtutis organa & instrumenta Rom. 6. v. 13. in quibus, quasi spirantes adhuc Sanctos & nobiscum degentes, intuemur, admiramur, colimus, atq; vtinam & æmulemur.

§. Præclarus Auctor Magnetes ante annos mille ducentos l. 4. contra Theostenem: *Manifestum est*, inquit, *quod ossa Sanctorum non sunt mortua, sed potius plena virtute. Si enim fimbria propter illum, qui ferebat eam, credenti dedit virtutem sanitatis, & solo tactu curationem fecit*, Matth. 9. v. 20. & c. 14. v. 36. *quo modo non dicamus Sanctos fimbriis in animis honoratiores, non posse iis, qui sine vlla dubi-*

dubitatione credunt, tribuere meliora, quibus Christus, dum in corpore viuebant, tanquam veste induebatur, & post mortem tanquam purpuram honore dignitatis regalis affecit?

Cur S. Reliquiæ honorandæ.

§. Easdem S. Reliquias cur reuerentia & cultu prosequamur, docet etiam S. Ambr. serm. 93. de Sanctis Nazario & Celso ad finem: *Honoremus Beatos Martyres Principes fidei, intercessores mundi, præcones Regni, cohæredes Dei. Quod si dicas mihi,* inquit, *quid honoras in carne iam resoluta atq; consumpta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini Sacratos Cineres: honoro in Cineribus semina æternitatis: honoro corpus, qd mihi Dominum ostendit diligere, qd me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones, quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro?* Ista S. Ambr.

S. Martyrū encomia.

Dæmones vel inuiti S. reliquias honorant.

§. Spiritus quidem, qui gratiæ diuinæque naturæ capaces sunt, per se & propter se honorantur: Reliquiæ v. non propter se, vt insensibilia corpora sunt, sed propter spiritus, quorum instrumenta fuerunt, & ad quos certum ordinem sunt sortitæ, vt docet S. Th. 3. p. q. 25. art. 6. ad 2. longè itaq; hic cultus illo inferior est. Sed & S. Ioan. Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch. *Sanctorum,* inquit, *ossa Dæmones sistunt & torquent, & cunctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cum videatur nemo, nemo Dæmonis instet lateribus, voces sentiuntur & lacerationes, flagella tormentaq;, ac linguæ ardentes terribilem illam vim Dæmone non ferente. Et cinis, & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant: Futuri namq; iudicii vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent, vbi Dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur.* Rursum S. Ambr. l. de viduis. *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati: Martyres obseruandi, quorum videmur nobis quoddam corpus pignore patrocinium vindicare.*

Quis S. reliquiarum cultus.

S. Reliquiæ affligunt dæmones.

§. Videant

§. Videant quo impietatis gradu Dæmonibus Sacras reliquias reuerentibus sint, vel inferiores, vel æquales, vel superiores, Eunomiani, Vigilantiani aut potius Dormitantiani, imo vt magis de antiquitate suæ perfidiæ glorientur, Manichæi & Marcioniſtæ, quos idem vetustissimus Scriptor Magnetes citato libro prædicasse affirmat corpora martyrum esse in abominatione. Et eorum asseclæ Lutherani, & potissimum Caluiniſtæ, qui eas deteſtantur, & exurunt: Catholici etiã ac nonnuli Eccleſiaſtici, qui subinde nõ majori reuerentia & pietate coram illis verſantur, quam coram vulgarium hominum ſepulchris.

CAP. XXXII.

SANCTI AD MONVMENTA SVA ſæpius præſentes.

Sancti non rarò ſuis præſentes ſunt reliquiis:

§ QVid quod & ipſimet Sancti non rarò ſuis præſentes ſunt reliquijs? Chriſtus Dominus juxta ſepulchrum ſuum Magdalenæ viſus, Ioannis 20. S. Paulus intra Linum & Lucam ad ſuum ſepulchrum apparuit nobilibus viris è domo Neronis conuerſis S. Agnes virginum ſtipata choro parentibus ad ejus monumentum precantibus ſe conſpiciendam præbuit. Similiter allocuta eſt ibidem Conſtantiam Conſtini M. filiam Ambr. ſerm. 91. Breu. Rom. Eandem veritatem, ſuis quod conditorijs Beati adſint animi, confirmat S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Natal. ſexto de S. Felice Nolano Presbytero & Martyre, dum canit:

Præſidet ipſe ſuis ſacer oſſibus: oſſaq́ ſancti
Corporis in tumulo non obſita puluere mortis,
Arcano æternæ, ſed prædita ſemine vitæ.
Viuificum ſpirant animæ victricis odorem.

De quo & breuiter S. Auguſt. epiſt. 137. ad Clerum & pop. Hipponenſem. *Multis notiſſima eſt Sanctitas loci, vbi beati*

beati Felicis Nolensis corpus conditum est. Sanctæ Luciæ vnà cum Matre Eulalia, quæ sanguinis fluxu laborabat Catenæ ad corpus S. Agathæ pro Matris sanitate deprecanti apparuit S. Agatha dixitque : *Soror mea Lucia Virgo Deo deuota, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo Matri tuæ?* quæ cum ei sanitatem postulasset intercessione S. Agathæ mox impetrauit. Vide vitam ejus apud Surium

CAPVT XXXIII.

MIRACVLA SANCTORVM VIRTVtem & apud S. Reliquiæ præsentiam testantur.

§. NEque refert quod vel ibi non integra corpora Sanctorum conseruentur, vel partes aliquæ potiores; cum S. Greg. Nazianz. in Julianum Imperatorem inuectus oratione 1. declaret etiam minimam particulam tantum valere, quantum integrum corpus; & corpus, quantum viuentem integrum Sanctum. Verba illius de S. Martyribus contra illum perfidum Christianæ fidei desertorem disputantis sunt illa: *Non victimas pro Christo cæsas reueritus es? nec magnos pugiles extimuisti? à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel sola corpora possunt, quod animæ Sanctæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atq; exigua passionis signa idem possunt quod corpora?*

S. Reliquiarum particula instar totius corporis.

S. Reliquiis dæmones exterminantur, morbi sanantur.

§. Quam piam veramq; S. Greg. Nazianz. sententiam clarissimis argumentis testatissimam fecit Deus. B. Greg. l. 1. dialog. c. 4. in fine de Sepulchro S. Equitij. *monumentum non re Valeriæ prouinciam,* ait, *intrantibus Longobardis ex monasterio Reuerendissimi viri Equitii in prædicto oratorio ad sepulchrum eius Monachi fugerunt. Cumq; Longobardi sæuientes dæmone occupantur.*

S. Equitii monumentum non re Valeriæ prouinciam, intrantibus Longobardis ex monasterio Reuerendissimi viri Equitii in prædicto oratorio ad sepulchrum eius Monachi fugerunt. Cumq; Longobardi sæuientes dæmone occupantur.

oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta discuterent aut gladiis necarent, quorum vnus ingemuit atq; acri dolore clamauit: Heu, heu, S.Equiti, placet tibi q; trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus sæuientes Longobardos immũdos spiritus inuasit. Qui corruentes in terram tam diu vexati sunt, quousq; hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlterius non auderent.

Mortuus ad vitam mortuum reuocat.

§. Elisæus Vates mortuum ad vitam reuocauit puerum 4.Reg.4.v.32.Sed & cadauer cum in ejus sepulchrum projectum esset, & tetigisset ossa Elisæi, *reuixit homo & stetit supra pedes suos.* 4.Reg.13.v.20.21.Quo testimonio S.Reliquiarum cultum Const. Apost.l.6.c. 49. comprobat S.Clemens.S.Ioseph vita functi ossa prophetauerunt Eccl.48.v.19.effectu scilicet, dum in sepulchrum S.Patrum suorum illata sunt, secundum ipsius vaticinium, & petitionem Gen.50.v.23. vsq; ad cap. finem Exod.13.v.19.Iosuæ.24.v.32. Vide Steph. Dur.l.1.c.26.v.8.

§. Ex quo hanc facit conclusionem S.Cyril.Ierosol. Catechesi 8. *Vt autem*, inquit, *non solum anima Sanctorum honoretur, credatur q; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, iacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuum q; Prophetæ corpus attingens viuificatus est. Emorrhoissa Saluatoris vestem fide manu q; contingens, sanitatem adepta est.* Matth.9.v.21. Quid inanius vmbra? Et

Vmbra S. Petri fugat morbos.

tamen certatim ad eam quo poterant modo S. Petri Apostoli attingendam, accurrunt, & ægri sanantur Act.5.v.15. *Si tum vmbra corporis*, ait, S.Augu. serm.29. de Sanctis, *opem ferre poterat, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis nunc gratia permanentis. Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tàm medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Virtutes*, ait S.Luc.

§. Luc. Act. 19. v. 11. *non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrerentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Ea est enim Sanctorum potestas,* ait, D. Chrys. l. *contra Gentiles, dum vitam S. Babylæ enarrat, vt illorum superstitum dæmones ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint defunctorum, & loculos quoq; reformident.* Rectè igitur S. Basil. in Psalm. 115. *Qui contingit,* ait, *ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente.* Et B. Chrys. homil. de SS. Inuentio & Maximo. *Idcirco eos sæpius inuisamus, tumulos adoremus, magnaq; fide Reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* 7. Synodus Act. 6. *Cum timore Dei, inquit, omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, itẽ Sanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum salutantes venerandas illorum Reliquias.*

Sudaria & semicinctia Beati Pauli morbos profligant, & dæmones expellunt.

Tactio S. Reliquiarũ benedictionis assecutio.

CAPVT XXXIV.

QVA RATIONE SACRIS SVIS Reliquiis præsideant Sancti.

§. INquirit fortassis quispiam: quomodo Sancti suis præsto sint Reliquijs & monumentis. Respondet S. Hieronymus epistola 52. siue libro aduersus Vigilantium cap. 2. *Ais animas Apostolorum & Martyrum non posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula iniicies? vt vsq; ad diem iudicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo?* de quibus scriptum est Apocal. 14. versiculo 4. *Sequuntur Agnum quocunque vadit. Si agnus vbique, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique.* [id est, vbicunque volunt] esse

Vbi volunt, ibi esse possunt sancti.

esse credendi sunt. Et cum Diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbiq; præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui, arce operientur inclusi, & inde exire non poterunt.

§. Possunt ergo Sancti suis adesse reliquijs, quia volunt, & quia volunt, possunt, voluntatem eorum perficiente Deo, quod a. velint, & ipsimet sæpe tum verbis tum miraculis testati sunt, & multa rerū magistra experientia hactenus, pbauit. Itaq; & S. Maximus Taurinensis Episc. in Natali SS. Taurinorum Martyrum, Octauij, Aduentitij, & Solutoris. *Licet*, ait, *vniuersi Sancti vbiq; sint* (quouis in loco dum hæc ijs voluntas est) *& omnibus prosint, specialiter tamen illi pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulerunt pro nobis* (non redimendis, sed in fide ac virtute confirmandis, merito suo & precatione adjuuandis, ad imitationem prouocandis.)

Sanctis dicata signa.

§. De experientia Sanctos suis esse præsto tumulis confirmante, illud habeo scribere, quod Theodoretus *Cyri Episcopus memoriæ prodidit libr. 8. de græcarum affectionum curatione, qui est de Martyribus. Piè*, ait, *fideliterq; precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulachra suspendunt ex argento auroue confecta. Hæc itaq; omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consecutis allata.* Hæc ille: quæ anathemata & votiua dona Sanctorum beneficia testantia, in Catholicorum templis passim cernimus.

Quaratione nobis adsint Sancti.

Mortales adhuc sancti cũ Christo regnant.

§. Multis porro modis Sancti suis S. Reliquiis, vel veris, vel honorarijs monumentis, & imaginibus præsto esse possunt: vel quia è cœlo ad nos veniunt, vel in cœlo manentes, & hic & alijs locis diuina potestate sistuntur, vel vt Angeli eorum vices obeant,

vel

vel virtute adsint optata beneficia conferentes. Quid quod Christus Dominus cum Sanctis mortalibus, Ecclesiæ & totius mundi communicet rectionem? *Qui*, inquit, Apoc.2.v.26. *vicerit, & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem, super gentes & reget eas in virga ferrea, &c.* Et Apoc.3.v.12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, vt scilicet Ecclesiam sustineat. Et v.21. *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.* Quid hoc, nisi regnabit mecumq; mundum gubernabit?

CAP. XXXV.

PVNITA IRREVERENTIA ERGA sacras Reliquias.

Insigni reuerentia SS. Reliquiæ attingendæ.

§. IDcirco magna profecto reuerentia Sanctorum ossa contingenda & tractanda sunt, vt docet S. Greg.l.3.epist.30.ad Constantiam Augustam. *Corpora*, inquit, *SS. Petri & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atq; terroribus, vt neq; ad orandum sine magno illuc timore possit accedi.* Vbi narrat, ꝙ cum Pelagius Pontifex circa S. Petri Sepulchrum emendare quidpiam vellet, & mutare, signum non parui terroris apparuerit. Et cum S. Greg. simile quid circa Sancti Pauli sepulchrum conaretur, Præpositus loci, qui aliqua ossa eidem sepulchro conjuncta in alium locum transferre presumpsit, apparentibus quibusdam tristibus signis subita morte defunctus est. Rursus dum simile quid Pelagius Papa S. Greg. Antecessor molitur circa S. Laurentij sepulchrum, vt illud fodiendo exquirerent, etsi corpus Sanctum non attigissent sed tantum vidissent, omnes intra decem dies defuncti sunt. Quis non vereatur S. Reliquias indigne contrectare? quis non formidet coram illis indignum quid & indecorum admittere? *Non iocandum cum Diuis.*

§. Ex his quæ à cap.31. demonstrauimus, apparet,

Vigilantij apud D. Hierony. in l. contra eundem, ſectatores Lutherum in ſerm. de Cruce, Caluinum in l. de reformandæ Eccleſiæ neceſſitate, & in admonitione de reliquijs non rectè docere S. Reliquias minimè venerandas, & abjiciendas eſſe, quas & multis locis Caluiniſtæ exuſſerunt, quos corrigat Deus, & correctis ſempiternam donet felicitatem.

CAPVT XXXVI.

PIÆ STATVÆ ET PICTVRÆ RELIGIONEM Clericis excitent.

Prima vtilitas imaginum.

§ SAcræ etiam Imagines & picturæ in templis conſpectæ, dum exemplaria & prototypa ſua repræſentant, piam nobis ſpeciem cogitationemq; ingenerant, eamq; multiplicem & variam: nam prima vtilitas eſt, quod ſint Imagines, vt libri, Doctores muti. Idcirco, inquit, S. Greg. lib. 7. ep. 109. *ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum, pictura in Eccleſiis adhibetur, vt hi qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent.* Et ad eundem lib. 9. ep. 9. *Nam quod legentibus, inquit, Scriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident, & ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt.* Quod & tradit S. Ioannes Damaſc. lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 17. Et S. Paulinus Nolanus Epiſcopus Natali 2.

Altera vtilitas eſt, & eruditis etiam imagines virtutis monumenta ſint.

Imago Chriſti cruci affixi, nihil de eo cogitantibus ſalutarem Dominicæ paſſionis recordationem ſuggerit.

§. *Non ſolum indoctis ſed & doctis ſacrarum rerum inobſcuratam aut pene deletam memoriam redintegrant imagines. Quæ hiſtoriæ ſermo, ait, S. Baſilius hom. in 40. Martyres per auditum repræſentat, eadem pictura muta per imitationem demonſtrat.* Et B. Greg. Nyſſ. oratione in Sanctum Theodorum Martyrem: *Solet & pictura tacens, ait, in pariete loqui maximeq; prodeſſe.* S. Ioanes Damaſ. l. 4. Orth. fid. c. 17. *ſi quidem ob negligentiam, ait, frequenter cogi-*

cogitatione non tenentes paſsionem Chriſti, imaginem transfixionis Chriſti videntes in Saluatoris paſsionis memoriam redimus, & procidentes adoramus non materiam, ſed imagine repræſentatum. Hinc in Conſtantinop. ſext. can. 83. jubetur effigies Chriſti in imaginibus erigi, *per hoc*, ait *Synodus, manu ducimur in memoriam ſuæ in carne conuerſationis, ipſiusq; paſsionis, ſalutiferæq; mortis, & præterea mundo factæ redemptionis, ibiq; imagines venerandæ appellantur. Quibus prorſus ſimilia habet Leontius Epiſcopus Neapol. l. 5. Apol. contra Iudæos, cuius verba leguntur in 2. Syn. Nicæna, act. 4. Chriſtum*, inquit, *Chriſtiq; paſsiones paſsim in Eccleſiis, in foro, in picturis, in ſindonibus, omnibus deniq; in locis hanc figuram ponimus, quo continuò contemplantib. nobis hæc in mentem veniant, & non obliuiſcamur Domini Dei noſtri, quemadmodum tu oblitus es Domini Dei tui.*

§. 3. Valent & plurimum imagines ad caritatem erga Deum & Sanctos eis, puocandam, fouendam, amplificandam. Qui amant inter ſe, libenter abſentis amici imaginem intuentur, & magis magisq; intuendo amore exardeſcunt. Hinc S. Greg. l. 7. ep. 53. ad Secundum: *Valde*, ait, *nobis tua poſtulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione diligis, cuius imaginem præoculis habere excitant. deſideras. Scio quidem q; imaginem Saluatoris noſtri non ideo petis, vt quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei, in cuius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre conſideras.*

Tertia vtilitas eſt q; ſint imagines erga Deum & Sanctos eis, puocandam, fouendam, amplificandam. Imagines Chriſti & Sanctorum

§. 4. S. Imagines ad eorum, quos referunt, imitationem inuitant & alliciunt, vt oſtendit *Germanus Epiſcopus Conſtantinop. Epiſt. ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos lecta in Concil. 2. Nicæno act. 4. Sermo*, ait, *qui bonorum nes ſanctæ virorum actiones recenſet, iuuat audientes, & ad imitationem imitationis ſæpius adhortatur. Hoc etiam per frequentem imaginum inſpectionem fieri veriſimile eſt. Nam quæ hiſtorica narratio per auditum docet, ea tacens pictura per imitationem oſtendit.* Citatur & ibidem *S. Gregor. Naz. in carmine de virtute. Vbi,*

Quarta vtilitas eſt q; ſint imagines ad eorum, quos referunt, imitationem inuitamen-

ait, *quandam impudicam fœminam ad quendam euocatam conſpexiſſe ipſo in limine imaginem Palæmonis hominis continentiſsimi, & pudore ſuffuſam ac pœnitentia ductam domum reuertiſſe.* Nam picturæ contemplatione in memoriam reducimur, quam conſtanter Deo per fortia Sancti facta ſeruierint, vt affirmat S. Nilus ad Olymprodorum Proconſ. in eadem Synod. & actione citatus.

Quinta vtilitas eſt q̃ ſint imagines piorum affectuũ excitamenta.

§. 5. Commouent & alios pios affectus. Secunda Syn. Nycena act. 4. ita S. Greg. Nyſs. de ſeipſo loquentem inducit: *Vidi ſæpius imaginum inſcriptiones, & ſine lacrymis tranſire nequiui: cum tam efficaciter pictura obtutib. meis proponeretur hiſtoria Abrahæ & Iſaac, procumbit enim ante aram Iſaac.* Et idem S. Greg. Nyſſ. orat. 1. de paup. amandis. Efficaces igitur ſunt imagines in commouendis inſpectorum cordibus, dum in eis quis contemplatur exemplati diuinitatem, aut quamlibet virtutis ſublimitatem.

Sexta vtilitas eſt, q̃ ſint imagines fidei noſtræ teſtimonia.

§. 6. Proſunt imagines ad fidem religionemq́; teſtandam, dum n. ad Sanctorum imagines bene afficimur, illas exoſculamur, illas honoramus, palàm declaramus nobis ꝓbari eorum fidem, doctrinam, ſanctitatem, virtutem, & omnem deteſtari impietatem, contra quam ad mortem vſq; depugnauerunt.

Septima vtilitas eſt q̃ Imaginibus Deus Sanctiq́; honorantur.

§. 7. Conducunt ad debitum Deo Sanctisq́; honorem impertiendum: quis n. vnq̃ dubitauit magnis viris erigere ſtatuas vel imagines, ad eorum pertinere honorem? S. Ambr. in Pſalm. 118. ſerm. 10. *Qui coronat imaginem Imperatoris, vtiq́; illum honorat, cuius imaginem coronauit: & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtiq́;, cuius ſtatuam conſputauerit, feciſſe videtur iniuriam:* qua de re Euſeb. l. 7. hiſt. Eccl. c. 14.

CAP. XXXVII.

QVIS HONOR S. IMAGINIBVS HABENDVS.

§. OEcumenicum Tridentinum Concilium ita habet: *Doceant imagines Chriſti, Deiparæ Virg. & alio-*

aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas & retinẽdas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur, ineſſe aliqua in ijs diuinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gẽtibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant. Sed quoniã honos, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Ita *Synod. Trident. ſeſs. 25. in decreto de Inuocatione, Veneratione, & reliquiis Sanctorum & ſacris imaginibus.*

§ Similia habent antiquiſſimi, doctiſſimi ac ſanctiſſimi Patres. *S. Athan. ſer. 4. cont. Arianos. Qui adorat imaginem, in illa adorat ipſum regem: quippe cum ipſa imago nihil aliud ſit, quam regis forma ac ſpecies.* Et *S. Io. Damaſc. l. 4. Orthod. fidei ca. 17. Vt ait Deifer & magnus in diuinis Baſilius imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* Hoc habet *S. Baſil. l. de Spiritu S. c. 18.* Cuius ſententiam & citat *Concil. 2. Nicæn. act. 4. Sanctorum,* inquit, *veluti Dei amicorum imagines colimus, non in materia, aut coloribus honorem conſtituentes, ſed per hoc officium noſtrum, quod ipſis adeo, quorum typum imagines geſtant, debemus impartientes, cum ſciamus iuxta Baſilii Mag. ſententiam, quod imagini honor exhibitus ad ipſum prototypon referatur.*

§ Habent & *imagines ſacræ propriam, & per ſe quandam veneration em, non tantum per accidens & improp.iam, quia ſcil. ipſa prototypa coluntur, qualis & typo viuificantis crucis, & S. Euangeliis, & ſacris oblationibus, ſuffitorum & luminarium reuerenter tribuitur, ſed præcipuus honor ſemper in prototypon reſultat, vt loquitur 2. Synod. Nicæn. act. 7.* Qui cultus imperfectus eſt, & analogicè ac reductiuè, vt in ſcholis loquimur, pertinet ad ſpeciem eius cultus, qui debetur exemplari. *Ex ſe aliquã etiam veneration habent.*

§ Quid quod Deus ipſe S. imagines multis ſæpè mi-

raculis honestauit & approbauit? ad confirmandam Catholicorum fidem, & excitandam Ecclesiasticorum pietatem paulò vberiùs disseremus.

CAPVT XXXVIII.

MVLTIS SAEPE MIRACVLIS PRAEPOTENS Deus piarum imaginum vsum & venerationem sibi probari testatus est.

Christus suam imaginem & expressit, & donauit.

§. S Ioan. Damascen. l. 4. orth. fidei c. 17. *Historia proditum est, cum Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret, neq; id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginemq; suam ei impressisse, sicq; illud ad Abagarum, vt ipsius cupiditati satisfaceret, misisse.* Narrat & hæc Euagrius l. 4. hist. c. 27. non vt primus rei auctor, sed vt à maioribus traditæ, & occasione insignium miraculorum inde proditorum. Et quæ ab ipso scripta sunt, à Patribus Oecumenici Conc. Nicæn. 2. vt omni fide digna probata fuere. act. 5. *Cum Edesseni,* inquit Euagr. *in Chosroes obsidione ad summam rerum desperationem adacti essent, imaginem illam adserunt, quam nullis hominum manibus, sed diuinitus fabrefactam, à Christo videlic. Abagaro, cum ipsum videre cuperet, missam, apud se habebant.*

Ad Christi imaginem fiunt miracula.

§. *Quo facto confestim ad fidem ista facientium diuina accedente virtute, quod antea fuerat impossibile, re ipsa est perfectum ac Chosroes omni sua spe frustratus ad sua cum ignominia discessit.* Huius eiusdem Saluatoris imaginis ope Philippicus Orientis Præfectus admirabilem aduersus Persas victoriam consecutus est, vt habet Theophanes l. 17. & Cedren. in Annal. & Baron. An. Dom. 586. Quam & sanctissimam Saluatoris imagine Heraclius Imperator in Persas intulit, & de ijs triumphauit, vt ex Cedren. memorat Baron. an. Dom. 610. quâ imaginem vel ipse manu detulit, vel exercitui præferri vo-

ri voluit, vt tradit Baron. Ann. 621. Cuius imaginis & honorificam merito mentionem faciunt Hadrianus Papa ad Carol. Magn. Niceph. l. 2. c. 7. & Metaphr. 10. Auguſt. in orat. Conſtant. Porphorogeniti Imperat. & in actis SS. Samonis & Guriæ 15. Nouem. & in vita S. Alexij & S. Thom. ad 3. S. diſt. 9. q. 1. ar. 2.

§. Recenſetur ab Euangeliſtis hiſtoria mulieris, quæ annis 12. paſſa fluxum ſanguinis, ſanata eſt tactu fimbriarum veſtimenti Jeſu, Mat. 9. v. 20. Mar. 5. v. 25. Luc. 8. v. 43. Quæ grata & pia fæmina, ne tanti beneficij alicuius memoria excideret, rem geſtam æneis ſtatuis, tam Jeſu, quã ſui effigiem referentibus poſteris commendauit: de qua *Euſeb. Cæſ. l. 7. Eccleſ hiſt. c. 14. Mulierẽ, inquit, quam ſanguinis profluuio laborãtem, à Saluatore curatam, Euangelia tradiderunt, Cæſareæ Philippi ciuem conſtat fuiſſe, domuſq; eius in ea etiam nunc oſtenditur. Pro foribus vero domus ipſius, baſis quædã in loco editiore collocata monſtratur, in quo mulieris ipſius velut genib. prouolutæ, palmaſq; ſuppliciter tendentis imago ære videtur expreſſa. Adſtat vero alia ære nihilominus fuſa ſtatua, habitu viri, ſtola compte circũdati, & dexterã mulieri porrigentis. Huius ad pedem ſtatuæ è baſi herba quædam noua ſpecie naſcitur. Quæ cum exorta fuerit, excreſcere vsq; ſtolæ illius indumenti fimbriam ſolet. Quam cũ ſummo vertice creſcens herba cõtigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoreſq; cõquirit: ita vt quæcunq; illa ſti ſimulacri fuerit infirmitas corporis, hauſtu exiguo madefacti ſalutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, ſi antequam æneæ fimbriæ ſummitatẽ creſcendo cõtigerit, decerpatur. Hanc ſtatuam ad ſimilitudinẽ vultus Ieſu formatam tradebant, quæ ita permanſit ad noſtra vsq; tempora, ſicut ipſi oculis noſtris inſpeximus. Et nihil mirũ, ſi hi qui ex gentilib. crediderant pro beneficijs quæ à Saluatore fuerãt conſecuti, huiuſmodi velut munus videbãtur offerre, cũ videamus ẽt nunc Apoſtolorũ Petri & Pauli, & ipſius Saluatoris imagines deſignari, tabulaſque depingi. Sed & antiquas ipſorũ imagines à quibuſdam conſeruatas nos vidimus,*

Euangelicæ fœmina ſanguinis profluuio libe- rata æneam Chriſto ſtatuam mirã culorum effectricem erexit.

Mira vis herbæ Chriſti Apoſtolorumq; imagines.

Pluris eſt ornatus vnus, quam auri- ci decem.

Adiaphora ex hominis proposito bona vel mala sunt.

Eiusdem rei bonus malusue vsus.

Ex flore mel fugit apis, venenũ aranea. Ex scriptura sacra Catholicus salutẽ, perniciem haurit secta rius.

vidimus, quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferẽter obseruatum, quod ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint. Insignia enim veterum reseruari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum vero amoris indicium est.

§. Ista Euseb. qui non morem illum quantumuis à Gentibus mutatum improbat, sed comprobat: cum quod illi in vanissimorum deorum fecẽre cultus, nos ad Dei Sanctorumq; venerationẽ, memoriam, & amorem faciamus, & ex spolijs Ægypti arcam & tabernaculum faciamus Deo viuẽti. Qua de re pro ingenio suo eleganter disputat S. Aug. l. 2. doct. Christian. c. 18 & c. 40. Neq; enim: quia illi Musas coluerunt, Mercurium literarum repertorem dixerunt, thus Diis adoleuerunt, nos literas Musicamq; abiicere, nec Deo thus offerre debemus. quis hoc sapiat, nisi desipiat? *Quisquis bonus veruſq; Christianus est, Domini sui esse intelligat, vbicunq; inuenerit veritatem, ait S. Aug. l. cit. c.* 8.

In Caluinistarum templis loco imaginis Christi crucifixi collocãtur signa Principum, cuius exemplo? Iuliani Apostatæ.

§. Ista vero imago Christi perdurauit ad trecentos & amplius annos, nimirum ad impii Juliani Apostatæ tempora, & conuenienti veneratione culta, quantumuis plurimis cladibus Palestina deformata fuerit. Julianus verò eo in Christum audaciæ elatus est, vt statua illa deturbata confractaq;, suam eum in locum reposuerit. Sed confestim diuina in vindicando potentia se manifestante, ignis violentus de cœlo delapsus statuam Juliani circa pectus dissecuit, caputq; in terram deiecit. Statuæ autem Christi fragmenta à Christianis collecta in Ecclesia reposita sunt. Vt historiæ commendauit Sozom. l. 5. c. 20. & Niceph. l. 10. c. 30. & Metaph. 20 Octob. in Actis S. Artemii.

Christi Domini crucẽ baiulantis imago.

§ Est & alia Christi imago: cum enim ad crucifigẽdum duceretũr Berenice, quæ & Veronica, faciei Domini sanguine & sudore aspersæ sudarium admouit, eiusdemq; Dominici vultus effigiem in se retinuit, vt habet Christiana traditio, & Methodius Tyriorum Episco-

Episcopus apud Marianum Scotum in Chron. anno Dom.39. Cõstantin.Porphyrogenitus orat. de Christi imag.non manu facta apud Lippoman.to.6. Philip.Bergomas, & alii, qui & de ea miracula quædam referunt.Hæc postea Romam translata est,vt probat Baron.an.Dom.34.vbi&addit:Permansit pariter hactenus integra sanctissima Sindon illa, quæ corporis Dominici delibuta vnguẽto,in sepulchro posita fuit, veluti operimentum & stratum, quæ & in se imaginem in sepulchro Domini iacentis expressit, asseruaturq; summo honore in Ecclesia Taurinensi.

Christi sepulti in syndone expressa imago.

§Erat & alia Christi imago,quam Nicodemus Gamalieli dono dederat, quæ cum Berithi post multa sæcula peruenisset ad Judæos, Judæi in Synagogis sputis fœdarunt,arundine percusserunt,crucifixerũt, lancea latus perforauerunt, ex quo tanta continuò manauit abundantia sanguinis simul & aquæ, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint, quo morbi quicunq; sanarentur. Vnde & secuta est conuersio Judæorum Berytensium. Quæ res ab Athanasio huius temporis Episcopo diligenter conscripta integrè recitata,habetur Act.4 posterioris Synodi Nicænæ,& à Sigeberto in Chron. An.675.

Christi imago à Iudæis vulnerata.

§. Similia exempla de Christi imag. icta & sanguinem profundente videat lector apud Baron.an.446. & 570.& 975.& 888.& 1017.ac 1063. Ex his meridiana luce clarior est S. imaginum antiquitas,diuina approbatio, & mirifica vtilitas.

Plura eiusdẽ argumenti documenta.

§Sed hoc loco non est nobis prætermittenda Deipara Virgo, cuius varias imagines S.Lucã manib.suis ad viuum expinxisse in eius vita 18. Octobr. testatur Metaphrast.&Theodor.suorum collect.initio S.Th. ad 3.Sent.d.9.q.2.Niceph.l.2.c.43.l.16.c.15.& 16.quarum vna à Pulcheria Augusta Constantinopoli in tẽplo collocata, vt habet Niceph.l.14.hist.c.2.& lib.15. cap.14.

Deiparæ icones à S. Luca pictæ, & miraculis commendatæ.

cap. 14. altera ab eodem Euangelista expressa Romæ in templo S. Mariæ Maioris religiosè multis iã sæculis asseruatur, vt habet Durand. in Rationali l. 6. c. 89. Philippus Bergomas in Luc. & noster religiosissimus vir Petrus Canisius l. 5. de Deipara Virgine c. 32. Vtraque vero magnis illustrata est miraculis, vt ijdem Auctores literis commendarunt. Imago S. Mar. in Ecclesia, quæ apud Edessam in eius honorem exstructa est, templi custodem allocuta B. Alexij singularem pietatem cõmendauit, vt habet Simeon Metaph. 17. Mart. *Euagrius* etiam *l. 5. hist. Eccles c.* 18. miraculum aliud cõmemorat his verbis: *Quibus rebus cognitis Anatolius ad imaginem quandam Deiparæ fanem in carcere sublimem appensam accurrens manibus à tergo complicatis se ei supplicare precesq; adhibere ostendit: illa vero eum velut sacrilegum detestata, & Deo intuisum coarguens penitus à se auertit: spectaculum planè horribile & sempiterna memoria prodendum.*

§. Mirabile & illud, verum tamen & in Concil. 2. Nicæn. probatum quod scribit *Ioann. Moschus in Prato Spirit. cap.* 180. *Ioannes Anachoreta vir magni nominis, & præcipuæ sanctitatis, qui senex in spelunca quadam vixit circa villam, quæ dicitur Sochus, viginti propemodum milliaribus distans ab Hierosolymis, habebat in sua spelunca Deiparæ ac Dominæ nostræ semperq; Virginis Mariæ imaginem, eaq; matrem Christi filij gestatricem exprimebat. Qui senex, si quando religionis causa vellet aliò proficisci, & loca veneranda petere, quod illi erat perquam vsitatum, de more candelam coram eadem imagine incendebat, & precatione facta Deo sese, iterque suum commendabat, simulque in ipsam Deiparæ imaginem intuens his verbis vtebatur: Sancta Domina nostra Dei Genitrix, quia longum iter facere statui, ac multis diebus abesse cogor, tu candelæ huius habe curam, eamque, ne extinguatur, iuxta meum desiderium serua. Te quidem comite & adiuuante hoc ingredior iter. Hæc vbi dixisset imagini, in viam se dedit, & itinere confecto, domum postea rediit, ita vt aliquando vnũ, sæpè*

Dei matris imago.

Sanctorum locorum visitatio.

fæpè duos, etiam vel tres, imo quinq; & sex menses abesset. Sæper aũt in reditu candelam inuenit integrã & ardentem, sicut illã ante iter suum accensam reliquerat, nec vnquã vidit extingui. Id q; citra euidẽs miraculũ fieri neutiquã poterat, Deo haud dubie per Deiparã hoc prodigium operante, ac piam sancti senis fiduciã corroborante. Hoc in suæ benedictæ matris gratiã patrauit ille, q; fecit, *vt rub. arderet, & nõ cõbureretur Exod.* 3. *v.* 2. qui fecit, vt in solitudine maximis itinerib. peregrinantiũ Judæorũ neq; vestes, neq; calcei cõtriti fuêre, *Deuter.* 8. *v.* 3. 4. *& c.* 29. *v.* 5. *Adduxit vos* 40. *annis per desertũ: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorũ vetustate consumpta sunt.* Qui fecit, *vt hydria farinæ nõ deficeret, & lecytus olei non imminueretur, iuxta verbum Domini, q; locutus fuerat in manu Eliæ,* 3. *Reg.* 17. *v.* 16.

Deus supra naturæ ordinem res conseruat

§ Ob has igitur quas hic & superiore cap. recensuimus causas iure Catholica Ecclesia vsum cultumq; S. imaginum approbauit, dãnauit vero & proscripsit Iconomachos, qui oẽs aut Judæi, aut Mahometani, aut Magi, aut manifestè hæretici fuerunt, vt probat doctiss. Cardin. Bell. l. 2. de Eccles. triũphante c. 6. Stephan. Durãt. l. 1. de ritib. Eccles. Cath. c. 5. §. 13. quos assectatus Joan. Caluin. l. 1. Inst. c. 11. & l. 4. c. 9. §. 9. cuius proinde mali corui, mala oua, vbicunq; possunt, S. imagines frangunt, vel comburunt, vel abradunt. Itaque imaginum oppugnatores primi fuere Judæi, qui & in suo Talmut Christianorum templa domos idololatriæ appellant. Hinc Xenaias Eutychianus homo Persa & seruus fugitiuus, qui se Christianum simulãs, nondum baptismo initiatus à Petro Cnapheo Hierapolis factus est Eps Niceph. l. 15. hist. c. 27. & 28. Deinde vt patet ex epist. Simeon. Eremitæ ad Justin. iuniorem Imperatorem, quæ habetur in 7. Syn. act. 5. Samaritani quidã in Eccles. inuaserunt, & in imagines Christi & Sãctorũ ferocissimè grassati sunt. An. vero Dõ. 600. Mahomet' oes imagines auersatus, ac potissimũ S. crucem

Iudæi, Samaritani, Mahometani, Magi, dæmonum & idolorũ cultores, Caluinistæ S. imaginum euersores.

cem, nullas suæ sectæ hominibus in templis permisit, vt ex Alcorano cap. 15. & ex ipsa constat experientia: nec enim Turcæ imagines habent, & nos ob imaginũ cultum idololatras reputãt. Octauo sæculo Leo Isaurus à Judæis persuasus, vt Cedrenus, Zonaras, Paulus diaconus, & Synodus 7. act. 5. ac alii testantur, publico edicto S. imagines è tẽplis eiici & deleri præcepit, plurimosq; sibi resistentes occidit, & tandem animæ ac corporis morte periit, vt habet Theophanes. Cuius pessimi patris nequior filius Constantin. Copron. Necromanticus, & hæreticus Nestorianus Christum purum hominem affirmans, vt habet Zonaras, Venerem colens, & humanas hostias immolans, vt testis est Suidas, habitu Christianus & mente Judæus, vt Theosterictus, qui eo imperante floruit, memoriæ cõmendauit, sacras similiter imagines odio persecutus exterminauit. *Qui diuinitus in cruribus plaga percussus, ac validissima febre correptus, animæ & corporis mortẽ obyit: vociferans se adhuc viuentem inextinguibili igni traditũ propter S. Mariam, iubensq; eam exinde honorari tanquam sanctam Virginem ac vere Deiparam, vt testantur Cedren. & reliqui omnes Græci auctores.* Leo Armenus dæmonibus familiaris, malis artib. Imperator creatus, S. imaginũ defensores prosequitur, & iuxta altare à cõiuratis necatur, inter quos Michael Balbus mox comburendus fuit, qui è carcere eductus, & Imperator renuntiatus, eandem aduersus S. imagines impietatem æmulatus est, quem Zonaras sentinam sectarum fuisse, iudaizasse, & resurrectionem mortuorum negasse simul & dæmones, Prophetas irrisisse, scortationem peccatũ non iudicasse, Judã inter beatos annumerasse dicit, q̃ eadem de illo scriptis mandarunt Curopolatus & Cedrenus. Hic orthodoxos ob imaginum veneratione oppugnauit, plurimosq; exilio mulctauit, & dysenteria extinctus filium Theophilum imperij & impietatis

tatis reliquit hæredem, qui in ciuilibus rebus iustitiæ cultor, in fide hæreticus iconoclasta diriſſimè imaginum cultores exagitauit, cuius facinoris in obitu pœnitens, ſacram imaginem exoſculatus Sãctorum precibus miſericordiam conſequitur. Baron. an. 842. Horum veſtigiis inhæſerunt Paulitiani, Felix Vrgelitanus, Claudius Taurinenſis, Bogomeli, Petrobruſiani, VValdenſes, Almaricus, VVicleffiſtæ, Carolſtadius, quos inſignitè perfidos ſectati ſunt, vt indicauimus, Caluiniſtæ, qui vtinam infeliciſſimos eorũ exitus pertimeſcant, quorum vias perſequuntur, & potius Catholicos æmulentur, qui rectiore gradiuntur via, dum Spiritum S. in Conciliis loquẽtem audiunt & ſectantur: nam pro S. imaginibus retinendis & colendis in Oriente celebrata eſt 7. Synodus Oecumenica, & in 8. Synodo can. 3. illius decreta renouantur & confirmantur. In Occidente celebratum eſt Concilium Romanum ſub Gregorio III. ad quod confluxêre ferè mille Epiſcopi 903. à quibus damnata eſt hæreſis Iconomachorum ſub ipſis controuerſiæ initijs: de quo Sigebertus in Chronico anni 733. Acceſſit & Concil. Tridentin. ſeſs. 25.

CAPVT XXXIX.

TEMPLI SANCTITAS PIETATEM commouet.

§ IPSVM denique templum, quia Deo dedicãtum, ſanctum, honorabile, & cæleſti virtute prædituм eſt, in eo commorantibus religionem affert. *S. Ioann. Chryſoſt. hom. 66 ad popul. Antioch. de templo* loquens *Apoſtolorum. Simul*, inquit, *ac pauimenta calcaueris, ad cœlum mentem locus tranſmiſerit, & ad ſupremum Regem, & illum Angelorum exercitum, & ſublimem thronum, & inaceſſibilem gloriam.* Res enim omnis Deo dicata ſancta eſt ex

Res Deo oblata & consecrata externæ sanctitatis particeps.

ipsius sententia Dei .*Leuit.27.v.9. Animal quod immolari potest Domino,si quis vouerit sanctum erit. Et v.28. Quicquid semel fuerit consecratum sanctum sanctorum erit Domino.*

Aedes & aræ benè ac iure Deo dedicantur.

§.Templa vero & altaria rectè Domino Deo consecrantur, sicut Jacob Patriarcha ad sacrificandum erexit in titulum lapidem, eumq; desuper fundendo oleum consecrauit,& inde locum nominauit Bethel, id est,domum Dei.*Genes.*28.Rursus *cap.*35.diuino monitu *erectum in altare lapidem iungendo consecrauit, & libauit super eum libamina. Moyses* etiam *Exod.*40.*& Num.* 7.sacro oleo alijsq; cæremonijs Tabernaculum,altare, & omnia eius vasa consecrauit. Salomone templum sanctificante Deus illud pariter sanctificauit,vt ipse Deus testatur. 3.*Reg.9.v.3. Exauaui*, ait,*orationem tuam,& sanctificaui domum hanc quam ædificasti.* Sanè Episcopi preces, & Ecclesiæ in templorum consecratione non minus efficaces sunt,quam Salomonis. *Omnis creatura Dei bona est*,inquit *Apostolus* 1.*Tim.*4.*v.*4.*& nihil reijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.*Si cibi ad corporis necessitatem sumendi à vulgaribus hominibus, Dei verbo & oratione sanctificantur, quanto magis templa, ad Dei honorem & cultum exædificata, per sacras personas publicis precibus & benedictionibus consecrantur?

Deus sanctificat templum.

Oratione & verbo Dei res sanctificantur.

Rerum sacrarum locus sacer est.

§. Quod si sacrarum rerum locus sanctus est,vnde Angelus ait Moysi *Exod.*3.*v.*5. *Solue calceamentum de pedibus tuis,locus enim,in quo stas terra sancta est.* Quæ eadem verba apparens Josuæ angelus dixit *cap.*5.*v.*15.quid ni sanctum sit templum, in quo res sanctissimæ conseruantur? vnde *S.Aug.l.*4.*cont.Cresc.on.Gram.c.*40.*Felician. Deo omnipotenti consecratos parietes Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam. Quis*,inquit *S. Bern.ser.*4.*in dedic.Eccles.parietes eius sãctos dicere vereatur, quos*

quos manus sacratæ Pontificum tãtis sanctificauere mysterijs? Sanctitas templi & aliis impertit sanctitatẽ.

§. Sane Seruator noster eam agnoscit in templo inesse sanctitatem, quam & cum alijs rebus cõmunicet. Matt. 23. v. 16. *Væ vobis*, ait, *duces cæci, qui dicitis: quicunq; iurauerit per templum nihil est; qui autem iurauerit in auro tẽpli, debet: Stulti & cæci, quid n. maius est aurum, an templum, q; sanctificat aurum?* Etsi lapides absolute inferiores sint auro, vult tamen Christus lapideum templũ propter relationem ad Deum, cui cõsecratum est, longe præstantius & sanctius esse auro, cui impertit sanctitatem. Qua ratione templum sanctificet.

§. Sapientissimus ille Rex & religiosissimus Dauid tabernaculum templumq; Domini sanctitatis exornat titulo. *Psal. 5. v. 4. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctũ tuum in timore tuo. Psal. 27. v. 2. Exaudi Domine vocem orationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad tẽplum sanctum tuum. Et Psal. 45. v. 5. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ps. 64. v. 4. 5. Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate* (ex Hebræo vertitur terribile in iustitia, id est, admirationem & terrorem incutiens) *Psal. 78. v. 1. Polluerunt templum sanctum tuum. Psal. 137. v. 2. In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Idem est videre in alijs Prophetis. *Ionæ 2. v. quinto.* rursus videbo templum sanctum tuum. Micheæ 1. v. 2 Dominus de tẽplo sancto suo, 2. Haba. 2. v. 20. Dominus in templo sancto suo. 2. Machab. c. 9. v. 16. templum etiam sanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, &c. S. Dauid crebro templi sanctitatem præditum vt & alii Vates.

§. Sanctum est templum Dñi. Quid ergo? Sãcta Dei sanctos exigit aula viros. *Domum tuã*, ait regius Vates *Ps. 92. v. 7 decet sanctitudo Domine in lõgitudine dierũ*, q. d. cõuenit Dñe & dignum est, vt oẽs domum tuam semper vt sanctam venerentur & in honore habeant. Decorũ

& æquum est Domine, vt qui in sancta domo tua versantur & ipsi sancti, puri sint & integri. Demum conueniens est, vt à te tua domus sancta & inuiolata conseruetur, vt portæ inferorum nunquam præualeant aduersus eam.

§ Malè itaque affirmat Caluinus lib. tertio instirut. c. 20. §. 30. nō putandum vllam in templo inesse sanctitatem.

Diuina vltio in templorum violatores.

§. Hanc templorum sanctitatem, qui vel neglexerunt, vel contempserunt, aut violarunt, impunè non abierunt: vt Balthasar rex, *Daniel.* 5. sacris abutens vasis regno spoliatur & vita. Heliodorus, 2. *Machab.* 3. Templi thesauros deprædaturus diris simè ab angelis cæditur. Antiochus, 4. *Mach.* 9. à vermibus cōsumptus est. Nicanor, 2. *Mach.* 15. cum templo excidium minitatus esset ignominiosè in bello occisus est. Et Alcimus, 1. *Machab.* 9. *v.* 54. *&* 55. præcipiens destrui muros domus sanctę interioris, paralysi & tormento magno mortuus est. Quæstor Apostatæ Iuliani & auunculus apud *S. Chrys. hom.* 4. *in Matt. sub principe*, inquit, *Iuliano, qui omnes impietate superauit, Iudæis templum Ierosolymis reædificare cupientibus, de fundamentis ignis exiliens, à cœpta illos ædificatione deterruit. Et cum idem prophanus sacrata Deo vasa temerando ebrietatem suæ mentis ostendit, quæstor regalis ærarii per medium repentè diruptus est. Tunc etiam eiusdem regis auunculus, nominis quoque illi communione coniunctus vermibus exesus interiit. Gundericus rex Vuandalorum capta Hispali, cum impiè elatus manus in Ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio à dæmone correptus, interiit. Sigebertus in Chronico Anno* 429. *Saraceni templum S. Iacobi Apostoli diruentes dysenteriæ morbo pereunt. Ioannes Vasæus in Chron. Hispan. An.* 963 *Milites Caiani templum sepulchrumque S. Martyris Alexandrini incenderunt: quos repentina pestilentia sustulit. Niceph. lib.* 8. *hist. cap.* 28. Leo Constantini Copronymi filius, qui ablata insigni corona ad templi

pli ornatum à Mauritio Imperatore donata ignitos carbunculos sensit in capite, & ardentissima febri extinctus est. Auctores sunt *Cedrenus & Zonaras.* Vide *S. Greg.lib.1.dial.cap.4.* sub finem *de Longobardis.* Et initio *cap.9.de matrona lasciuiore lib.3.c.29 de Ariano Episcopo.*

CAPVT XL.

SATIVS ET RELIGIOSIVS IN AEDE sacra, quam profana domo DEVS *colitur.*

§. SANCTVS *Augustinus libro de Vnitate Ecclesiæ cap.19. rectissimè affirmat: plus valere petentis affectum, quam petitionis locum.* Et *tract.10.in Ioannem. Munda tantum cubiculum cordis. Vbi fueris, vbicunq; oraueris, intus est, qui exaudit.* Verum malint Ecclesiastici in templo, quam domi, vel quouis alio in loco diuina peragere officia: quia ibi se magis exorabilem, propitium, benignum affuturum pollicitus est Deus, 2.*Paral.7.v.15.* Conuenientius est subditum in principis palatio, quam domi suæ, de arduis negotiis tractare. Huniades Hungarorum Rex ad se summe ægrum, non est passus Eucharistiam deferri. *Indignum est,* inquit, *potentem Regem, vt sui vectigalis ac stipendiarii domum subeat, sed se ad templum deportari voluit, & ibi reuerenter communicauit. Aeneas Syluius testis in historia de Europa.* Decentius ergo & in templo, quam domi precari: 2.*Reg.24.v.18.Luc.1.v.* 43 *Lucæ 7.v.6.Ioan.14.v.13 & c.16.v.23.*

Deus magis in templo placabilis.

Decentius est vt subditus diuertat ad regiam, quã rex ad priuatam domum.

§.2. Quia ibi & corporaliter præsens est Christus Dominus, in cuius nomine quod petitur, prolixè ac plena manu largitur Deus.

Per Christi etiam corpore præsentis merita postulatur in Ecclesia.

§3. Quia inibi potissimum nobiscum comprecantur cælestes spiritus, & Dei beneficia nobis impetrant sancti homines, suas quasi exuuias inuisentes. *Apocal.8.v.3.4. Orig.lib.8.contra Celsum.*

Sancti vnà nobiscũ in templis Deo supplicant.

§.4. Quia ibi plurima sunt pietatis inuitamenta.

In templo plura &ma

iora sunt religionis excitamenta.

§ 5. Quia locus ille sacer est diuinis officijs, sacrificijs, precibus, concionibus addictus & destinatus, quas & alias causas ante exposuim⁹, & tradit *S. Th. 2. 2. q. 84. ar. 3. ad 2.* Sed & nunc ijs rationes pgnantes adiungamus.

Domi multa precandi obstacula.

§ Igitur 6. quia domi multa, ne precationem ordiamur, obijciuntur impedimenta, & vt ab ea cessemus, vel eam interrumpamus, suggeruntur auocamenta. At intret quis in cubiculum suum, & clauso ostio oret Patrem suum in abscondito. Non perstrepet familia? non pulsabitur ianua? nulla curiositas precatorem sollicitum habebit, quis domum ingressus, quid velit, quid agendum? Isaac Patriarcha diuina & cœlestia meditaturus, vt se domesticis liberaret curis, cum templo careret, in agrum discessit, *Genes. 24. v. 63.* Et Saluator noster precaturus, non modo turbam, sed & à se Apostolos dimisit, vt attentius precandi daret exemplum. Qui frequens est, & assiduus in templo, Deo honori est, Ecclesiæ ornamento, suis socijs & popularibus bono exemplo, & sibi honestam existimationem, singularem beneuolentiam, & præcipuam apud probos omnes auctoritatem comparat.

Secessus à negotijs deprecationi aptissimus.

Vtilitates Ecclesiam frequentantis.

Comprecātes religionē mutuo accendunt.

§. 8. Quia in templo mutua pietate, alacritate, & concordia mirificè preces excitantur, inflammantur, & Deo gratiores efficiuntur, eumque citius, & magis conciliant, quemadmodum nos docuêre S. Patres. Antiquissimus ille *Tertullian. Apolog. sui cap. 39.* *Coimus in cœtum, ait, & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes.* Hæc vis Deo grata est. Et *B. Basil. epist. 68.* *Porro, ait, quod in ipsa corporis structura communio est necessaria, Dominus nos docuit. Quum enim hæc ipsa membra nostra respicimus; quod vnum non sibi ipsi ad functionem satis est, quomodo censebo meipsum mihi sufficere ad vitæ negotia obeunda? Neque enim pes tuto ierit, altero non subleuante, neque oculus sanè viderit nisi alterum habeat socium, & cum eo vnanimiter visibilibus se obiiciat.*

Elegantibus similib. B. Basil. explanat vim vocum deprecātium.

Manus manum abluit & fricat.

Iam

Iam auditus exactior est, qui per vtrosq; meatus vocem recipit. Et multo validior apprehensio digitorum communione. Adhæc nihil eorum vel quæ à natura, vel quæ ex instituto rectè peraguntur, sine consortis conspiratione perfici videmus: cũ etiam deprecatio ipsa consonantes non habens, multo est inualidior. Et Dominus dixit Matth. 18. vers. 20. cum duo vel tres vnanimes ipsum inuocant, in medio se illorum fore. Insuper dispensationem ipsam Dominus suscepit, vt per sanguinem crucis ipsius siue terrena, siue cœlestia pacificaret. Coll. 1. v. 20. Basil. amicus in eandem descendit sententiam. *S. Ambros. Multi minimi,* ait, *dum congregantur vnanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est contemni* Copiosior & elegantior in hoc genere est *S. Ioan. Chrysost.* qui *hom. 79. ad popol. Ant. Et domi quidem,* ait, *orari potest, sic autem, vt in Ecclesia non potest, vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans, audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est: puta vnanimitas & consonantia, caritatisq; vinculum, & sacerdotum orationes. Propterea namq; sacerdotes præpositi sunt, vt multitudinis orationes cum sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes, pariter cum illis in cœlum ascendant. Si namq; Petrum Ecclesiæ adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quomodo tu ipsius potentiam contemnis?* Eandem prorsus sententiam inculcat *S. Chrysost. hom. 3. de incomprehens. Dei natura.*

In conuentu iustorum Dominus.

Cum aliis precantes facilius impetramus.

Sacerdotũ & Clericorum preces ardentiores esse debent, quam sæcularium.

S. Petrus Ecclesiæ columna.

CAPVT XLI.

IN TEMPLO DEVM POTIVS COLENDI documentum Christus, Apostoli, primi Christiani.

§. IN templo precandi illustre Saluator præbuit exemplum; qui & quadragesimo ab ortu suo die, in templo offerri voluit, *Lucæ 2.* & puer duodenis illud religiose cum sanctissima matre adijt & Nutritore

Quotidiè Christus in templo versatus.

Saculariũ in templo negotiorum tractatio offendit Christum.

Apostoli primiq; Christi discipuli in templo assiduissimi.

Quotidiana Apostolorum in tẽplo precatio.

Precationis socia sit eleemosyna.

Spiritus S. ad templũ inducit.

Vidua speret in Deũ, & instet orationib. nocte & die. 1. *Tim.* 5. *v.* 5.

Cultus Dei ieiunatio & deprecatio.

Ioſepho, nec alibi quam in eo repertus eſt, *Lu.* 2. *v.* 46. & ſe ibi negotia diuina patris tractare affirmauit, *v.* 49. illud ſua præſentia creberrime honorauit. *Erat docens quotidie in tẽplo*, ait *S. Lu. c.* 19. *v.* 47 Et ipſe *Dominus: Quotidie eram apud vos in templo docens, Mar.* 14. *v.* 49. Grauiter tulit, & caſtigauit quod templum conuerteretur in ſpeluncam latronum, & domũ negotiationis. *Mat.* 21. *v.* 13. *Ioã.* 2. *v.* 16. idq; aſſeruit eſſe *domum Patris ſui, & domum orationis*, hoc eſt, locũ proprie precationi, & exercendæ religioni deſtinatum & conſecratum.

§. Apoſtoli eorumq; & Chriſti Dñi diſcipuli & ſectatores, aſſidui fuere & in templo precatores, ac diuini Numinis laudatores, vt teſtis locupletiſſimus, & probatiſſimus eſt S. Luc. qui Euãg. ſuum his cõcludit verbis. *Et ipſi* (diſcipuli) *adorantes* (Chriſtũ Dñm in cælos inuectũ) *regreſſi ſunt in Ieruſalẽ cũ gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deũ.* Et rurſum in Apoſtolicis Actib. *c.* 2. *v.* 46. *Quotidie*, ait, *perdurabant vnanimiter in tẽplo.* Quantus primorũ Chriſtianorũ ardor & religionis ſtudiũ ſtatis in temporib. in dies ſingulos tẽplum ineuntiũ, & cõiunctiſſimis animis Deum religioſiſſime deprecantiũ? Et *c.* 3. *Act. v.* 1. *Petr. & Ioã. aſcendebant in tẽplum ad horam orationis nonã*, & claudo mendicanti ante tẽpli veſtibulũ eleemoſynæ loco ſanitatẽ tribuerunt religioni miſericordiam copulantes, q̃ orationis, jeiunij, eleemoſynæ cõſociatio Deo gratiſſima eſt, *Tob.* 12. *v.* 8. *Exo.* 23. *v.* 15. *Deut.* 16. *v.* 17. *Hoſ.* 6. *v.* 6. Deprædicat idẽ S. Luc. B. Simeonẽ ſenẽ, q̃ manifeſtante, monente, & inſtigante Spiritu S. in tẽplum venerit. *Lu.* 2. *v.* 27. Eo n. impellit diuinus ille ſpiritus. Commendat & ibid. *v* 37. S. Annam viduam, *quod non diſceſſerit de templo ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et Actor. cap.* 8. *verſ.* 27. *laudat* Eunuchum ex Æthiopia religionis ergo ad Jeroſolymitanum templum proficiſcentem, & in itinere Iſaiã prophetam

phetam legentem, ac exemplo suo ad loca sacra peregrinantes monentem, vt pia lectione, precatione, aut collocutione, & exhortatione viam progrediantur, & à nugis abstineant.

Pia lectio & obseruatio nullum itineris impedimentū.

§. Philo Iudæus libr. de supplicum virtutibus recensens Apostolicæ & Ecclesiasticæ institutionis primordia tradit vetustissimos illos Christianos precandi gratia sacras in singulis agris ædiculas habuisse.

§. Et sanctis in lege omnibus persuasissimum fuit: propitium in templo Numen adesse; qua de causa & ad illud se religiose conferebant; quos inter numerandi Helcana & Anna Samuelis Parentes 1. Reg. 1. quæ Anna in Domini tabernaculo & filium impetrauit & ibidem Deo consecrauit.

Sanctorum iudiciū, in templo Deū magis propitium.

CAP. XLII.

S. DAVIDIS IN FREQVENTANdo Dei tabernaculo studium.

§. AST in hoc præcipuum eluxit regij Vatis officium, qui eo se recepit 2. Reg. 7. gratias acturus pro sempiterni regni promissione. Quod quam illi solenne, jucundum, frequens fuerit, cum alibi indicatur, tum ille frequens in Psalmis significat Psalm. 5. ver. 8. *Ego in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.* Confisus immensa misericordia tua, cujus misericordiæ & effecta largiter & plena manu in eos, qui in sacro tuo domicilio te sanctè precantur, effundis: ingrediar & ego illud, & ibi pauida religione, & religioso pauore tremendum Numen supplex venerabor. Psalm. 22. v. 8. 9. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ,* (Ad quid?) *& vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Magna misericordia ducit.

Deus munificentißimus erga sibi in templo supplicantes.

Dei misericordia ad templū inducit.

dia Dei hominem incitantis, vt multo tempore in sacra ipsius æde commorari velit. Vtiq; & sempiterno tempore habitaturus in cœlesti templo ibiq; Deum laudaturus Ps.26.v.7.8. *Vnam* (rem, vnum hoc) *petij à Domino, hanc requiram* [alijs rebus posthabitis] *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluptatem Domini* [ejus pulchritudinem & suauitatem mirificè oblectantem contempler,] *& visitem tẽplum eius.* Quoniam *abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Propter meam erga tabernaculum suum pietatem sæpè à periculis defendit me Deus. Ps.65. v. 12. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quæ distinxerunt,* [distincte promiserunt] *labia mea.*

Peroptauit Dauid semper in sacra æde commorari.

§. Quia verò immensum hoc desiderium & ingens studium, in Dei domicilio assiduè versandi, Psalm. 83. expressit, illum breui commentariolo illustrabimus. Psal.83.v.1. Quidam autumant esse canticum populi è Babylonica captiuitate ad Jerosolymitanam patriam suspirantis, sed nimis demisse. Alij esse Psalmum cujusvis justi ad æternam beatitudinem anhelantis & rectè. Verum Germanus illius hymni sensus esse videtur; quod Dauid profugus ab Absolone, ad Dei tabernaculum ac ædem sacram, reditum & mansionem desiderarit. Sic ergo ingenti pietatis affectu exclamat: *Quam dilecta* [pijs] *tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Ædes tua sacra, O Deus cœlestium exercituum Imperator, te amantibus valde amabilis, inter quos tua gratia & ego, ad eam tanto anhelo desiderio, vt præ illius abundantia penè animo linquar. Sanctus Hieronymus in Commentar. *Alii desiderant possessiones, alii istius sæculi diuitias, alii parere in istius sæculi Ecclesiis, & gloriam aliquam habere apud homines: mihi hoc solum desiderium est videre æterna tabernacula* [immo amore & de-

Explanatur Psa.83. quo Dauidis erga vtramq; Dei domũ terrestrẽ & cœlestem affectus mirificè exprimitur.

desiderio languet & quasi deliquium patitur in ea intendens animus meus) S. Hieronymus in Comment. *difficile est vt cor & caro alicuius in communione consentiant* Galat. 5. versic. 17. *Hoc non potest dicere, nisi ille qui in amorem Dei tota mente defixus est, Quod ait istud est: Animus gestiit ad te peruenire O Deus, sed & ex animi redundantia ipsum corpus. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum,* idcirco ædem sacram tantoperè desidero, vt te vbique præsentem magis præsentem habeam. [mens pariter & lingua spiritali gaudio gestientes in tui Dei viuentis laudationem proruperunt.] *Etenim passer inuenit sibi domum & turtur nidum vbi ponat pullos suos.* Habent animantia nidos suos & cubilia, vbi cum suis fœtibus quiescant, at quæ meæ quietis loca & propugnacula? *Altaria tua Domine virtutum Rex meus & Deus meus* [ibi nimirum apud aras tuas in templo tuo tutus sum, acquiesco, ibi pias cogitationes, sancta desideria, religiosa vota, sacras meditationes, preces & laudes tanquam pullos meos repono] *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Tua immensa bonitate nouam nouæ laudis materiam exaggerante, & quo momento non recentia à te percepimus beneficia? *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum in loco quem posuit.* Fœlix qui tuo fretus Domine auxilio, etsi in domo tua assiduè non commoretur, vt vellet, è miseriæ hoc loco conatur ascendere in locum quem in habitationem sibi Dominus constituit: & per virtutum gradus peruenire ad cœlestem felicitatem, vbi meta laboris, & optatissimus peregrinationis terminus. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Vt autem eo perueniatur, DEVS legislator, qui legem sanciuit, & cœlum sibi locum delegit, varias etiam suæ gra-

Corpus & corrumpitur aggrauat animã Sap. 9. v. 15

Nidos spiritalis columba.

Frequens in Dei templo permansio.

Dei gratia mentem in cælum sustollit.

Deus dat & præceptũ & auxilium.

gratiæ benedictiones,(græca&hebraica habent benedictiones) &multiplicia dona attribuit,vt quotidie seipsis fortiores, (quod non fit nisi per solidas virtutes) efficiantur & pertingant ad montem Sion, vbi Deus cernitur. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam* (vt ab hoc exilio liberatus ad S. ædem tuam pueniam:) *auribus percipe Deus Iacob. Protector noster aspice Deus* (me vultu placido, fauente,benigno) *& respice in faciem Christi tui*,me amanter intuere,quem in Regem vnxisti, vel potius in Messiam populi tui Principem Agnum illum tollentem peccata mundi. *Quia melior est dies vna in atriis tuis & tabernaculi terrestris, & cœlestis super millia*(i.e.quam mille dies quovis loco,&jucunditate traducti) *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*,& palatijs principum. *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Aditus ad templum,& cœlum & mihi & cuiuis justo patebit: quia Deus misericordiam,quam amat,præstabit,& miserendo gratiam dabit quam promisit. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*[integritate,virtute] *Domine virtutum. Beatus homo*[qui alijs posthabitis] *sperat in te.* Ps. 131. S.Dauid sanctè Deo promisit,se semper velle animo excubare, & nullam quietis partem capere, donec ei sacram ædem pararet, v.1.2.3.4.

Dei seruitus,felix regnum,Principum seruitus splendida miseria.

Vt in templo Deum laudibus celebremus hortator & suasor sanctus Dauid.

§. Multo plura S.Dauidis erga Dei templum religionis testimonia produci possent, sed ita sufficiunt, tantum illum nos exhortantem benignè audiamus, Psal.133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum.* *Benedicat te Deus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.* Omnes quidem fideles Dei serui sunt; eiq; omnem honorem & cultum debent, sed præcipua quadam ratione, electione, consecratione toti diuino obse-

quio

quio addicti & mancipati estis, O Sacerdotes & templi ministri, qui assiduè in eo versamini, vos singulari semper studio Deum laudate. Et cum à templo abestis, non solum interdiu, sed etiam noctu precatores, & laudatores Dei, manus ad Sancta Sanctorum, vbi est arca Dei & propitiatorium leuate, & Domino laudes & gratiarum actiones persoluite, quod cum assidue facitis, cuique vestrum, vt cœlesti benedictione impertiat & cumulet Deus, illum precor & supplex imploro.

Nobis Sanctum Sanctorum arca, & propitiatoriũ Christus.

§. Daniel in Babylone captiuus cum templi Ierosolymitani copiam non haberet, *apertis tamen fenestris contra Ierusalem tribus temporibus, in die genua flectebat, & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo* c. 6. v. 10. 12.

S. Daniel conuerso ad templũ corpore Deum precabatur.

§. Quia & ipsi gentiles pia hac opinione imbuti fuere: Deum potius in templo, quam alibi imprecandum esse & venerandum. Hinc B. Ioan. c. 12. ver. 20. *Erant autem quidam gentiles*, ait, *ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo, & rogabant Philippum dicentes: Domine volumus Iesum videre.* Nunc in vniuerso mundo Ecclesiæ sunt exædificatæ, ad quas Sacrificij, precationis, Concionis, aliorumq; diuinorum operum ergo, conueniant Christiani, quemadmodũ prænunciauit Deus: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis* Isa. 56. ver. 7. Hoc est S. Hieronymo interprete, non vni genti Iudeæ, non vni Ierosolymæ vrbis loco, sed in toto terrarum orbe.

Quod & tẽpli ministris faciendum paulo ante suasit Sanctus Dauid.

Gentiles diuinam vim in templo inesse existimauerunt.

CAP. XLIII.

A TEMPLO OMNIS EXVLET immodestia, omnis in eo regnet modestia & religio.

§ EA agant in templo, quæ loci addecent Sanctitatem, fugiantq; contraria, & operam dent, vt idẽ præstetur à secularibus. Gratianus d. 42. c. 7. *Oratorium*

hoc

Nihil non sanctum in templo tractandum.

hoc sit, quod dicitur, nec ibi quicquam geratur, vel condatur, quam quod diuinis ministeriis conueniat. Quæ sententia est deprompta ex reg. S. Benedicti c. 52. de silentio in Ecclesia seruando præcipientis. Qui S. Benedict. mutuatus videtur à S. Aug. in ejus reg. c. 5. & citatur eadem dist. 42. c. 8. *In oratorio, præter orandi & psallendi cultum, penitus nihil agatur: vt omnino huic & operæ iugiter impensa concordent.* Concil. Turon. sub Carolo M. c. 38. *Nec verbis nec alio modo licet in Ecclesia strepere, nec tumultuari: sed quamdiu in ea caussa orationis manetur, fabulæ inanes cauendæ sunt. Idem habet Concil. Saligunstadianum c. 9.*

Omnia piè, honestè & tranquillè peragantur in Ecclesia.

§. Et V. Beda in c. 21. Matt. *Eiecit Dominus commercia rerum humanarum de templo illo, in quo diuinas res tantũ agi, hostias & oblationes Deo offerri, verba Dei audiri, legi & decantari præceptum erat. Si, quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patiatur, quãto magis ea quæ nusquam fieri licet, plus cœlestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis agantur. Greg. etiam X. de immunit. Eccl. c. 2. l. 6. Decet domum Domini sanctitudo, decet, vt cuius in pace factus est locus, etiam cultus cum debita veneratione sit pacificus. Sit itaq; ad Ecclesias humilis & deuotus ingressus, sit in eis deuota conuersatio, Deo grata, inspicientib. placita, considerantes non solum instruat, sed & reficiat, præcipuè, dum aguntur Missarum sacra mysteria.* S. Nilus in Paræsi: *Ecclesiam non secus ac cœlum frequenta: nihilq; in ea seu loquere, seu cogita terrenum.* Didicit hoc discipulus à Magistro suo S. Ioanne Chrys. qui hom. 36. in 1. Cor. *Est,* inquit, *locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum. Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc te introducat, etiamsi fratrem videas, tamen præstupore non alloquare: Sic neq; hic aliud quidquam quam Sancta sonare decet.*

Templum, cœlum.


Episcopi tẽplorum abusus corrigant, nec desint Prælati, ipsi etiam aliis præluceant.

§. Cujus modestiæ in Ecclesia seruandę cura Antistitibus demandata. *Ordinarii locorum Episcopi,* inquit, *Concil. Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in cele-*

celebratione Missæ sæculares omnes actiones, vana atq; adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant: vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, & dici possit, Matth.21.v.13. Domus inquam orationis, non inambulationis, non confabulationis, non capiendi consilij pro capitulo siue Concilio Ecclesiæ, non negotiationis non obtrectationis, non leuitatis cujusquam. Nam quod dixit Apostolus 1.Cor. 11. vers. 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* majore jure & energia dicere quis posset; Nunquid non domos, hortos, plateas, compita, fora, campos ad deambulandum, sermocinandum, nugandum, &c. habetis, aut Ecclesiam Dei ac in ea Deum ipsum impudentissimè spernitis?

§. Hæc licentia, hæc impudentia, hæc religionis, non dico contemptio, sed prætermissio & neglectio quantoperè Deo displiceat, satis declarat Ierem.11. v. 15. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quid causæ est, quod à me ad cultum & obsequium meum delectus, & dilectus vir Ecclesiasticus, nō tantum domi suæ, sed & in ipsa domo mea, non vnū sacrilegium, vel peccatum, sed multa commiserit: Iobi 19. & 15. *Inquilini domus meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.* Quod S. Greg. l.14. Moral. c.21. in hunc explanat modum, quasi loquens in Christi persona: *Sacerdotes qui meam incolebant domum, quasi alienum neglexerunt me, & fui contemptus in oculis ipsorum*, sed non impunè. *Propter malitiam adinuentionum eorum eiiciam eos de domo mea, ait Dominus Hos. 9. v. 15. non addam, vt diligam eos.*

Exosa Deo templorum neglectio.



CAP.

CAPVT XLIV.

INVECTIVA SANCTI AMBROSII IN templi contemptores, similiter Sancti Basilii, Diui Augustini, Beati Cæsarii.

Indignissimum facinꝰ quoquo modo concione, comprecationem, sacrificium, vel Sacramenti administrationem perturbare

M. Alexandri honorarius puer tẽpli maiestatem reueritus.

Strepitus omnis in templo vitandus.

Ne diuina in templo officia impediantur, rana à coaxatione cessant, & garrire non desinunt impij homines.

Munus S. Angelorum Deum dilaudare.

§. GRauiter in tales grauis Sanctus & Doctus inuehitur Episcopus Ambrosius libr. 3. de Virg. *Maxima*, inquit, *est virtus tacendi præsertim in Ecclesia. An quicquam est indignius, quam oracula diuina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur circumsonare Sacramenta confusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium? cum gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt? vnde illud exemplum proditur, Alexandro sacrificante Macedonum Rege, paruulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atq; adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse affectu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret, atque ille non Deos, qui nulli erant, sed Regem timebat. Et tu in ministerio Dei gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse vt conticerent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi, tunc subito circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoscit, quod per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiam, vt plærique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati.*

§. Magna etiam vituperatione illos eosdem in templo immodestos reprehendit S. Basilius hom. 1. in Psalm. 28. exponens versum 9. *Et in templo eius omnes dicent gloriam: Angelorum*, inquit, *opus laudare Deum omnibus*

nibus deniq; cœlestibus exercitibus vna hæc cura, gloriam transcribere creatori. Reliquæ item creaturæ omnes, siue cœlestes, siue terrestres, seu rationales, seu rationis expertes, demumq; inanimatæ, seu voce siue gestis, aut aliqua significatione summum omnium conditorem Deum extollere ac prædicare videntur. Homines verò miserabiles relictis ædibus suis ad templum concurrunt, quasi emolumenti quicquam inde laturi, cum tamen nec accommodent aures verbis Dei, nec suæ intelligant conditionem naturæ, nec peccato quopiam præoccupati, mœrore afficiuntur, ac ne tunc quidem contristantur, quum ad memoriam, quæ admiserunt, recurrunt. Nullo corripiuntur diuinii iudicii metu: adeo vt sibi arridentes, suasq; prensantes dextras, donum orationis vertant in locum effusissimæ loquacitatis minus obtemperantes Psalmo huic contestanti ac dicenti: In templo eius omnes dicent gloriam. Tu autem non solum non dicis, sed alteri cuipiam impedimento es, eumq; tibi vni reddis attentum, dum obstrepero tuo clamore obtundis & exuperas personantem spiritus sancti doctrinam. Vide ne cum hinc emigraris loco mercedis recipiendæ pro diuinis laudibus, vna cum iis qui nomen Dei execrantur, & blasphemis vocibus incessunt, condemneris. Qua de re eodem in loco plura S. Basilius.

Omnis creatura laudat Creatorem.

Immodesti in templo diuini metus expertes.

Noli prohibere benefacere eum qua potest, si vales, & ipse benefac. Prouerb. 3. v. 27.

Hoc animaduersione dignum, Fabulatores in templo, blasphemantium socii in inferno

§. Beatus etiam August. serm. 251. de Tempore, ait, *quosdam Diabolo ductore in Ecclesiæ conuentum pergere, & ibi non precibus insistere, sed fabulis, calumniis, iocis, & aliis peccatis vacare, qui cum ipso, cuius secuti sunt vestigia, ad æterna vadant tormenta.* Et serm. 215. *Qui in Ecclesia verbosari voluerit, & pro se, & pro aliis redditurus est rationem, dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit.* Quod & de oratione dici potest & debet. Si autem Patres ea vitia tam acriter insectantur in sæcularibus, quid senserint de Ecclesiasticis.

Duce diabolo quidam in templum vadunt, vt grauius peccent.

Aliorum in templo perturbatores, & pro se & pro aliis reddent Deo rationem.

§. B. Cæsar. Arelatens. ser. 12. *Rogo, inquit, vos fratres, & admoneo, vt venientes ad Ecclesiam, hoc solum q; in Ecclesia competit, agite, i.e. aut orate, aut psallite, aut orando psallite.*

Silentium & quies decet Ecclesiam.

§. S. Chrysh. hom. 38. ad pop. Antioch. *Nihil*, inquit, *Ecclesiæ tam congruum, quam silentium & tranquillitas. Theatris conuenit tumultus, & balneis, & pompis, & foris: vbi vero de talibus dogmatis doctrina, tranquillitas & quies, & Philosophia, & multa pax esse debet. Dic mihi nunquid vllus est in mysteriis tumultus? nunquid vlla turbatio? Cum baptizamur, cum alia cuncta facimus, nonne quiete & silentio cuncta sunt ornata. Hoc in cœlo disseminatum est ornamentum.*

In Ecclesia taciturna B. Nonna.

§. Ab hoc in Ecclesia silentio matrem suam Nonnam orat. 19. laudat S. Greg. Nazianzen. *In conuentibus locisq; sacris*, inquit, *nunquam illius vox audita est, necessarias illas tantum & mysticas excipio. Et cur non illi ad laudem præclarum sit, quod silentii honore Sancta coluerit, quod venerandæ mensæ nunquam terga verterit, nec diuinum solum consputando inquinauerit. Antiquitus*, ait S. Clemens l. 2. c. 61. & 8. Constit. Apostolic. c. 11. & epistol. 1. ad Iacobum fratrem Domini, *quidam ex Diaconis in templo inambulabant, contemplantes viros & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret, aut mussitaret aut dormitaret. Oportet enim*, ait, *in Ecclesia accurate, sobrie, vigilanter manere, attentas aures habentem ad Domini sermonem.*

Inciuilia absint à tẽplo.

Et sus Mineruam doceat.

§. Narrat Cuspianus lib. de Turcarum origine & religione, quod Turcæ habeant accusatores, qui de orationum omissione conuictos per vrbem circumducentes, & tabulam cum caudis vulpinis collo appendentes, pecunia mulctant. Ea ergo modestia & religione in templis versentur Clerici, vt sui admirationem Deiq́ue venerationem cunctis intuentibus afferant.

CAP.

CAP. XLV.

IN TEMPLO QVIDEM POTISSIMUM, sed & vbiq; & quouis loco reuerendus, colendus, & implorandus Deus.

§. DEum Ter Maximum pro suo statu & officio potissimum quidem in sacris ædibus colant, tamen sicut ille nullibi deest, cujus templum hæc rerum Vniuersitas est, ita & cæteris omnibus in locis illum in oculis ferant, suspiciant, implorent, venerentur. *Cœlum & terram ille implet* Ier. 23. v. 24. & vbiq; se suis cultoribus præsentem ac benignum exhibet. *Benedicite Dominum*, ait Dauid Psalm. 102. v. vlt. *omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Et Apostolus 1. Tim. 2. v. 8. *Volo virosorare in omni loco: leuantes puras manus, sine ira & disceptatione.* *Deus spiritus est, & tales quærit, qui adorent eum in spiritu & veritate* Ioannis 4. Hinc S. Basil. exhortatione ad Baptismum, quæ est hom. 13. stude Chananæam imitari. *Quid ait Chanæa? Miserere mei, filia mea malè à Dæmonio torquetur. Magnus dæmon peccatum. Qui dæmonium patitur, misericordiam inuenit: qui autem peccat, odium sibi contrahit. Itaq; quamuis extra gratiam sis, clama, dic. Miserere mei, non labra mouendo, sed mente vocem emittens. Nam & silentes audit Deus. Non locus, sed propositi initium requiritur. Hieremias n. in luto erat, & Deum attraxit c. 37. & 38. Daniel in lacu leonum Deum placauit c. 6. & 14. Tres pueri in camino Deum promeruere Daniel. 3. latro non cruce prohibitus, quin paradisum assecutus fuerit. Luc. 23. Iob in stercore Deum ad misericordiam prouocauit c. 42. Igitur vbicunq; fueris ora: vel si ante iudicem, ora. Mare antè aderat, retro Ægyptii insectabãtur, medius Moyses loci angustia orabat: nihil attamẽ loqua-*

Sicut Deus à nullo abest loco, ita & vbiq; inuocandus.

Spiritus est Deus, & pura tibi mente colendus.

Dæmone peius peccatũ.

Non tam locus, quam pietas exigitur.

Cordis clamor.

quebatur: & ait ei Deus. Quid clamas, & os tuum tacet? Ex. 14. Cor enim clamat, Dominus prope est: Non hominem esse putes, continuo adest, vbiq; adest & omnia complet.

§. Hunc S. Basilij locum legisse, & imitatus fuisse videtur S. Ioannes Chrys. hom. 79. ad popul. Ant. vbi prorsus similia affert, sed copiosius. Pauculos tantum inde flosculos delibemus. *Ait ergo vbicunq; sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Licet & forum petentem, & ambulantem per se prolixas facere orationes. Non enim locum Deus veretur, sed vnum exquirit, feruidam mentem & continentem animam. Nam & Paulus non in oratorio, sed in carcere iacens supinus, neq; stans erectus, neq; flectens genua: non enim sinebat lignum, quo pedibus vinctis tenebatur, quoniam cum studio iacens orauit, carcerem concussit, & labefactauit fundamenta carcerisq; custodem ligauit, & post hæc ad sacram imitationem deduxit* Act. 16. v. 25. *Et Ezechias stans haud rectus, neq; genua flectens, sed supinus propter ægritudinē lectulo recubans, cum ad parietem seipsum conuertisset, quoniā Deum feruenter inuocauit, & anima continente, & prolatam reuocauit sententiam, & multam adeptus est beneuolentiam, & ad pristinam rediit valetudinem* 4. Reg. 20. v. 5. Isa. 38. v. 5. *Vbicunque sis ora. Templum es, ne locum quæras. Cum ingruerit tentatio, ad Deum confuge, Dominum inuoca: Nunquid est homo vt locum petas? Deus semper propè est: Adhuc enim loquente te dicam, Ecce adsum* Isa. 58. v. 9. *Nondum orationem feci sti, & ipse medicinam affert, si mentem nempe mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, siue in via constitutus, siue in mari, siue in diuersorio, siue in officina positus, siue sis vbicunque, Deo poteris inuocato petitionem obtinere.*

Omnis locus precationi oportunus.

Vt nec locus ita nec corporis situs, sed animi vigilantia & ardor ad preces requiritur.

Quisque in se ipso, vt viuo Dei templo, illum implo ret.

§. Ista S. Chrys. in vna illa eademq; homilia in qua multis argumentis suadet esse satius ac melius in templo quam alibi Deum deprecari, tamen cum templum adeundi facultas non est, posse & debere Deum inuocari & coli quolibet in loco, modumq; ibidem præ-

præscribit, quo id commode fiat: *Oportet orantem*, inquit, *neq; longos extendere sermones & iugiter orare. Breues enim & frequentes orationes fieri Christus & Paulus præceperunt, paruis ex interuallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus, multam Diabolo subrependi facultatem dederis, & supplantandi & abducendi cogitationem ab his quæ dicuntur. Si vero continuas & crebras orationes facias, totumq; tempus interpolans frequentia, facilem poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies solertia.* De quibus precatiunculis raptim in Deum tanquam ignitis sagittis jaculatis alius erit dicendi locus.

Breues raptim in Deum iaculatas, & crebras precatiunculas approbat S. Ioan. Chry.

CAPVT XLVI.

TEMPLA MAGNIFICO APPARATU exornanda.

§. ECclesiæ Dei diligentiam habeant 1. Tim. 3. v. 5. & diligant cum Regio psalte Psal. 25. v. 8. *Decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ipsius.* Templum enim ob elegantiæ & pulchritudinis similitudinem, cœlum appellatur Psalm. 10. v. 4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.* Habac. 2. v. 20. *Dominus in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra*, id est, Deus in cœlo, quod est templum ejus, habitat, coram eo illum vniuersa terra reuerenter adoret. 70. *reuereatur & colat*: nam qui multum aliquem reuerentur, vix coram eo loqui audent, vt declarat S. Iob. cap. 29. v. 8. 9. Et Ecclesiastici subinde in templo coram Deo garriunt, rident, nugantur: qui coram vno prælato verecundarentur, & id facere pertimescerent, & nugarum institores fiunt, qui Areopagitis taciturniores esse deberent. Quapropter & Dauid exquisitum corporis cultum multumque muliebrem cum templorum munditia & ornatu composuit Ps.

Vt nihil cœlo est ornatiq, ita & templo nihil elegantius esse debet.

143.v.12. *filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi*, q̃ scil. templum mira arte elaboratum, & varijs p̃tiosisq; ornamentis & donarijs condecoratum est. Sed q̃ ornatum cœlum? Id appositè declaratur Apoc.21.v.18. *Erat structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa vero ciuitas, aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata.* Ad hunc ergo cœli ornatum quantum fieri potest, accedere debet & templorum ornatus. Nihil fuligine, situ, aranearum telis obsitum appareat, nihil puluerulentum, sordidatum, indecorum cernatur. Templa, sacella, altaria vbiq; & sacra eorum suppellex mundissima, elegantissima, nitidissima sint & ornatissima; nihil tanta majestate dignum nec à mortalibus, nec à beatis spiritib. præstari potest. *Glorificantes Dominum*, inquit Eccles. c.43.v.32. *quantumcunq; potueritis, & adhuc superualebit admirabilis magnificentia eius.*

Immunditia à templo relegetur.

Non possũt templa satis ad Dei honorem exornari.

Deus suum habeat decus.

§. Habeamus omnem, quem possumus, Deo honorem, mente, lingua opere, sumptu, nihil par vel æquale illius amplitudini præstari potest, q̃ infinito dignitatis interuallo vniuersos nostros conatus excedit & superat. *Cœlum*, inquit, Is.66.v.1. *mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Act.7.v.49. Non ergo templi, neq; ornatus templi indigens est, tamen hoc nostro pietatis studio vehementer delectatur Deus.

Verba Deo, pro farina damus.

Ornatus tẽpli fidei nostræ index.

In templorum sumptu & ornatu Dei spectatur honor.

Decorũ seruandum.

§. Nam primo ea re nostram erga Deum fidem testamur, persuasissimi illum esse supremum nobis dominantem Principem: quia quanto princeps est excellentior, tanto decet vt ejus domus sit ornatior: *Domus*, inquit Salomon 2. Par. 2. v. 5. 6. *quam ædificare cupio, magna est, magnus est enim Deus super omnes Deos: Et ante eum Pater ipsius Rex Dauid* 1. Par. 29. v. 1. 2. *Opus grande est, neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo, ego autem*

tem totis virib. meis præparaui impensas domus Dei mei. Cogitet dicatq; Sacerdos quilibet, templum, sacellum, & altare meum omni sacro apparatu instructissimum esse debet: quia Optimus, Maximus est, qui ibi colitur Deus, ibi pro omnium salute immolatur Saluator meus.

Ornatus templi nostri aduersus Deũ amoris indicium.

§.2. Declaramus & nostram erga Deum caritatem, qua illum nostris pecunijs & thesauris longe antepo-nimus, dum illos libentissimè in ejus honorem expendimus, imitantes Euangelicam viduam à Saluatore commendatam, quę omnia quę habuit de penuria sua misit in gazophylacium, *duo* scilicet *minuta*: Marc.12.v.41.& seqq.

Cultus templi nostræ erga Deũ pietatis documentum.

§.3. Illa munditia & cultu nostram erga Deum ostendimus reuerentiam: nam vt ait S.Gregor. homil. 30.in Euang. *Certè si domum nostram quisq; dines, aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota purgaretur, ne quid fortasse esset, q̃ oculos amici intrantis offenderet.*

Elegantiæ templi nostri erga Deum gratiarum animi testimonium.

§. 4. Profitemur & gratum erga Deum animum, dum bona quæ ab eo in nostros vsus accepimus, vicissim ejus in honorem conferimus. Noe cum suis à diluuio liberatus, exstruxit altare, & sacrificium Deo obtulit in gratiarum actionem. Gen. 8. v. 20. similiter Abraham accepta promissione: *Semini tuo dabo terram hanc*, grata mente *ædificauit altare Domino, qui apparuit ei.* Gen.12.v.7. Patris exemplum æmulatus Isaac. Gen.26.v.15. Nam, vt ait Scriptura, *ascendit in Bersabee, vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam te, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaq; ædificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum.* Num.3.versic.49.vsque ad capitis finem. Non tam lingua & voce, quam reipsa & opere dicimus grati cum Dauide 1. Paralipom enum 29. versiculo 14. *Tua Domine sunt omnia,*

& quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 2.Par.36.v.23. Iustinian.Imperator cum Persas, qui Romanos limites prætergressi erant, pacasset, Aphricam Vandalis, Italiam à Gothis liberasset, Sophiæ, h.e.Christo Domino diuinæ sapientiæ templum Constantinopoli exstruxit, Sigebertus in Chronico.

Templi ornatus nostra erga Deum religionis argumentum.

§.5. Significamus & nostram aduersus Deum religionem, cui non tantum animo & corpore, sed etiam externis bonis cultum adhibemus. Laudat eo nomine S.Gorgoniam sororem suam Greg.Naz. Theologus oratione in ejus laudem conscripta. *Et quæ*, ait, *minus locuta est, quàm illa, in mulieribus, pietatis finibus sese continens. Iam vero quod mulieris erat vere pietatem profitentem, & in quo solo modum nescire præclarum est, ecquæ tot donariis ornauit cum alia templa, tamen hoc quoq; haud scio an illa exstincta in posterum ornandum? Imo verò quisnam perinde se templum viuum Deo præstitit? Ecquæ pari obseruantia Sacerdotes coluit? &c.* Ab hac religione Dei tabernaculum templumq; ornandi commendat Scriptura *Dei populum, quod mente promptißima & deuota fœminæ pariter ac viri, argentum, aurum, lapides pretiosos, pelles, ligna, purpuram, byssum, & monilia, & ornamenta ad perficiendum & ornandum tabernaculum obtulerint* Exod. 35. Et cum similia in templi ædificatione conferrent, *Lætatus est populus*, ait, *Scriptura* 1. *Par.* 29. *v.* 9. *cum vota sponte promitteret: quia corde toto offerebant ea* Domino, *sed & Dauid Rex lætatus est gaudio magno.*

Laudabile in ornandis templis non tenere modum, si non aliud exigat vel nostra, vel proximi indigentia, & absit curiosa vanitas vel vana curiositas, & loci solitudo.

Splendor templorum Dei nobis maiestatem commendat.

Pulchritudo & nitor templorum homines ad se inuitat.

§.6. Amplificamus & conseruamus Sacramentorum majestatem & reuerentiam: nam splendor loci sacri in cogitationem adducit magnum esse Deum, cui talis honor exhibetur, sicut & facile despicitur, ꝙ sine apparatu proponitur. Demum homines ad templum pellicit, & intuentium exsuscitat pietatem. An tales tantæque virtutes non valde placerent Domino virtutum?

CAP.

CAPVT XLVII.

DEVS SACRAE AEDIS MANDAVIT ornatum.

§ SAne Deus vt sententiam voluntatemq; suam testatissimam faceret, mandauit vt sanctuarium ipsius quã ornatissimum exstrueretur, in quo omnia ferè instrumenta aurea erant, vsq; ad emunctoria, lãpadem. Cortinas etiam,& vestes sacerdotis ex byssо, purpura, gemmis pretiosissimas esse voluit, & ne deessent artifices, certis quibusdam viris sapientiam & artem ingenerauit. Qua de re *Exod.25.cap.*vsq; ad 40. *Leuit.8.Num.7.Gen.35.v.*1.2.3. Deus Jacob Patriarchæ præcepit sibi vt aram exstrueret, quod & continuò perfecit & ver.7.nomen loci appellauit: Domus Dei *2.Paral.36.v.23. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum, Omnia regna terræ dedit mihi Dominus cœli: & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Esdræ ca.*1. *v.*1.2.Eadem Cyri verba repetuntur. Nihil autẽ mandat Deus, nisi quod bonum & salutiferum est. *Et ca.*3. prius ædificant templum quàm ciuitatem.

Magnificentiam & ornatum templorum comprobat Deus & remunerat.

§. Dauidis consilium templi structuram meditantis, tantopere DEO probatum fuit, vt regni æternitatem illi promiserit,& in posteritate ipsius vsque ad Christum Dominum, cui *dedit sedem Dauid Patris sui, qui regnat in domo Iacob in æternum Luc.*1.*v.*32. *sicut promiserat,*2.*Reg.*7.*permanserit.* Idem pijssimus Rex in templi sumptus tantum argenti, auri,& pretiosorum lapidum parauit, vt pene humanam fidem superet, 1. *Paral* 28.*&* 29.2.*Paral.cap.*3.4.5.

S.Dauid in templum sumptuosissimus.

§. Salomon nulli pepercit impendio, vt templum quam magnificentissimum exstrueret. 3.*Reg.*6.7. *&* 2. *Paral.* 3. 4. quam Salomonis in extruendo ornandoque templo religionem vehementer commendauit Deus,&ampliſſimis etiam promissis ac donis remu-

nerauit. 3. *Reg.* 6. *v.* 12. *& cap.* 9. *v.* 3. 4. 5. *&* 2. *Paral.* 7. Si autem tanti vitrum, quanti margaritum? *Si*, inquit, *Felix IV. epist. ad omnes Episcopos, & habetur de Consecr. distinct.* 1. *mox in exordio, Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hoc faciebant, multo magis nos, quibus veritas patefacta, & gratia per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout melius possumus, ornare debemus?* Quod Deus *Isa.* 60. non obscure indicat de Christiana Ecclesia, vt fatentur præcipui expositores, sic ergo loquitur Deus, *versu* 7. *Domum maiestatis meæ glorificabo, v.* 9. *Me etenim insulæ exspectant, vt adducam filios tuos de longe, aurum eorum, & argentum eorum nomini Domini Dei tui, v.* 10. *Aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi, v.* 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.* Quod Vaticinium temporibus potissimum Constantini Magni, Justiniani, Caroli Magni, & aliorum Catholicorum Principum Ecclesias magnificentissime exstruentium, completum fuit.

Isaiæ vaticinium de templorum ornatu præsertim Christianorum.

Magnificentia Christianorum Imperatorum erga tẽpla.

CAPVT XLVIII.

ORNATVS TEMPLI APPROBATOR Christus D.N.

§. NEQVE hanc rem improbauit, sed valde probauit Saluator. Non improbauit, cum eius occasionem & ansam porrigerent discipuli, *Mar.* 13. *v.* 4. *Lucæ* 21. *v.* 5. dicentes: *Magister aspice, quales lapides & quales structuræ.* Dicere potuisset superuacaneos fuisse sumptus, aut in nouo testamento non adhibendos, sed rectè factum tacendo consensit. Probauit verò commendans viduam, quæ duo minuta, & totum victum suum in donaria Dei expenderat. *Mar.* 12. *v.* 41. *Lucæ* 21. *v.* 1.

§. De-

§. Defendit etiam & laudauit Dominus Mariam Magdalenam, magno eius caput impendio inungentem contra Judæ obtrectationem quiritantis: *Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguẽtum istud venundari plusquam trecentis denariis & dari pauperibus.* Affirmauit autem Dominus, quod bonum in se opus esset operata, illudque in vniuerso mundo prædicandum, *Marci 14. Matth. 26. Ioan. 12. vers. 7.* Vbi *Marci 14. in Comment. Theophylactus: Confundantur*, inquit, *hoc loco, qui pauperes Christo præferunt.* Et infra: *Audiant igitur, quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus propriè, quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scil. pauperes, sciat cuius partis sit.* Hæc ille significans tales esse Judæ socios.

§. Itaq; ab Ecclesiæ exordio instrumentum sacrum *Proditoris* fuit pretiosum, apparatus & ornatus ad Dei gloriam *Iudæ grega-* insignis. Hinc *Sanctus Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi les tẽpli or-* 24. *Isti*, inquit *qui nunc sunt Regespietatis ergo, argento in- namentorũ* duentes & auro sanctam hanc Ecclesiam, in qua nunc sumus, improbato- instruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt. res, sed mul- *Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 66. ad populum An-* to magis di- *tiochenum. Christus*, inquit, *hinc omnem terrarum orbem reptores, ad se traxit adorandum, cum mortuus fuisset. Et quid de quales sacrũ Christo loquor, cum & discipulos postquam obierunt, tunc legi nostro effulgere fecerit? Quid dico discipulos. Nam & eorum loca sæculo. & sepulchra simul & tempora perenni memoria celebrari Pii Reges tẽ- curauit, seruorum crucifixi sepulchra regiis aulis sunt cla- pla & argẽ- riora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine. (Nam to & auro & in hoc superant) sed quod multo maius est, conuenientium exornant. studio. Nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa Christo agẽ complexurus sepulchra, & fastu depositio stat Sanctis te discipulo- suppli- rum loca, in quibus fuere, & conditoria, vbi sepulti, & mortis tempora sempiterno honore coluntur Regum palatiis templa splendidiora. Ad Apostolorũ monumenta supplicat Imperator.*

supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum, & piscatorem etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli. Nã & hic Constantinum Magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret.

Magnus Imperatori honor vel ante SS. templũ sepeliri.

§ *S. Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem Virg. cap. 7.* sicut probat magnificos in templa sumptus, ita à quibusdam rectiùs in pauperes conferri existimat: eius verba sunt. *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis: ebore argentoq; valuas, & gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, nõ abnuo, vnusquisq; in suo sensu abundet, meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare, sed tibi aliud propositum est: Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus. S. August. in Psal. 113. Sed & nos pleraq; instrumenta,* inquit, *& vasa ex auro & argento habemus, in vsum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.* Auctor est *Theodoret. lib. 3. hist. cap. 12. Constantium Imperatorem complura vasa pretiosa ad Antiochenæ Ecclesiæ ornatum donasse, quæ impius Iuliani quæstor rapiens, & in fiscum redigens, insultans exclamauit. En quibus vasis ministratur filio Mariæ?* sed per medium repente diruptus est, vt ait *S. Chrysost. hom. 4. in Matth.*

Aurea & argentea vasa pro sacramentorũ vsu probat S. August.

Impietatis mercedem referens.

§. Improbè itaque Caluinus præfatione Instit. reprehendit ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus pretiosis, &c. Victitans perfidiæ lolio ad Catholicæ veritatis lucem cæcutit.

CAPVT XLIX.

SACERDOTES ET CLERICOS MAXIME decet templorum exornatio.

§ DIximus de templorum magnificentia & ornatu. Et quinam potius in curam cogitationemque

que ornandi Ecclesiam incumbere debent, quam Ecclesiastici, qui tot tantisq; beneficijs & opibus ab Ecclesia ornantur? Ornent ornantem se. Quod vt faciant decorum esse iudicat *S. Ambr. lib. 2. off. cap. 21. & habetur dist. 86. cap. 19. Pulchra*, vbi ait, *Maximè sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Dei resplendeat.* Sed & dedecus est illi, si prætermittat. Hinc *S. Gregor. l. 3. epist. 5. ad Bonifac. Episcopum Regium: contumelia sacerdotum est, de diuinis cultibus admoneri: Quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur.* Qui idem *B. Gregor lib. 3. dialog. cap. 24.* narrat, quod *S. Petrus Apostolus Theodoro Ecclesiæ suæ custodi lampades concinnanti apparuerit, locutusq; fuerit, atque ostendere voluerit, quod sibi seruientes, quicquid pro eius honore agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret.* Mandauit & *Concil. Rhemense cap. 5. Altare cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & pallis diligentissimè cooperiatur.* Et ante hos omnes *Gregor. Theologus epist. 49. ad Olimpium: Mihi graue & acerbum fuerit, si in ferarum domicilium conuertatur templum illud, quod extruximus, omneq; nostrum in eo exornando studium. Neq; enim si statuæ deiiciantur, hoc nos excruciat, etiamsi alioqui excruciat*, &c.

Manus manum lauat. Sacerdotem decet templi ornatus.

§. *S. Martialis* ex 72. Christi discipulis vnus altare in honorem S. Stephani consecrauit, ipsum clauis affixit aureis, & coronas sex aureas in circuitu posuit, cum totidem lampadibus aureis, in eius circuitu, vt auctor est, *in eius vita Aurelian.* Celebrat hoc pietatis nomine Presbyterũ Nepotian. ipse *Presbyter S. Hier. ep 3 ad Heliodor.* quæ est eiusdem Nepotiani epitaphium *cap. 5.* vbi istis loquitur verbis: *Erat sollicitus, si niteret altare, si templi exparietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia sollicitudo dispositа, non minus, non maius negligebat officium, vbicumq; eum quæreres in Ecclesia inuenires. Basilicas Ecclesiæ & martyrum conciliabula diuer-*

Nepotianus templi exornator.

diuersis floribus, & arborum comis vitiumq; pampinis adumbrabat, vt quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione quã visu, presbyteri laborem & studium testaretur. Ornant altaria pij, defœdant & destruunt impij. S. Optatus lib. 6. contra Donatistas, Caluinistarum in sacrilegijs parẽtes. Quid, inquit, tam sacrilegum est, quam altaria Dei, in quib. & vos aliquando obtulistis, frangere, rapere, remouere? Quid enim est altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi?

§. Et quoniam florum templo ornando adhibitorum facta paulo ante est mentio, operæ prerium erit adiungere, quæ S. Augustin. scribit, cum hoc instituto conuenientia, & pietatem magis excitantia lib. 22. de ciuit. Dei c. 8. Ad aquas, inquit, Tibilitanas episcopo afferente Proiecto reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & occursus. Ibi cæca mulier, vt ad episcopum portantem sacra pignora duceretur, orauit, flores quos ferebat, dedit, oculis admouit, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Fuit Calamæ vir in ordine suo primarius nomine Martialis, ævo iam grauis, & multum abhorrens à religione Christiana. Habebat sanè filiam fidelem, & generum eodem anno baptizatum, qui cum eum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, vt Christianus fieret, prorsus abnuit: eosq; à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius, vt vel ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo, quãtum posset, oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum: fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu, deinde ascendens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eiq; tum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum, & ecce ante diluculum clamat, vt ad episcopum curreretur, qui mecum tunc forte erat apud Hipponem. Cum ergo audiret eum absentem, Presbyteros postulauit. Venerunt & statim se credere dixit: admirantibus & gaudentibus omnibus baptizatus est. Hic quamdiu vixit in ore habebat; Domine Iesu Christe, accipe spiritum meum: cum

Flores S. Reliquiis ad moti sanitatem conferunt.

Aliud miraculũ per flores in templo oblatos.

Cõfirmatio miraculi.

cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret, quæ huic quoq; vltima fuerunt. Nã non multo post etiam ipse defunctus est. Ornabantur ergo altaria floribus, & inde admirabilem opitulandi vim consequebantur.

Templum semper ornatum esse debet, sed festis diebus ornatius.

§. Et si vero hic splendor Ecclesiam semper deceat, maximè tamen decet diebus sacris & festis, quod & suo tempore vsurpatum, & solenne fuisse indicat *sanctus Leo serm. 3. de Quadragesi. si rationabile*, inquit, *& quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoq; orationis domum propensiore tunc cura & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus: Nonne dignum est, vt anima Christiana, quæ verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebratura Sacramentum omni circũspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret.*

CAPVT L.

QVOTIDIE ECCLESIASTICVM SEPTEM Horarum officium necessariò absoluendum.

§ OFficium, per antiphrasin nuncupatur, quod minimè officiat, sed prosit, & deceat: est, quod quisque efficere debet, pro suæ personæ conditione. *Nulla vitæ pars*, ait *Tull. l. 1. off. vacare officio potest, in eoq; excolendo, sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudo.*

§ Appellatur Ecclesiasticũ: quia ab Ecclesia concinnatum, & Ecclesiasticis traditũ, & imperatũ est. Dicitur & Canonicũ à can. hoc est, à regula: quia per sacros Canones institutum, certa norma viuentib. Clericis præscriptum, definitis temporibus persoluendum, & à S. Patribus regulariter, vt ita dicam, obseruatum est.

§. Diui-

Quid Ecclesiasticum officium.

§. Diuinum verò hoc officium siue Ecclesiasticum est Deum prædicandi & laudandi, mẽte pariter & voce formula ab Ecclesiæ Antistitibus instituta & publice peragenda. persoluitur enim publico nomine totius Ecclesiæ & pro boni cõmuni, per publicos & solemnes ministros, etiamsi priuatim legatur ab vno.

Horæ canonicæ sine mortifero scelere non omittũtur.

§. Singulos itaq; in dies Ecclesiasticum officium, siue septenum Canonicarum horarum pẽsum, qui Beneficiatij sunt, vel in maioribus constituti ordinibus, integrè absoluant, ne se mortifero scelere alligent, & restituendorum vel Ecclesię, vel egenis fructuum periculo se exponant. dist. 92. can. finali, & in epistol decretalib. cap. Presbyter de celebr. Miss. & cap. Dolentes eod. titulo, & ibid. Clementina 1. Concil. Cabilonense can. 59. Moguntin. sub Rabano can. 16. Nam vt dicitur, *ca. per Ambitiosam de Rescript. in VI. Beneficium datur propter officium.* Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus. & constitutio Pij V. apud Nauarrum c. 25. nu. 122. decreuerunt Ecclesiasticos diuinum officium non legentes carere debere beneficiorum fructibus. Et *Apostolus* 1. *Cor.* 9. *v.* 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autẽ nullo horum vsus sum.* Id est, An ignoratis, quod qui in templo sacris muneribus funguntur, vt Sacerdotes & Leuitæ, etiam sustentationem suam ex templi prouẽtibus, primitijs, decimis, hostijs accipiant, & qui aræ ad Dei cultum peragendum, assiduè assistunt, etiam oblationum efficiantur participes, Deut. 18. v. 1. Ita & Christus Dominus, ac nouæ legis lator sanciuit & cõstituit, vt qui Euangelium docent, vitæ necessaria inde habeant. *Luc.* 10. *v.* 7. *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua, aut, vt est Matt.* 10. *v.* 10. *dignus est operarius cibo suo.*

Ecclesiastica sustentatione indignus, qui Ecclesiasticũ officium non persoluit.

Apes ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Cibo opus duraturis in labore.

§. Verum

§. Verum, & quidem nullo repugnante, hic communis Doctorum sensus est, & consensus qui pariter hunc remum ducunt. Ac est generalis & inueterata, & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis obtinet, vt vel publicè, vel priuatim officium hoc à majoribus Clericis persoluatur. Hi siquidem professi sunt statum Ecclesiasticum, & ideò ad preces illi statui congruas & præscriptas obligantur. Cultus siquidem divinus cui ab Ecclesia consecrati & mancipati sunt ex ipsius Ecclesiæ determinatione Canonicis horis continetur.

§. Neq; soluuntur hac obligatione, quando excommunicantur, suspenduntur, interdicuntur, degradantur: quia vt rectè ait Nauar. de Horis Canonicis num. 7. Æquum non est, vt ex peccato priuilegium ullum consequantur. Ex quo consequens est illos diuino jure ad preces obligari, ad determinatas verò illas Horas jure Ecclesiastico.

CAPVT LI.

DIVINVM OFFICIVM SEPTEM distinctis constat horis, & quænam illæ?

HOc diuinum officium septem horas complectitur, quæ sunt 1. Nocturni cum laudibus, passim enim & vbique ferè conjunguntur. 2. Prima. 3. Tertia. 4. Sexta. 5. Nona. 6. Vesperæ. 7. Completorium. Iste septenarius numerus approbatur à Glossa & Doctoribus in cap. 1. de celebratione Missarum, & à Concilio Cabilonensi 2. sub Carolo Magno cap. 59. & *dist.* 91. *cap.* 1. *Presbyter ex S. Benedicto, à S. Basilio sermon. de institutione Monachorum à medio: Cum ad orationem,* inquit, *nulla non vitæ pars oportuna habenda sit: quia tamen*

Quæ diuini officii partitio.

Omne tempus precationi idoneum.

Humana imbecillitati precationis & genuflexionis intercapedo necessaria.

tamen datis quibusdam interuallis ab illa Psalmodiæ genuúm flexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maximè horarum modus tenendus, quia veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Et quoniam apud Dauidem est Ps.118.v.164. *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ, perpetuo nobis hæc formula sit Deum septies per singulas dierum conuersiones laudibus celebrandi.* Approbatur & à V. Beda in libello de meditatione passionis Christi per septem diei horas, à S. Isidoro lib. 1. de Eccles. officiis, à Rabano Mauro libr. 2. de Instit. Clericorum. Ruperto Tuitiensi l.1.de diuinis officiis. Qui verò octo Horas constituunt, Laudes à Matutinis sejungunt.

Septenis vicib. Laudandi Deum antesignanus Dauid, qui mos & retinendus.

§. Pie *S. Ambr. lib. 7. in Lucam c.11.v.5.* Quis vestrum habet amicum, cùm adduxisset Dauidem dicentem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Psal.118. Et lauabo per singulas noctes lectum meum. Ps.6. subiungit. Et ideò Scriptorum memores noctib. ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatib. occupatus, septies in die Domino laudem dicebat matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius mentis ac carnis fragilitate delinquimus?* Nec solum media nocte Dominus, *sed omnibus propè docet vigilandum esse momentis. Venit enim & Vespertina, & secunda, & tertia vigilia; & pulsare consueuit.* Ista verissimè S. Ambrosius.

Si Rex vigilat, quanto magis gregarius miles?

Semper in vigilandum precibus.

§. Hanc precationis assiduitatem commendat Saluator Marc. 13. v. 23. *Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit Luc.18. vers.1. Oportet semper orare & nunquam deficere. Et cap. 21. v. 36. Vigilate omni tempore orantes,* cur? *Vt digni habeamini stare ante filium hominis.* Quod & factitauit pro nobis *Dominus pernoctans in oratione Dei Luc.6.v.12.* Ita & desiderabat à nobis fieri *Apostolus Eph. 6.v.18. Orantes omni tempore in spiritu, 1.Thess.5.v.17. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Quod & ipse

S. Pau-

S. Paulus præstitit 1. *Thess.* 3. *vers.* 10. *nocte ac die abundantiùs orantes, &* 2. *Timoth.* 1. *v.* 3. Quod si semper, omni tempore, sine cessatione precandum: cur non Ecclesiastici huic muneri consecrati & destinati libentissimè septies in die, nocte etiam perficiant?

§. *S. Hieron. epistola* 7. *ad Lætam de institutione filiæ cap.* 5. *Proponatur ei probæ fidei, ac morum, & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte consurgere, manè hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaq; lucerna reddere sacrificium vespertinum sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio, breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur.* Hæc nobilissimæ ac tenerrimæ virgunculæ præscribuntur, vt horis canonicis, piis lectionibus & occupationib. tempus traducat, quod tunc breue videbitur, quidni magis hoc præstandum Ecclesiastico viro?

Dedecus viro Ecclesiastico sit precandi palmã ei virgunculæ præripiat.

§. Qui *S. Hieron. rursus epist.* 8. *ad Demetriadem cap.* 8. sic eam compellat: *Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, & manè semper est exercendum, statue quot horis sacram Scripturam edisce debeat, quanto tempore legere non ad laborem, sed ad delectationem & institutionem animæ.* Et hæc si diuiti ac Nobili virgini vt canonicas horas lectitet, Scripturam non tantum oculis & mente ac manu peruolutet, sed etiam memoriæ mandet, præfinis optimus morũ Magister & censor B. Hieron. Cur non & similiter faciamus? Similia prorsus de Canonicis horis habet *S. Hieron. epist.* 22. *ad Eustoch. cap.* 16. *& epistola* 27. *cap.* 10. *S. Clemens lib.* 8. *Constit. Apostolicarum cap.* 34. Inter Apostolicas traditiones Episcopo & Clero seruandas refert hanc. *Precationes facite manè, hora tertia, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad Galli cantum.*

§. *S. Basilius in regulis fusius disputatis interrog. siue cap.* 37. cum ex diuinis literis istas precandi Horas comprobasset subjungit & caussam cur non simul vno tempore, sed sejunctim diuersis temporibus persoluantur. *Vtilis*, inquit, *meo quidem iudicio, hæc in orationibus & Psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas est, atque varietas ob eam caussam, quod in perpetua similitudine & æqualitate rerum, animo nescio quo modo, torpedo quædam oboritur, atque tædium, eaq; re aliud agens, ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateq; cum Psalmodiæ, tum singularum Horarum rationes & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur.*

CAPVT LII.

MATVTINARVM PRECVM ET laudum rationes producuntur.

HIc operæ erit precium & pietatis incitamentum singularum Canonicarum tum mysticas tum morales rationes & caussas afferre.

Matutinæ preces ad Christi Domini nostri commemorandam & laudandam anastasin. Summo mane à morte surrexit Liberator noster, quod & probatur.

§. Matutinæ preces ante auroram & laudes concelebrantur ingenti gaudio ob glorioseę Dominicę Resurrectionis memoriam, quæ in diei crepusculo siue aurora contigit, vt indicat *S. Marcus cap. 16. v. 9. Surgens Iesus mane, prima Sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Significat & hymno suo Ecclesia dum canit: *Aurora lucis rutilat, Cœlum laudibus intonat, Mundus exultans iubilat, Cum Rex ille fortissimus, Mortis confractis viribus, Triumphans pompa nobili, Victor surgit de funere.* Idem docet *S. Ignat. epistola 5. ad Trallianos. Illucescente*, inquit, *Dominico die resurrexit à mortuis. Euseb. Cæs. l. 10. Demonstrat. Euang. cap. vltimo, resurrectionem*, ait, *Domini dici matutinam: quia in ipsa aurora facta est.*

§. Quod

Scriptura pro matutina Christi resurrectione.

§. Quod & approbans *S. Cyrill. Ieros. Catech.* 14. adducit & hæc testimonia *Psalm.* 29. *vers.* 6. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia,* id est, mane in die resurrectionis. *Et Psalm.* 87. *v.* 14. *Et ego ad te Domine clamaui & mane oratio mea præueniet te.* Et *Sophoniæ* 3. *v.* 4. *iuxta* 70. *Præparare, consurge diluculo, exspecta me in die resurrectionis meæ, dicit Dominus.*

Matutino tempore resurrexisse Christum testantur S. Patres.

§. *S. Hilar. can.* 33. *in Math. docet motum terræ matutino accidisse tempore, resurgente virtutum cœlestium Domino. S. Ambros. in Psalm.* 45. *Vespere,* inquit, *passus est Christus, mane surrexit. S. August. lib.* 4. *de Trinit. cap.* 6. sæpius affirmat in ipso diluculo Dominum surrexisse; vt per participationem resurrectionis Christi audiremus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eph.* 5. *v.* 8. Et *in Psalm.* 58. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam. Meritò,* ait, *ipsius Domini Resurrectio diluculò fuit, vt impleretur, quod dictum est in alio Psalmo* 29. *v.* 6. *Vespere demorabitur fletus, & in matutino exultatio. Ad vesperam quippe discipuli mortuum planxerunt Dominum nostrum Iesum Christum, diluculo ad Resurrectionem exultrauerunt. S. Cyprian. sub finem tractatus de oratione Dominica. Mane,* inquit, *orandum est, vt Resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim spiritus sanctus designabat in Psalmis dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam; mane assistam tibi, & contemplabor. Psalm.* 5. *Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: diluculo vigilabunt ad me dicentes. Eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Hoseæ* 6.

Eletus in morte Christi, in resurrectione lætitia.

§. *S. August. in Psalm.* 129. *v.* 6. *Acustodia,* (siue vt ipse legit à vigilia) *matutina vsque ad noctem speret Israhel in Domino. Non pro summo suo bono speret Israhel diuitias, non salutem corporis, non abundantiam terrenorum: imò tribulationem hic habiturus est, si fortè contigerit illi pro veritate pati aliquas molestias. Non enim non sperabant in Deum martyres,*

Gloriosa speranda resurrectio, non terrenorum bonorum copia.

res, & tamen talia sunt passi, qualia latrones, qualia iniqui: subiecti ad bestias, ignibus concremati, gladio percussi, vngulis exarati, catenis obstricti, carcere necati. Ista omnia mala passi, non sperabant in Dominum? Aut ideò sperabant vt istis malis carentes hac vita fruerentur? Non planè, quia à vigilia matutina sperabant. Quid est hoc? considerabant illam vigiliam matutinam, qua resurrexit Dominus eorum, & videbant antequam resurgeret, talia & ipse passus erat, qualia & ipsi patiebantur, & non desperabant etiam, se post tales passiones resurrecturos ad vitam æternam. Quia vigilia matutina resurrexit Dominus: & hoc debet sperare corpus, quod in capite præcessit. Sed ne suggeretur ista cogitatio. Capiti licuit resurgere, quia peccatis non premebatur: & nullum peccatum erat in illo. Quid nos facturi sumus? Sperabimus talem resurrectionem, qualis in Domino præcessit, cum peccatis nostris aggrauamur? Sed vide quid sequitur, quoniam apud Dominum misericordia & multa apud eum redemptio. Ergo si premebatur peccatis suis adest misericordia Dei. Ideò præcessit ille sine peccato, vt deleat peccata sequentium, &c.

Christi resurrectio Martyrum in tormentis consolatio

Gloriosa Resurrectio nullis pœnitentiis data.

Immaculatus Dei Agnus tollit peccata mundi.

§. S. Ambrosius in Psalm. 45. verbâ, adiuuabit eam Deus manè diluculo. Quo significatur, inquit, quia resurrectio matutina adiumentorum nobis cœlestium subsidia confert, quæ noctem repulit, diem refudit dicente Scriptura Eph. 5. v. 14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.

CAPVT LIII.

CVR AD MATVTINAS PRECES aduolandum Ecclesiasticis.

§. NEq; hoc tempus matutinum, quod quasi hora quarta diuinis laudibus & sacris precibus impenditur, præmaturum aut intempestiuum, graue etiam aut molestum vlli Ecclesiastico viro videri debet; cum vt dicitur, *Septem horas dormisse sat est iuueni, & seni.* Cœnas non in noctem multam prorogent,

&

& moderato victu sumpto, sub nonam horam se quieti tradant, ne si absint, putentur hesternam edormire crapulam, & exhalare, & rideantur à *Poeta*, qui ait: *Cur quidã Clerici in multã sertant diem.*

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.
Vt teipsum serues non expergisceris. Dolentes referimus ait Innocent III. *de celebr. Missarum. c. eodem, quod non solum minores Clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati, circa commessationes superfluas & confabulationes illicitas (vt de aliis taceam) fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diuinum concentum auium excitantur.* Et profectò ista Prælatorum maximè Decanorum à choro absentia, non solum ipsis peccatum est, sed & aliis offendiculum & diuini cultus, negligenter peragendi occasio.

§. Elegans & salutare monitum est *S. Hieronymi epistola 32. ad Eustoch. cap. 6. sit tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus. Ad orationem tibi nocte surgenti, nox indigestio ructum faciat, sed inanitas. Sanè auctore in Tusc. Quæst. Tullio, se dolere aiebat Demosthenes, si quando opificum antelucana victus esset industria.* Quanto magis acerbè & dolenter ferre debent Christiani, & inter eos Ecclesiastici mœrere, si artificum pro victu comparando laborantium vigilantia superentur, cum ipsorum excubiæ pro Dei honore, pro virtute, pro fœlicitate æterna suscipiantur. *Moderatus cibꝰ potusq; facilè digeritur, digestusq; sinit imò facit, homo vt expergiscatur. Filii huius seculi in generatione sua filiis lucis prudentiores Luc 16. vers. 8.*

§. Tractat hoc argumentum præclarè *S. Chrysostomus homilia 42. ad pop. Ant. Non propter hoc & facta est non,* inquit, *vt semper dormiamus & cessemus. Et hoc testantur manuales operarii, agasones, mercatores, Dei Ecclesia mediis consurgens noctibus, surge, & tu, &c. Rursus, hic mihi sermo & ad viros & ad mulieres: flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus, tu luctuum tempus facis: Regis memento qualia verba dicebat: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Ps. 6. surgit.* *Quid vitrũ ad margaritum? quid noctua ad aquilam? Dei Ecclesia concubio ad Deum laudandum*

Quantumcunque sis delicatus, non es illo delicatior: quantũcunq; sis diues, non es ditior Dauide, qui rursum dicebat Ps. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ. At inquies, laboravi per diem multum, & non possum. Prætextus & occasio sunt ista, Nam quantumcunq; laboraueris non laborabis, quantum ærarius, malleum tam grauem ex tanta dimittens altitudine, scintillas & fumum toto susscipiens corpore, & tamen maiorem noctis partem in hoc absumit. Et iterum: *Crede mihi non ita rubiginem ignis exoquere solet, sicut oratio nocturna nostrorum rubiginem peccatorum. Reuereamur si nihil aliud nocturnos custodes. Illi propter humanam legem, in gelu circumeunt, vehementer clamantes, & per vicos ambulantes, madidi frequenter, glaciati propter te tuamq; salutem, & tuarum pecuniarum custodiam. Ille verò pro pecuniis tuis tantum gerit curam, tu neq; pro anima tua? Quare Christus ipse in monte pernoctabat, nonne vt nobis forma fieret?* Hæc omnia ibi S. Chrysost. quæ & repetit *hom. 26. in Actus Apostolicos in Morali.*

Semper causantur inertes.

Nocturna precatio impietatũ expiatio.

Excubiarũ caussa capens.

Christus noctes precibus transigens.

§. De Christianis sui temporis ad Trajanum Imperatorem scribens *Plinius secundus libr. 10. epistola 97.* memorat eos solitos stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo inuicem dicere, hoc est, choris distinctis, quod modo in Ecclesia solemne est. Hujus Epistolæ mentionem facit *Tertullianus Apolog. cap. 2. Euseb. libr. 3. Hist. cap. 26. Orosius lib. 7. cap. 12.*

Christianorum antiquorum antelucana, & alternæ Christi laudes.

§. Eorundem conuentuum ante lucem celebratorum à Christianis mentionem facit *Tertullianus libr. de corona militis cap. 3.* cum ait: *Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus.* Et circa finem *sui Apolog. de Christianorum cœna* tractans. *Editur*, inquit, *quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.*

Non sit vobis vanum manè surgere ante lucẽ: quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

Castigatus cibo potuq; nocturnus precib impedimento non est.

§. Et

§. Et *S. Cyprianus de oratione Dominica* ad finem. *Insistamus per totum diem precibus & oremus: & quando mundi lege decurrens vicibus alternis non reuoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest: quia filiis lucis & in noctibus dies est.* Et paulo post. *Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra & ignaua dispendia.* *Nox sicut dies illuminabitur Psa. 138.*

§. Item *S. Basil. epistola 63. ad Clericos Neocæsarianæ Ecclesiæ. De nocte,* inquit, *populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit, inq; labore, inq; tribulatione, ac lachrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur.*

§. *S. Hieron. epistola 22. ad Eustochium. cap. 7. Esto cicada noctium, laua per singulas noctes lectum tuum, lachrymis tuis stratum tuum riga Psalm. 6. v. 7. Vigila, & fias sicut passer in solitudine, Psalm. 101. v. 8. Psalle spiritu, psalle & sensu, 1. Cor. 14. v. 15.* Ea sacra peruigilatione vel maxime beatas æmulamur mentes, & ipsum Deum; nam vt ait *S. Hieron. in cap. 4. Daniel. v. 10. Et ecce vigil & sanctus de cœlo descendit, significat Angelos, ait, quod semper vigilent: & ad Dei imperium sint parati. Vnde & nos crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia, & de Domino dicitur Psalm 120. v. 4. Ecce non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israhel.*

CAPVT LIV.

DE RELIQVIS HORIS CANONICIS, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, Completorio.

§. HOræ istæ à tempore appellatæ sunt: Prima ideò, quod prima hora diei in ortu Solis diceretur. Tertia eo quod tertia hora Solis, Sexta, quod sexta hora ab ortu Solis, id est, in meridie. Nona *Vnde istæ Horæ suam inuenêre nominà.*

quod recitaretur hora nona diei, id est, tertia post meridiem. Officium, vel sacrificium Vespertinum, vel vesperæ vocantur: quia lectæ fuerunt circa occasum Solis. *Isidor. lib. 1. de offic. diu. cap. 20.* Dicitur Completorium, tum quod legatur ad finem diei, vt patet ex hymno; *Te lucis ante terminum, &c.* tum quod sit vltima gratiarum actio, vt scribit *Hamolarius lib. 4. de offic. diu. cap. 8.*

Istarum Horarum documenta ex S. literis profe-runtur.

§. Horę primę, & Vesperarum exemplum est *Psal. 54. v. 18. Vesperi, & mane, & meridie annunciabo, & narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.*

Daniel ter in die orabat De um imploret

§. Tertiæ, Sextæ, & Nonæ exemplum est *Dan. 6. v. 10.* qui tribus temporib. in die orabat, vt de istis temporib. explicat ibidem. *Hier. & Cypr. sermon. de orat. Dominica,* cujus verba sunt: *In orationibus,* inquit, *celebrandis, inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, & nonam: Sed nobis fratres dilectissimi præter horas antiquitùs obseruatas, orandi nunc & spacia, & sacramenta creuerunt. Nam & manè orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Recedente item Sole, ac die cessante, necessariò rursus orandum est. Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, ne noctibus ab oratione cessemus. Actor. 2. v. 15.*

B. Cypriani suasu Christianis nocte, mane, hora, tertia, sexta, nona, vespertina precandum.

§. Apostoli hora tertia acceperunt Spiritum sanctum & *c. 10. v. 9.* D. Petrus hora sexta se ad orationem contulit, & *c. 3. v. 1.* circa orationis horam nonam cum D. Ioanne.

§. De vesperis exemplum est *Ps. 140. v. 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

§. Completorii, & aliarum horarum exemplum est *Ps. 118. v. 164. Septies in die laudem dixi tibi.*

S. Patres diuinis testimoniis Canonicas probant horas.

§. Ex his Scripturæ locis probant ritum orandi horas Canonicas, *Basil. serm. de instit. monach. & q. 37. inter fusius*

fusius disputatas Clemens lib.8.c.40. sic loquens: *Preces vestras,* ait, *facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in galli cantu, Lib.2.constit.cap.63.* hortatur Christianos vt quotidie veniant mane, & vesperi ad Dominicas (κυριακα) *Tertull. in Apolog.c.2. ex epistola Plinii ad Traianum* refert Christianos solitos esse Deum laudare horis antelucanis, & *c.39.* eosdem solitos esse nocte orare. *S. Athanasius in libr. de Virginitate, siue de meditatione: Habeto,* inquit, *Psalterium, & psalmos edisce. Sol exoriens videat librum in manu tua; post tertiam horam, peragito communionem quoniam hac hora adductum est lignum crucis. Sexta hora celebrato preces cum psalmis, plorationibus, & obsecrationibus, quoniam hac hora filius Dei sublatus est in crucem. Hora nona rursus esto in hymnis, & laudibus Dei cum lacrymis confitens peccata tua. Deo supplica, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum. Hora duodecima maiorem, & crebriorem celebra communionem cum virginibus tuis, &c. Media nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum. Chrysostomus hom.59. ad populum* dicit Monachos veteres noctu orasse, & prima, tertia, sexta, & nona, & vesperi consueuisse Deum laudare. *August. in lib.22. de Ciu. Dei. c.8. & epist.119.* etiam istarum meminit horarum. *Clemens Alex. l.7. strom.* meminit tertiæ, sextæ, & nonæ. Itaque septenarius ille Horarum numerus, & Scripturæ, & Apostolorum & Conciliorum, & S. Patrum auctoritate nobis est traditus, quantumvis obganniant vulpeculæ, quæ demoliuntur vineam Ecclesiæ.

CAPVT LV.

OFFICIVM DIVINVM VNDE desumptum.

§. PReces Canonicæ, nec nouæ, nec superstitiosæ sunt, sed antiquissimæ, & religionis & pietatis ple-

pleniſſimæ. Pſalmos conſtat ſumptos eſſe ex Scripturis. Quod autem hi Pſalmi ſemper dicti fuerint in precibus colligitur 1. *Corinth.* 14. *v.* 26. *Cum conuenitis vnusquisq; veſtrum Pſalmum habet. Et ad Epheſ.* 5. *verſ.* 19. *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobismetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritalibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Quod totidem verbis repetit Apoſtolus ad *Col.* 3. *v.* 16. Et *Dionyſius cap.* 3. *cœleſtis hierarchiæ* dicit in ſingulis miniſteriis Sacerdotum cantari Pſalmos. *Clemens lib.* 2. *Conſt. Apoſtolicar. c.* 63. dicit Pſalmum 62. qui incipit: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, recitaſſe Chriſtianos diebus Dominicis mane, & veſperi. Tertull. in fine lib. 2. ad vxorem. *Sonant inter duos Pſalmi, & hymni, & mutuò prouocant, quis meliùs Deo ſuo canet* (non ad vocis oſtentationem) *Talia Chriſtus videns & audiens gaudet. S. Athanaſ. in Apolog. de fuga ſua: Manebam in cathedra, diacono iuſſo, vt pſalmum recitaret: Quoniam in ſæculum miſericordia eius. S. Hieronymus epiſtola* 4. *ad Ruſticum. c.* 8. *Dicas Pſalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis affectus quæritur. S. Auguſt. epiſtola* 119. *ad Ianuarium c.* 18. *De hymnis & pſalmis canendis & ipſius Domini & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Idem de Pſalmis indicat *Lactantius lib. de exhortatione ad caſtitatem, & l. de carne Chriſti.* Pſalmos etiam receperunt hæretici, vt docet *Epiphan. hæreſ.* 67. *& Auguſt. epiſt.* 119. *cap.* 18. hunc morem fuiſſe hæreticorum,

Pſalmorum vſus ſemper in Eccleſia.

Pſalmos noui Veteresq; Sectarii ſuis in conuenticulis admiſerunt.

§. Hymni qui ſunt laudes Dei cum cantico, vt docet S. Auguſt. in Pſal. 72. & B. Iſidorus l. 5. Etymolog. cap. 19. antiquiſſimi ſunt in Eccleſia, vt paulò ante ex Apoſtolo Epheſ. 5. & Coloſſ. 3. demonſtrauimus, quin & ipſe Liberator noſter à myſtica cœna hymnum dixit Matth. 26. *vbi homilia.* 83. *S. Ioannes Chryſoſtomus: Gratias egit, poſteaq; edit, & hymnum cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus. Philo Iudæus in Lib. de ſupplicum virtutibus:*

bus: Non ſolum, inquit, *contemplantur, ſed etiam cantica & hymnos in Dei laudem componunt vario metrorũ carminumq́ genere, rithmis concinnatos in auguſtiorem ac religioſam ſpeciem.* Et poſtea: *Tum ille aſſurgens hymnũ in laudẽ Dei primus canit, aut recens à ſe compoſitum, aut deſumptum ab aliquo vatum veterum.* Quæ Philonis verba ſummatim exſcripſit Euſeb. Cæſar. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 16. Dionyſ. Areopag. de diuinis nominibus cap. 4. complura refert ex hymnis Hierothei Doctoris ſui. Hymnos Eccleſiaſticos compoſuit S. Hilarius teſte D. Hieronymo in Catalogo Script. Eccleſiaſt. & Rabano Mauro l. 2. de Inſtitutione Clericorum cap. 49. Fecit & hymnos D. Ambroſius, vt teſtatur S. Auguſt. l. 1. Retract. c. 21. Ipſemet etiam Ambroſius oratione in Auxentium de non tradendis Baſilicis: *Hymnorum quoq; meorum*, inquit, *carminibus deceptum populum ferunt* (Arriani) Concil. Tolet. 4. cap. 12. *A nonnullis hymni*, ait, *magno ſtudio in laudem Dei, atq; Apoſtolorum & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut ſunt hi, quos beatiſſimi Doctores Hilarius & Ambroſius ediderunt.*

§. Lectiones verò ſumptæ ſunt partim ex Scripturis, partim ex homiliis Patrum, & vitis Sanctorum. Vſum autem harum Lectionum conſtat eſſe antiquiſſimum, nam *Philo libr. de vita contempla.* inter preces Chriſtianorum numerat lectionem veteris teſtamenti, & ſctiptorum principum Chriſtianorum. *Concilium Laodicenum cap. 17.* decreuit, vt Pſalmis interſererentur lectiones. *Concil. 3. Carthag. c. 47.* ſtatuit, vt præter Scripturas legantur vitæ Sanctorum, quod ſuo tempore factum eſſe indicat *S. Auguſt. libr. 22. de Ciuit. Dei. cap. 8. Caſſianus lib. 2. de inſtit. cœnob. c. 5.* vbi dicit à Patribus inſtitutum, vt 12. Pſalmi & duæ lectiones in nocturnis legerentur. *Auguſt. præfat. in epiſtola S. Ioannis* meminit lectionum Euangelicarum, quæ pro diuerſitate feſtorum legebantur. Eſt, ait, ſolennitas ſanctorum dierum,

S. lectionum promptuaria.

Euangeliorũ varietas pro ſacrorũ temporum diſſerentia.

rum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ: vt aliæ esse non possint. *Rabanus lib. de instit. cler. c.* 80. scribit traditionem esse Hebræorum vt lectiones inter preces recitentur. *Gelasius I. S. Pontifex* descripsit lectionum ordinem per totum annum quem habemus in Breuiario Romano, vt patet *d. 15. can. sancta Romana.* Cur autem lectiones isto ordine sint distributæ explicat *Rupertus l. 12. de diuinis officiis circa finem.*

Vnde Antiphonarum vsus.

§. De Antiphonis. Antiphona græcè, Latinis est vox reciproca, duobus scil. choris alternatim psallentibus, ordine commutato, siue de vno ad vnum. *Socrates lib. 6. histor. cap.* 8. *Nicephorus lib. 13. cap.* 8. *dicunt S. Ignatium instituisse, vt in Ecclesia laudes diuinæ per Antiphonas, id est, alternatim canerentur; audierat enim in visione quadam cœlesti, Angelos Deo laudes alternatim canentes.* Ab hoc Ignatio tota Græcia vsum Antiphonarum accepit, & Ambrosius in Latinam Ecclesiam induxit teste *Isidoro lib. 1. de officiis c.* 7. Sigeberto ad annum 338. & *S. August. l.* 9. *Conf. c.* 7. Tunc (inquit scil. sub Ambrosio, vt & in ejus vita testatur Paulinus) *hymni & psalmi vt canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, ex illo in hodiernum retentum multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.* Legendus *Almolarius lib. 4. de officiis c.* 7. Consulatur infrà caput 82.

Responsoriorum origo.

§. Responsoriorum autor primus creditur esse Ambrosius, vt scribit *Strabo & Wallafridus de rebus Ecclesiasticis c.* 25. à quo omnes Italicæ Ecclesiæ; deinde eà receperunt, & ab his ad omnes alias deuenerunt, teste *Rab. lib. 2. de instit. cleric. c.* 51.

Versiculorum fons.

§. Versus ferè ex sacrâ Scriptura sumuntur excepto vno versu; Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, qui primo editus fuit à *Concilio Nicæno*, vt habet *Strabo.* Quod Nicenum Concilium etsi hanc doxologiam diserte

diſertè non expreſſerit, fidem tamen coæternæ Trinitatis clariſſimè docuit. Iſtius hymni meminit S. Athanaſius libr. de virginitate ſeu meditatione. Non ergò ejus primus auctor fuit Flauianus Antiochenus, vt ſcribit Sozomenus libr. 3. cap. 9. Theodoretus libr. 2. cap. 24. Tripart. libr. 4. cap. 35. De hoc verſiculo præclarè noſter Cardinalis Franciſcus Toletus in Pſalm. 31. Et licet aliquando fuerit varietas in dicendo hoc verſu: tamen temporibus D. Leonis totus Oriens & Occidens ita recitabat, ſicut nos modo dicimus teſte *Con. Waſenſi* tempore D. Leonis *c.* 7. Vide *Sozom. libr. 3. hiſtor. c.* 19. *& Theod. c.* 24. qui dicunt agnitos hoc verſu Catholicos ab Arrianis.

§. Collecta plerunq; collectionem, ſive Dei cultus ergò congregatorum hominum conventum ſignificat *Lev. 23. v.* 36. *Dies octauus erit celeberrimus atq; ſanctiſſimus: eſt enim cœtus atq; collectæ. Deut. 16. v.* 8. *Sex diebus comedes azyma: & in die ſeptima, quia collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus. 2. Paral. 7. v.* 9. *Fecit (Salomon) die octauo collectam, id eſt*, feſtum cœtus, quo ſcilicet populus in templo, gratias Deo acturus colligeretur. De qua Chriſtianorum multitudine in vnam Eccleſiam congregata ad ſacram ſynaxin, ad preces publicas, ad diuini verbi expoſitionem *Apoſtolus ad Heb. c.* 10. *v.* 25. *Non deſerentes collectionem noſtram.* Et quia in ejuſmodi congregationibus dabatur eleemoſynas pro egenis Chriſtianis colligendas oportunitas, ibiq; & illæ ſuppeditatæfuere, ſunt & collectæ appellatæ. 1. *Cor. 16. v.* 1. 2. *De collectis autem quæ fiunt in Sanctos* (Chriſtianos) *ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbathi* (Dominica die, quæ vna ſeu prima eſt à Sabbatho qua ad diuinum cultum conuenitis) *Vnusquisq; veſtrum apud ſe ſeponet, recondens quod ei benè placuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant.*

§. Porrò

De Collectarum initio.

§. Porrò de collecta, vel oratione vsus Christianorum semper fuit, vt nunquam in Ecclesia colligerẽtur, quin finis esset orationis, vt cõstat ex 2. *Apol. Iust.* & ex *Apol. Tertull. c.* 39. & sic statuitur *in Concil. Agaten. c.* 21. *& Concil.* 3. *Carthag. causa.* 23. *& Mileu. c.*14. vbi & jubentur Sacerdotes non legere Orationes, nisi ab Ecclesia approbatas, easq; non nisi impari numero dicendas neque vltra septem. Collectæ autem & orationes in nostro officio Romano compositæ sunt à S. Pontificibus, quas teste *Wallefrido & Strabone*, D. Gregorius suo tempore in vnum collegit. Dicuntur autem Collectæ, eo quod summa breuitate vota astantium colligant, vt habet *Strabo cap.* 22. & *Micrologus lib. de obseru. Ecclesiastic. c.* 3. & à Sacerdote apud Deum legationem obeunte ad eum referantur, vel quod ex sacris Scripturis & Sanctorum monimentis collectæ sint, vel ex multis sermonibus, vt compendium & breuiarium factæ, quę tamen & in sacrificii recitantur primordio.

Cur precationculæ sacrũ fidelium cœtum terminantes appellentur Collectæ.

CAP. LVI.

ISTA HORARVM CANONICARVM vicissitudine Redemptionis nostræ mysteria repræsentantur.

Quæ vespertino tempore mysteria à Christo peracta.

§. HOra vespertina (inde enim officium Ecclesiasticum initium sumit) Christus cœnam cum Discipulis fecit, pedes eorum lauit, Sacramentum Eucharistiæ instituit.

Sero crepusculo quid actũ à Christo.

§. Hora completorii, post orationem in horto & sudorem sanguinis effusum, comprehensus ab inimicis, atque ad Annam & Caipham ductus, variis modis illusus fuit.

§. Hora

§. Hora matutina in concilio Pontificum & Pharisæorum, initum est concilium de ratione perdendi Christum.

Ante auroram iniquissimis sententiis damnatur Christus.

§. Hora prima ductus est Dominus ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & rursus reductus est ad Pilatum.

Diluculo ad iniustissimos pertractus iudices Saluator.

§. Hora Tertia crucifixus est vocibus Iudæorum, flagellis cæsus, & spinis coronatus à militibus Pilati.

Tertia lucis hora ad crucē postulatus Liberator.

§, Hora Sexta crucifixus reipsa, atque à terra, (vt ipse prædixerat) exaltatus, maximum Deo Patri pro totius mundi salute sacrificium immolauit.

Media luce, in durā crucem actus Seruator.

§. Hora nona spiritum emisit, ad inferos descendit, regnum Sathanæ destruxit.

Ab hora nonā in summis cruciatibus Sol iustitiæ occubuit.

§. Rursus Hora Vespertina de cruce depositus, & in sepulchrum illatus est.

Flexo in vesperam die, & inclinato, Christus cruce exemptus & sepultura mandatus

§. Horā Completorii dum ipse quiesceret in tumulo, sepulchrum ipsum ab inimicis signatum fuit & militum custodiis septum, atque munitum.

§. Horā Matutina; id est, sub auroram resurrexit, redemptionemq; perfecit; in cujus rei figuram in vigilia matutina Deus olim Pharaonem cum exercitu suo demersit in mare, & filios Israel liberauit.

Mane rediuiuus Christus.

§. Hora prima apparuit sanctis mulieribus.

Quid hora prima.

§. Hora tertia descendit Spiritus sanctus super Apostolos.

Quid tertia.

§. Hora sexta S. Petrus orans mandatum accepit, vt Gentiles admitteret ad Ecclesiam: & eadem hora coapostolus ejus Paulus Christo sibi apparente conuersus, & ad prædicandum Gentilibus destinatus est.

Quid sexta.

§. Hora nona primitiæ Gentium Cornelius Centurio Angelico ministerio ad Apostolum Petrum audiendum missus est.

Quid nona.

§. His rationibus addi potest confirmatio ex eo, quod satis constat ex *Ioanne Cassiano libr. 2. de institutis Cœnobiorum. cap. 4. & 5.* non solum humano, sed etiam Angelico Magisterio canonicarum Horarum ordinem constitutum: Item alia confirmatio ex eo, quod narrat *Ado Treuirensis in Martyrologio ad nonum diem Ianuarii* occisa magna copia sacerdotum in persecutione Diocletiani, auditam fuisse circa eorum reliquias cœlestem psalmodiam mane & vesperi, & rursum hora tertia, sexta & nona. Quæ sanè manifesta sunt jndicia; quod hæc religio statis horis DEVM laudandi, quam sancti illi Martyres, dum viuerent, semper tenuerant, Deo non mediocriter placeat.

§. Denique illud etiam addi potest, vsque adeò antiquis temporibus studium celebrandi canonicas horas in Ecclesia floruisse, vt Iulianus Apostata inuidens Christianis hoc ornamentum, jusserit Sacerdotibus Idolorum, vt ipsi quoque similem formam statis horis precandi & laudandi Deos in suis fanis instituerent. *Vide Sozomenum libr. 5. histor. cap. 15.*

§. De hac Dominicæ Passionis per Horas Canonicas commemoratione, ita *S. Clemens. libr. 8. constit. Apostolicarum, cap. 34. Preces vestras facite diluculò, tertia hora, sexta, nona, vespere & in galli cantu. Diluculo gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus expulsa nocte, & inducto die: Tertia, quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit: sexta, quoniam tunc crucifixus est: Nona, quoniam omnia commota sunt crucifixo Domino, perhorrentia impiorum audaciam, & non ferentia ignominiam Domini: Vesperi gratias agentes, quod dedit nobis diuinorum laborum requiem: in galli cantu, quoniam illo tempore nuntiatur aduentus dierum, ad exercenda opera lucis.*

§. Quin & aliæ suppeditant rationes ob quas Cano-

nici

nonicarum precum quotidianum vsum diuino instructu susceperit S. Ecclesia, & quidem *S. Bonauentura opus. de 6. alis Seraphi. cap.* 8. quinque valdè pias instituti officii diuini assignat causas.

§. *Prima causa fuit: vt Ecclesia militans imitaretur morem Triumphantis: in qua angeli & Spiritus Beati coram Deo semper assistunt, eius laudibus attendentes, iuxta illud Dauidis Psalm. 83. v. 5. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Cum igitur Christus Dominus noster sicut est in cœlo realiter & verè, sit etiam in sanctissimo Altaris sacramento in ipsis templis: æquum & iustum est, vt sint constituti ministri, qui eius præsentiæ assistant, laudesq; decantent cum ea maiori continuatione & frequentia, quam humana fragilitas adhibere potest. Et videntur Seraphini, quos vidit Isaias descendisse de cœlo in templum Ierosolymitanum, vt nos docerent modum Deum in nostris templis laudandi. In præsentia enim Domini Isaiæ 6. vers. 3. clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius: vt homines intelligerent, se debere imitari incensum Seraphinorum amorem: vt magna concordia vniti, Sanctissimam Trinitatem laudent: existimantes, hanc esse supremam occupationem, quam in terra habere possunt: cum de ea gloriantur supremi cœlestes Angeli: quorum laudibus debent suas coniungere, vt earum defectus suppleatur, fiantq; Domino ipsi gratiores. Ideò enim Ecclesia in præfatione addit: cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, &c.*

§. *Secunda huius institutionis causa fuit: vt esset perpetua diuinorum beneficiorum memoria, designatis certis horis, in quibus Deus sit laudandus; gratiaq; illi pro eis agendæ: vt huic obligationi maiori, qua possemus, continuitate satisfaceremus, iuxta illud Dauidis Ps. 33. v. 1. Benedicam Dominū in omni tempore: semper laus eius in ore meo; & illud Isa. 63. v. 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnib. q̄ reddit in nobis; & super multitudinem bonorum, quæ domui Israel*

largitus est. In quibus verbis meminit duorum beneficiorum specialium, quæ largitur Dominus vnicuiq; fidelium; & generalium, quæ concedit domui Ecclesiæ suæ, in omnium vtilitatem. Vt autem vtrorumque, sit continua memoria & gratiarum actio, institutæ sunt horæ Canonicæ: vt Eccl siastici suo & Ecclesiæ nomine semper Deum laudent, gratiasq; pro his beneficiis agant: sed magis in particulari, vt memoriam habeant beneficii nostræ redemptionis, Dominumq; laudent, qui media nocte fuit natus; & alia nocte ingentes sustinuit cruciatus; manè verò ad iudices deductus; & hora tertia flagellatus & ad mortem damnatus; sexta autem crucifixus; vesperi tandem mortuus; & circa noctem sepultus; postea diluculo surrexit, & hora tertia Spiritum sanctum misit. Cum igitur hisce horis adeò insignia beneficia Ecclesiæ contulerit: dicebat vt eius filii eisdem horis ad ipsum Dominum, qui ea tanta liberalitate & misericordia contulit, laudandum conuenirent.

§. Huic causæ affinis valde est tertia: vt scilicet orationis exercitium, qua posset maxima frequentia continuaretur, duplici nomine. Altero, eò quod necessitates & miseriæ tàm particulares, quàm communes, quibus premimur sint continuæ: quarum vniuersalis reparator est ipse DEVS Dominus noster, adhibita ratione ad id impetrandum; Altero, eò quod oratio sit efficacissimum medium ad conseruationem & augmentum Fidei, Religionis, & Sanctitatis, quam profitemur: quæ absque diuino fauore non potest diu durare. hic autem fauor obtinetur orationibus. Et vtroq; hoc nomine dixit Christus Dominus noster: oportet semper orare, & non deficere. Quod (vt ait Beda) præstat Ecclesia, statuendo vt eius Ministri toties die ac nocte conueniant, ad horas Canonicas dicendas: vt vtrumque à Deo obtineant, quas quotidiè repetunt: vt quotidiè vtrumque obtineant, iuxta illud S. Hieronymi, Deus semper largitor, semperq; donator est: non mihi sufficit, quod semel donauit, nisi semper donauerit. Peto, vt accipiam; & cum accepero, rursus peto. Auarus sum ad suscipienda beneficia DEI. Neq; ille deficit in dando, neque ego satior in accipiendo; quanto plus bibero,

ro, tanto plus sitio. Præterea cum officium Diuinum non solùm contineat petitiones; sed multos actus, & virtutum omnium affectus complectatur: ideò si, vt oportet, dicatur: non solùm consilium impletur, semper orandi, sed etiam proficiendi continuè in puritate & sanctitate: iuxta illud quod Spiritus sanctus dicit Apoc. 22. v. 11. qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. Et illud Ecclesiastici. cap. 18. v. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Hinc etiam Quarta causa huius institutionis oritur: vt communis plebs, quæ parùm scit, parumq; delectatur hoc exercitio orandi & laudandi Deum, ei assuescat, accedens ad Ecclesiam constitutis horis: vbi non solum per ipsos Sacerdotes oret, & laudet Deum; sed hoc etiam exemplo seipsam excitet: vt, iuxta suam capacitatem, idem præstet; & attendens Diuinis officiis, reddatur ei minus graue tempus, quod ibi orando expendit. Experientia enim docet nos, quod nisi sancta hæc esca proponeretur: multi nõ accederẽt tẽpla: aut cito defatigarẽtur in eis manẽdo. Et hoc est, q̃ S. Lucas dixit: quando Zacharias Pater S. Ioannis Bapt. ingressus est templũ Domini, vt secũdũ cõsuetudinẽ Sacerdotii incensum poneret: tunc omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi, atq; si nunc diceremus: dum Sacerdotes officium suum præstant in altari, vel in choro omnis populus est foris orãs, & clamans ad Deum, bono illorum exemplo permotus.

Quinta causa est: quia id spectabat ad Catholicæ Ecclesiæ, & Christianæ religionis decorem. Si enim gentiles conueniebant in suis templis, vt suos falsos Deos adorarent & laudarent: multò magis est rationi consentaneum, vt Christiani in templis nostris conueniamus, ad adorandum & laudandum verum nostrum Deum. Et, si antiquæ legis fideles suas etiam faciebant cõgregationes in suis synagogis; suaq; festa celebrant pro gloria Dei nostri: multo certè magis iustũ est, vt Christiani cõueniamus in templa nostra vt eum laudemus, & altissimorum eius mysteriorum, & sacramentorum participes efficiamur: facientes quod refert Ecclesiasticus de Dauide Ecclesiastic. c. 47. v. 12.

dicens: dedit in celebrationibus decus, & orauit tempora vsq; ad consummationem vitæ; vt laudarent nomen sanctum Domini; & amplificarent manè Dei sanctitatem: Omnes enim tenemur eum laudare: quia talis est; & propter altissimas, quas in se habet perfectiones; & propter amplissima opera, quæ nobis præstitit, ac præstat: decetq; vt omnes nostras vires intendamus in his cum omni solennitate possibili præstandis: semper enim minus faciemus, quam infinita eius maiestas deposcat, & promereatur, vt aperte dixit idem Ecclesiasticus Eccl. 43. v. 32. Glorificate Dominum quantumcunq; potueritis, superualebit enim adhuc & admirabilis magnificentia eius. Qui benedicitis Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude.

§. Nec aspernandæ septenarii Horarum sacrarum numeri sunt caussæ illæ: Hostis ille antiquus septem spiritus assumit nequiores se Lucæ 11. vers. 26. aduersus quos præualere non possumus, nisi septiformi Spiritus sancti gratia Isaiæ 11. vers. 2. ad quam impetrandam, septies Deo sacrificium laudis offerri mandauit sancta Ecclesia. Septies in die cadit justus Prouer. 24. v. 16. Septem sunt capitalia peccata, ex quibus originem ducunt cætera. Quare ne quis in illa labatur, vel lapsus euadat, septies debet laudare Deum, & ab eo veniam petere. Septem Dominicæ orationis petitionibus omnia desideranda complexus est Christus Dominus. Matth. 6. vers. 9. Deus creationis opus septimo compleuit die Genes. 2. vers. 2. Quod cum in hominis vtilitatem sit factum, merito Creatori debet septenam laudem & gratiarum actionem; septena circuitione, & septeno septem tubarum clangore euersi sunt muri Hierichuntis Iosuæ 6. vers. 15. septem aspersiones Leuitici 14. & 16. Septem lampades seu lucernæ Exodi 25. In sola Apocalypsi septem Ecclesiæ, septem spiritus, septem candelabra aurea, septem stellæ cap. 1. versic. 4. 12. 16. &

16. & cap. 4. septem lampades ardentes cap. 5. vers. 1. Liber signatus septem sigillis, & cap. 6. Agnus habens cornua septem, & septem oculos, &c. De hoc septenario numero S. Gregorius Nazianzenus oratione in S. Pentecosten. D. Basilius homil. 11. in Hexam. B. Augustinus libr. 11. de Ciuit. Dei. cap. 31. & lib. 1. contra Manichæos. S. Hieronymus lib. 7. comment. in Isaiam cap. 22. & lib. 6. Comment. in Hieremiam cap. 32. & lib. 2. Comment. in Amos cap. 5. Galenus in libris decretoriis. Plutarchus lib. de Ei. apud Delphos. Macrobius libr. 1. in somnium Scipionis cap. 6.

CAP. LVII.

QVIS MODVS CANONICAS legendi horas.

§. MVlta requiruntur vt legitimè Horæ persoluantur, 1. requiritur integritas, vt nimirum omnes septem horæ diurnæ dicantur: & tres nocturnæ. Ac docent Doctores quotiescunque totum officium omittitur, vel vna pars officii, id est, vna hora, admitti peccatum mortale, siue id fiat ex contemptu, siue ex fastidio & ebrietate, siue ex mera negligentia. Et ratio est, quia est sufficiens materia peccati mortalis, quando ejusmodi de caussa, in notabili materia negligitur præceptum Ecclesiæ, vt fit in hoc casu. Ita *Nauar. 1. de oratione. cap. 10. num. 44. Toletus, Bellarminus, Azorius.* Nauarrus etiam putat aliquam partem horæ v. g. dimidium sufficere ad mortale, sed hoc nimis rigidum videtur, non tamen improbabile. Ad hanc integritatem refertur integritas verborum, vt in officii sacri vel decantatione vel lectione nulla syllaba omittatur, qua de re vberiùs sequenti capite.

Integre diuinum officium persoluendum.

Vel vnius Canonicæ Horæ voluntaria prætermissio, est lethiferæ culpæ admissio.

Quo organo canuntur, legenda sunt. Quando organo in Ecclesia canitur, verisimilius est eam partem esse legendam; quia ejus sensus ex organo non intelligitur. Ita *Sotus q. 5. a. 3.* Ad officii integritatem pertinet, vt non interruptè dicatur, quod in priuato officio propter aliquam irreuerentiam tantum veniale est, etiamsi intercederet integra hora: quia singulæ partes alicujus horæ v.g. versiculi Psalmi efficiunt singuli suam sententiam, & habent rationem cultus diuini independenter à cæteris, ergo licet interruptè dicantur, manet tamen substantia cultus diuini, qui præcepto Ecclesiæ imperatur. In publico tamen officio propter scandalum aliud est judicandum.

Horis nihil interiiciendum de quo seq. cap.

Vbi necessitate facta interpositio ibi reducenda.

Vbi seruandus Horarũ ordo. §. Secundo requiritur ordo vt singulæ horæ suo loco dicantur, qui ordo necessario seruandus est in officio publico, in officio autem priuato nullum est omninò peccatum cum ratione inuertere ordinem, vt docet *Syl. & Caiet.*

In necessitate ante matutinas sacrum fieri potest. §. Quæres an liceat dicere sacrum ante matutinas *S. Anton.* putat esse peccatum mortale. part. 3. tit. 13. c. 6. §. 4. Palud. 4. sent. dist. 13. q. 2. artic. 2. Hostiens. in sum. tit. de consecratione Ecclesiæ. d. 2. Nauar. in Enchir. de oratione c. 21. num. 30. *Sotus* verò l. 10. de Iustitia & jure. q. 5. art. 4. & *Sylu.* rectius negant: quia inter missam & officium, non est ordo essentialis, modo fiat cum caussa necessaria ac legitima.

§. Tertio requiritur qualitas, quæ in duobus consistit: primo vt quando legendum est de festo non legatur de feria & contra, alioqui tenetur repetere non tamen sub peccato mortali modo tempus supersit. Et verisimile est posse esse peccatum mortiferum, quia hæc qualitas Ecclesiæ præcepto imperata est, si quis sciens prudensque faceret. Vide *P. Suarez. libr. 4. de Horis Can. cap. 28.* Secundò vt qui sunt beneficiati legant officium secundum vsum Ecclesiæ in qua habent

Plurib. onerati beneficiis legant, etus Eccl-siæ,

benefi-

beneficium aut si plura habeant secundum vsum Ecclesiæ in qua residēt, & Religiosi secundum rationem suæ religionis. Nunc conceditur legere officium Rom. omnibus ex priuilegio.

in qua potissimùm residēt, officiū. Iuxta S. Augustini consilium epist. 118. ad Ianuar. c 2.

§. Quartò requiritur locus ac in publicis precibus Ecclesia; vt habetur in Clement. 1. de celebrat. Miss. in priuatis honestus locus, & quicunque obuiat in necessitate stabulum aut similis locus. Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione. 1. Tim. 2. v. 8.

§. Quinto requiritur tempus, de quo Doctores tria potissimum docent, primo tempus recitandi officii esse à vespera diei præcedentis vsque mediam noctem alterius diei, vt S. Antoninus & cæteri fere omnes docent. Itaque matutinæ preces dici possunt statim post completorium circa horam 4. 5. 6. &c. Ita S. Thomas Quodl. 5. art. 28. responsione ad 3. aliæ verò non possunt dici, nisi post mediam noctem, quo possunt omnes dici si necessitas vrgeat, & tempus hoc durat vsque ad mediam noctem sequentem.

Quando legi possint Matutinæ.

Secundo in horis legendis seruandum esse tempus ab Ecclesia præscriptum si fieri commodè possit. Vnde non peccant qui Nonam dicunt post prandium, & qui laudes separant à matutinis, modo illas concludant collecta ejus diei, matutinas scilicet, vt fit in nocte Natiuitatis, cum missa interponitur. verum tamen est sine causa non debere separari propter formam officij. 3. quotiescunque officium non potest suo tempore legi, consilium esse, vt potius anticipetur tempus. Ita *D. Thomas quodl. 5. q. art. 28.*

Quando minores Horæ, Vespera, & Complet. dici queant.

Anteuertendum potius Horarū tempus, quā vltra differendum.

§. Sexto requiritur Intentio agēdi cum Deo. Probatur: quia ad implendū p̄ceptū requiritur necessario substantia operis præcepti. At vbi intentio agendi cum Deo abest, non manet substantia orationis; quia oratio intrinsece est locutio cum Deo, Locutio verò

Propositum, & quod, ad Horarum lectionem necessarium.

Quæ in Horis necessaria intentio.

cum alio includit intrinsecè intentionem cum eo agendi. Ejusmodi intentio saltem virtualis sufficit ad vitandum peccatum mortiferum, & Ecclesiæ præcepto satisfaciendum, modo sponte nihil animo profanum tractemus, quod efficiat vt vel ad verba non attendamus, vel reuerentiam Deo debitam deponamus: nam si quis animaduertat se in verbis errare, nec corrigit, non implet præceptum. Etsi etiam non erraret in verbis, aduertit tamen mentem distrahi ad ea cogitanda, quæ reuerentiam erga Deum impediunt nec excludit, etiam peccaret: quia in omni locutione cum Deo requiritur reuerentia erga Deum, vt docet *S. Cyprian. de oratione Dominica.* Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem, cogitemus nos sub conspectu Dei stare: placendum est divinis oculis & habitu corporis & modo vocis. *Chrysost. hom. 19. in Ephesinan.* Quid est quod dicit Apostolus: Psallentes in cordibus vestris Domino? Hoc scil. cum intellectu attendentes. Qui n. non attendunt, temerè psallunt, corde interea alibi oberrante. *Basilius Const. Monast. c. 2.* cum timore humilitateque Deum orato. Videat plus Lector infra cap. 70. *Augustin. in Psalm. 85.*

CAP. LVIII.

CANONICÆ PRECES MAGNA vigilantia & religione persoluendæ.

§. EAsdem solemnes & Canonicas Horas intelligenter, attente, ac pie vel cantent, vel legant, ne audiant: *Populus hic labiis me honorat cor autē eorū longe est à me, sine causa colunt me. Matth. 15. v. 8. Isa. 29. v. 13. Quam multi,* inquit *Augustinus in psalmum 119. sonant voce, & corde*

corde muti sunt? Et quam multi tacent labiis, & clamant affectu? quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. Ideò & Saluator: *Spiritus est Deus & eos, qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare,* Ioannis 4. v. 24. id est, cum verò pietatis de Deo sensu, & cum spiritus sancti gratia, fide, spe, charitate, & quæ ex ijs procedunt operibus.

§. *Innocentius III. cum Concilio generali Lateranensi: Districte, ait, præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus studiosè celebrent pariter & deuote.*

§. Huic tam pio, vtili, ac necessario Ecclesiæ præcepto faciant vt satis, norint requisitum illud studium in duobus potissimum consistere. 1. in versuum singulorum & verborum integritate, vt verba non absorbeantur in sententiis, vt fit dum priora verba versiculi junguntur vltimis prætermissis medijs, vt Gloria Patri & Spiritui sancto. 2. nec dimittantur syllabæ in verbis dum truncatim proferuntur præsertim postrema, vt sed in lege Domi voluntas ejus & in lege ejus meditabi die ac nocte. 3. nec cum alternatim cantantur horæ vel leguntur, vna pars inchoet, antequam terminauerit altera, quod frequens est apud parum pios Clericos, qui festini sunt in choro, tardi in conuivio, pegasi in cultu diuino, testudines in somno capiendo. In quib. trib. defectib. dum vel verba in media sententia absorbentur, vel in fine detruncantur, vel antequam vna pars finierit, altera incipiat, si magni sunt, & cum aliorum scandalo conjuncti, vt fit in choro, non abest mortiferi sceleris discrimen. In officio autem priuato, quando fit sine contemptu non est nisi veniale, quia manet sensus eorum, quæ recitantur. Ita Cajetan. in summa,

Quo pacto studiosè ex Ecclesiæ præcepto legantur Horæ.

§. Il-

§. Illud ſtudium poſitum eſt in S. Officii continuatione, ne quid aliud negotioli, non valde neceſſarii interponatur, in quo etiam grauior ſæpius timenda culpa, cum in virtute obedientiæ generalis ſynodus præcipiat, & ſummo jure infinitæ Dei præſtantiæ ac Majeſtati hoc ſtudium debeatur. *Eccleſiaſtici* 18. *verſ.* 23. *Ante orationem præpara animam tuam, & non ſis quaſi homo qui tentat Deum.* Deſiderata verò & mandata deuotio poſita eſt in attentione & reuerentia. Et quidem quia valde neceſſaria eſt attentio in canonicis precibus, de illa aliquot capitibus tractabimus. Deinde de reverentia erga Diuinum numen agemus.

CAP. LIX.

DE ATTENTIONE IN PRECIBVS præſertim Canonicis, à quibus Diabolus auocat.

§. CAcodæmon in malitia ſua obſtinatus & pertinax omnium quidem virtutum & piorum operũ hoſtis eſt & perpetuus oſor, ſed deprecationi ex qua in hominẽ plurima & pſtantiſſima dimanare bona animadvertit, maximè inimicus & infeſtus eſt. Itaq; totis virib. connititur, vt hominem vel prorſus à precibus abducat, vel ſi id obtinere non poteſt, ſaltem & in alias ab oratione cogitationes evagetur obnixè laborat. Non latuit hoc dæmonis ſtudium *B. Bernardum, qui ſerm.* 4. *de Quadrageſima* ait: *Oratio quanto eſt efficacior, ſi fiat, vt debet, tanto callidius impediri ab aduerſario ſolet.*

§. Et ante eum *S. Iſidor. l.* 3. *de ſummo bono. c.* 7. *Tunc Diabolus magis cogitationes curarum ſæcularium humanis mentibus ingerit quando orantem adſpexerit.*

§. *B. Ioannes Climacus gradu* 4. *Semper quidem ſeruandus eſt quietus animus, atque ab omni perturbatione liber, ſed attentiùs*

attentiùs tamen cum Domino psallimus: studeant enim maximè dæmones perturbationibus animam nostram impedire atq; demoliri.

§. *Et* quidem hoc pestiferũ Diaboli studiũ, vt à precationib. hominẽ abstrahat, *S. Basil. in sermone de rerum abdicatione* significat cum ait: *Caue diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis Canone nondum peracto auellere te studeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, vt ab ea nos subducamus, vt quam salutem nobis afferre intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant.* *Dæmon legitima caussa pretentu à precibus abducit.*

§. S. Basilius sententiam luculento exemplo confirmat *B. Gregorii l. 2. Dialog. cap. 4.* vbi quidam cæteris Deum precantibus foras ad terrena opera perficienda egrediebatur, quam inde à nigro puerulo vestimenti fimbria educi S. Benedictus vidit, ejusq; precatu B. Maurus, qui vagabundus à S. Benedicto virga percussus ad orationis studium immobilis permansit. Pœna sæpè oculos aperit quos culpa claudit. *Quamuis enim generosus animus,* teste Seneca, *rectius ducatur, quàm trahatur,* tamen quia non desunt homines seruili ingenio, qui non ratione, non pudore, non honestate, non monitis corriguntur, iis pœnę adhibendę sunt. *Vnde* Prouerbium: *Phryx plagis emendatur.* Et ita rectissimè cum S. Benedicto faciũt Ecclesiarum antistites, qui in Ecclesiastico officio desides monitosque pœnis coercent.

CAP.

CAPVT LX.

VIGILANTIAM, ATTENTIONEM & precationis pietatem interturbare nititur Sathanas.

§. QVod si hæc machina irrita cassáque Diabolo ceciderit, neque hominem à statis solitisque precibus avocare potuerit, alteram commolitur machinam, vt precantem hominem ab attentione, à pio in Deum affectu & religione in alias cogitationes curasq; traducat, ejusq; oratio non sit oratio, dum mentis deest attentio.

Quid sit precatio.

§. *Quid est*, inquit *S. Aug. serm.* 230. *de Tempore: oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio superior, inuisibilium desiderium? Et l.* 2. *de serm. Domini in monte. cap,* 7. affirmat non verbis, nos agere debere apud Deum, vt impetremus, quod volumus, sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura & simplici affectu. Et post pauca: *Fit ergo in oratione conuersio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit. Et B. Ioannes Damasc. l.* 3. *orth. fidei. c.* 24. *Oratio est ascensio mentis ad Deum.* Cum ergo mens aberrat, non est oratio, quantacunq; verba lingua effutiat. *Vera namq; postulatio*, ait *S. Greg. l.* 2. *Mor. c.* 18. *non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis.*

Dilatà os tuum, & ego implebo illud Psal. 80. vers: 11

Precatio sine attentione & cura non est precatio sed Dei irritatio.

§. Vt itaque versipellis inimicus & cuiusuis doli & fallaciæ architectus dæmon, animum ab oratione abstrahat multa variaq; illi tentamenta & ludibria opponit.

Iocularis ludificator dæmon, vt orationem impediat.

§. Nunc tartareum illum ludionem, orationisque perturbatorem, tragœdiam agentem intueamur. *Auctor est Edinerus Anglus in vita S. Anselmi Cantuarien. Archiep. libr.* 1. *quod Diabolus à S. Anselmi salutaria suadentis consue-*

consuetudine, nunc occulta fraude, nunc manifesta increpatione machinatus sit, homines abstrahere & astruit: Miles erat quidam, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigiliis & orationibus Deo intentus, audiuit Diabolum sub voce scutarii sui, (hoc est, scutorum opificis vel custodis) extra Ecclesiam, in qua erat, vociferantem & turbato murmure equos & omnia sua fracto hospitio à latronibus iam hinc directa atque abducta esse conquerentem, nec aliquid eorum vlterius recuperandum, nisi citius accurreret. Ad quæ cum ille nequàquam moueretur, maius videlicet damnum deputans orationi cedere, quam sua perdere, dolens Diabolus, se despectum in speciem vrsi demutatus est, & Ecclesiæ per tectum delapsus, ante ipsum præceps corruit, vt horrore saltem & fragore sui casus, virum à cœpto perturbaret. Sed miles immobilis permanet, & monstrum securus irridet. Post quæ de sanctioris vitæ statu consulturus B. Anselmum in itinere aduersam sibi inaudiuit vocem: Cadule, Cadule, quo tendis! Quid te tantopere Priorem illum cogit adire? Hypocrita est, & sua hypocrisi iam multos decepit. Suadeo redeas ne ab eo seducaris. At ille dæmonem loqui cognoscens, & signo sanctæ crucis se muniens hostemque contemnens ad S. Anselmum perrexit & ibidem se religiosæ vitæ tradidit.

Diabolus calumniator S. Anselmum falsissimè criminatur.

Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum Prou. 1 v. 17.

Dæmonum ludificationes.

§. Spectastis infernalem præstigiatorem, precationis ac pietatis hostem, ac turbatorem Diabolum, illius insidias & fraudes cauete, ne ab attentione debita auellamini.

§. Subjungam & aliud non minus illustre exemplum quod est in *Prato spirituali apud Ioannem Moschum cap.* 160. *Cum quadam die sederem in cellula mea, ait senex quidam Eremita, operarerque manibus meis (tenebam autem canistrum & Psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est, quasi puer Æthiops, & stans coram me saltare cœpit, psallentique mihi dixit: Senex nonnè bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem mihi respondenti ait*

Errata in precibus notantur à dæmone.

ait: Ecce putas te, malè senex, magnum aliquid agere, dico tibi, quod & in sexagesimo quinto & in sexagesimo sexto Psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui, & ille euanuit. Miserimus saltator dæmon qui præcipiti superbiæ saltu è cœlo in infernum dilapsus est. *Isa.14. vers.12. Luc.10. vers.* 18. libenterq; saltationibus interest & choræis, vt testatur S. *Chrysost. homil.57 ad Antiochenos.* Paruulus est: quia viribus imbecillus, nec nisi volenti nocere potest. Niger est: quia malitia turpissimus & pertinacissimus. Subsultat vtab oratione aberrare & euagari faciat. Errata notat in precibus, vt eos accuset, & calumniam intentet. Submissa & feruenti precatione pellitur & fugatur. *Hoc genus dæmoniorum,* inquit, *Salvator Matt.17. v.21. non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.*

Et terroribus & fraudib. Patriarchã Dominicum orantem perturbare nititur dæmon.

§. *Silentio* hic non prætermittam quam & infestus S. Dominico fuerit malus dæmon precanti. *Theodoricus de Appoldia p.3. in eius vita. cap.12. Nocte quadam ante aram,* ait, *ad preces prostratum, malus dæmon interturbare volens, grandem lapidem è tecto Ecclesiæ deiecit, idq; eo impetu, ut tota Ecclesia eius casu circumsonaret. usque adeò autem capiti eius propinquus fuit, vt ruens caputium eius contingeret. Sed viro Dei nihil se mouente, hostis terribili voce eiulans, cum multa ignominia abscessit. Cernens autem terroribus se illum frangere non posse, illudere ei voluit. Oranti enim post Completorium, in specie fratris DEVM obsecrantis ante quoddam altare apparuit, eum fratrem existimans vir DEI, signo quodam iussit ire cubitum. Ille caput inclinans abiit. Postea vir sanctus monuit fratres, ne quis post ullum signum in templo permaneret. At ille commentitius fictusq; frater semel atque iterum orare se simulauit. Accessit ergo ad eum vir Dei & ait: quæ est ista inobedientia, quod iam tertio facis, quod ego volui, ne quisquam faceret? Tum ille nequissimus cachinnum sustollens. Effeci certè,* inquit, *vt silentium frangeres. Cui vir sanctus: Noli* ait, *miser lætitia efferri ex re nihil tibi profutura,*

Dominus protector vita mea, à quo trepidabo Psal. 26. vers.1.

Quod virib. non potest, fraudib. tentat Diabolus. simul leo & serpens.

ego

Ego possum silentium relaxare & loqui, vbi mihi visum est expedire, ecce quanta astutia Sanctorum, etiam precibus impedimenta injicit pessimus veterator Diabolus.

§. Neq; animi pendere, aut in dubium venire debemus, quin omnia orationis præsertim debitæ impedimenta ferè sint Diaboli tentamenta, ac proinde si manus turbamq; dæmoni tanquam victori dare nolumus, sicut nolle debemus, attentissimo semper religiosissimoq; in precibus animo perseueremus, & superabimus; qui enim dedit, & dabit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, 1. *Cor.* 15. *v.* 57. *vt super aspidem & basiliscum ambulemus & conculcemus leonem & draconem Psalm.* 90. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum* ait *S. Ioannes* 1. *ep.* 4. *v.* 4. *quia maior est; qui in vobis quam qui in mundo est.*

Omnia à debita precatione reuocatio plerunq; dæmonis est tentatio.

Ab exercituum Domino victoria.

§. Habetur in libro *sententiarum Patrum* §. 39. *& lib. exempl. dist.* 2. *c.* 49. Dæmon specie Monachi S. Macario se videndum præbuit, affirmauitque nullam Monachorum congregationem sine illis celebrari. Itaq; vir sanctus Ecclesiam ingressus conspexit undiq; per eam paruulos Æthiopes quasi volitãdo discurrere, & precantibus fratrib. atque psallentibus illudere, oculos quibusdam duobus digitis comprimere, qui mox dormitabant, aliisq; digitum in os inserere, qui oscitabant, mulieris speciem, ædificii structuram, & alios labores objicere, circa quorundam ceruices & dorsa ludere, quæ omnia & S. Machario examinanti se animo versasse confessi sunt. Similia tamen ludibria & visa cum nonnullis repræsentarent, statim violenter repulsi sunt & præcipites dejecti, vt nec ante eos consistere aut pertransire auderent, hi nimirum attenti feruentesq; in oratione fuere. Vide & distinct. 3. exemplum 59.

Varia dæmonum illusiones.

§. *Marcellus Abbas Scitiota*, vt est in *Prato Spirituali cap.* 152. de se quasi de alio narrauit, *quod nocte quadam surrexerit, vt Psalmos ex more caneret. Cumq; psallere cœpisset, audiuit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis, turbatusque senex cogitabat dicens: vnde hoc in loco vox buccinæ perstrepit. Milites hic non sunt, bellum hinc abest: & cum ista secum volueret, dæmon propè illum veniens dixit ei: Vtique bellum est. Si ergo oppugnari & repugnare vis, vade, dormi, & non oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi filioli nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit, atq; contristat, & contra nos commouet dæmones, ipsumq; perditionis auctorem Satanam, sicut perpetua Psalmorum, meditatio.*

Oratio dæmonis afflictio.

§. Cernimus antiquissimum Ecclesiæ institutum canendique Psalmos ac diuinas laudes morem, hanc etiam pietatem pro virili suis technis & machinamentis interturbare, & cum illud officium nocte siue mane celebrandum est, dæmonem suadere somnum, cujus consilium fallax semper & pernicio sum est, & eum maleuolentissimum Dei laudatione ac Psalmorum recitatione torqueri & discruciari.

CAP. LXI.

NOSTRÆ NATVRÆ IMBECILLITATE AD MENTIS EVAGATIONEM ABUTITUR DÆMON.

§. EO autem pessimus genius ab animaduersione quid precetur facilius hominis animum auocat, quo vitiata natura ad omnem à pio opere, & præsertim deprecatione, aberrationem & euagationem procliuior est, vt vix, ac ne vix quidem ullus Sanctorum hoc in genere non peccauerit. *Quod enim tàm pertinax Sanctorum studium*, ait *Ioannes Cass. Coll. 23. cap. 7. quod*

Septies in die cadit iu tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versus, Prou. 24. vers. 16. Sutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus v-

niuer-

niuersorum mortalium consortia declinauit, vt nunquam cogitationibus superfluis laberetur, & intuitu rerum, vel occupatione actuum terrenorum, ab ista quæ verè sola & bona est Dei contemplatione deciderit? Quis tantum spiritus unquam potuit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus, ab ipsa quoq; orationis intentione translatus repente de cœlestibus ad terrena corruerit? Quis nostrum, vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento, quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel inuitus offendit, per quod sperabat veniam delictorum?

Et iustus extra callem.

§. De miraculis & sanctitate clarissimo *Hilarione in eius vita* memorat *S. Hier. Orauit semel fixo in terram capite: & vt natura fert hominum abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat; insiliit dorso eius festinus agitator: & latera calcibus, ceruicem flagello verberans. Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansq; desuper, cum defecisset, an hordeum vellet accipere scisciabatur.*

S. Hilarion ab oratione aberrans à Diabolo vapulat.

§. *B. Aug. in Psal. 85. Comment. v. 5. Attendat quisque seipsum & videat quanta aguntur in corde humano, quemadmodum plerunq; ipsæ orationes impediantur variis cogitationibus, ita vt vix cor stet ad Deum suum, & vult se tenere vt stet, & quodammodo fugit à se, nec inuenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quib. retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus, sed stet iucundari à Deo suo. Vix est vt occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret vnusquisq; sibi contingere & alteri non contingere, nisi inueniremus in Scripturis Dei Dauid orantem & quodam in loco dicentem 2. Reg. 7. v. 27. Quoniam inueni Domine cor meum, vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo confugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & non posse comprehendere & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me Psalm. 39. v. 3. Itaque, fratres mei, attendens, quod hic ait, Suauis es tu & mitis, videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, & exspectat tamen à nobis orationem*

Maximo nisu & diligentia animus in orationis attentione continetur.

Sanctorum etiam animi à precibus euagantur.

nostram, vt perficiat nos: & quando illi eam dederimus accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas, quas inconditè fundimus, & accipit vnam, quam vix inuenimus. Quis enim est fratres mei homo cum quo si amicus eius ceperit colloqui, & noluerit ille respondere collocutioni eius, & viderit eum auerti à se, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut si fortè interpelles Iudicē, & constituas eum loco, vt te audiat, & subitò cū adeū loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerabit? Et tolerat Deus tot corda precantiū, & diuersas res cogitantiū: Omitto dicere & noxias, omitto dicere & aliquando p ruersas & inimicas Deo, ipsas superfluas cogitare, iniuria est ei cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras cum Deo loqueris. Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo, cura, & stabo: confirma & firmus ero. Donec autem facias, toleras me: quia tu Domine suauis es & mitis, & multum misericors omnib. inuocantib. te. Inuocas, quia quicquid amas, inuocas: quicquid in te, vocas, inuocas, quicquid vis, vt veniat ad te. Porro si Deum propterea inuocas, vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hæreditas, vt veniat ad te secularis dignitas, illa inuocas, quæ vis, vt veniant ad te: sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Inuoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum. Illo melius nihil est, ipsum desidera, ipsum concupisce. Si amator Dei esse vis, sinceriſsimis medullis castisq; suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil inuenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Si ergo inuocas Deum tanquam Deum, securus esto, exaudiris, pertines ad istum versum. Et multum misericos omnibus inuocantibus te.

Apta similitudo, quam indignum sit cum Deo loqui nec attendere.

Patientia Dei in ferendis nostris cogitationibus.

Quo nos modo loquamur Deo, & ille nobis Dominus firmamentū meum, Psal. 17. v. 1.

Quid sit vere & sincerè inuocare Deum.

Deus, quo nihil præstātius desiderandus.

Breuis Augustiniana sententia explicatio.

§. Hęc ibi & plura S. Augustinus docens 1. animam nostram ex naturali ægritudine esse instabilem & ab orationis attentione fugacem, 2. hoc etiam optimis quibusque euenire, 3. clementissimum Deum facilè condonare, si hanc miseriam inuiti patiamur, non vltrò accersamus, 4. & benignè acceptare, quod cùm aliqua

aliqua consideratione precati fuerimus. 5. Maximam esse in Deo bonitatem, qui hanc in nobis incogitantiam tolerat, quam Iudex & Princeps non ferret, imò nec amicus quidem, 6. Ferre autem ab ipsis, qui pio amore & amanti pietate ipsum solum summum bonum desiderant, inuocant, quærunt.

Haud difficulter Diabolus saculi filios ab oratione auocat.

§. Si autem tantam in retinenda precationis attentione difficultatem experiuntur Sancti: quorum animus à caducis rebus alienus: qui vtuntur hoc mundo; tanquam non vtantur, quorum desiderium & amor Deus, quorum conuersatio in cœlis est, quantam difficultatem sentiunt, qui defixi sunt in fecibus suis, quorum animus in conquirendis honoribus, diuitiis, voluptatibus demersus est, qui neque solliciti sunt, vt pia quadam cura & vigilantia Deũ implorent, qui etiam scientes, volentes, orationis temporibus alienas cogitationes, & occupationes suscipiunt, quam facilè hos dæmon in sententiam nassamq; inducit, vt sine fructu orent, imò & cum detrimento.

Mentis ab oratione attentione seuocatio diaboli opus.

§. Quapropter ne hac in re locum demus Diabolo, & illius cedamus improbitati seriò nos cohortantur S. Patres, inter quos *B. Cypr. de oratione Dominica* ita loquitur: *Claudatur contra aduersarium pectus & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione sincera Dominum debeat, non vocis sonus, sed animus & sensus orare.*

§. *Et S. Ephrem tom. 2. de Panoplia spiritali: Cum quis in scietia orat, nec sinit euagari cogitationes suas vehementer contristatur inimicus, veluti acerrimo spiculo in cor de percussus. Quod si dum oras mens tua distrahatur, siue per oculos siue per aures, siue per cogitationes, scito hoc ipsius inimici esse opus.*

CAP. LXII.

PRIMA CAVSSA AFFERTVR CVR Diabolus precantem ab attentione distrahat.

§. SEd cur dæmones tanto conatu & studio hominem ab orationis attentione & vigilantia abducãt, tãtoperè v.suadent vrgentq; sancti. Prima est causa quia intelligunt nequissimi spiritus hanc esse mentem voluntatemq; Dei, cui illi se opponunt, hi submittunt. Quod Dei propositum sententiamque sæpissimè in diuinis literis declarauit Spiritus sanctus *Ps. 61. v: 9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in æternum.* Vbi in *Comment. S. August. Effundite coram illo corda vestra deprecando, confitendo, sperando. Non perit quod effunditis. Nolite corda vestra retinere intra corda vestra, sed effundite, transilientes ad eum leuantes animas vestras.* Sic ergo vult S. Augustin. effundendum cor, vt cogitationes & affectus nostri sint in Deo, & non in nobis.

§. Effudit ita cor suum S. Franciscus, qui intento in Deum animo sublatis in cœlum oculis & manibus, igne diuinæ caritatis æstuans, & abundanter illachrymans per noctem identidem hanc iterauit sentẽtiam: *Deus meus & omnia. S. Bona. in illius vita cap. 3. & Chronica minorũ Gall. cap. 27. Plærumque hoc negotium precandi plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. Ponit a. lahrymas nostras in conspectu suo Psalm. 55. vers. 9. & gemitus noster non est absconditus ab eo Psalm. 37. vers. 10. qui omnia per verbum condidit Ioannis 1. v. 3. & humana verba non quærit Matth. 6. v. 7. ait S. Augustin. epistola 121. ad Probam de orando Deo cap. 10.*

§. Ele-

§. *Elegans est & S. Basilii interpretamentum in hunc Psalmum* 61. commentantis: *Impossibile est, inquit, vt capaces diuinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes & vitia nostras animas possidentia prius eiiciamus. Vidi ego medicos non prius medicinas salutares dare, quam vomitu materiam illam morbi causam euacuassent, quam ex malo dietæ genere homines intemperantes sibi ipsis creauerant. Sed & vas quod humore quopiam odoris tetri & graueolentis præoccupatum fuerit atque imbutum, ni id elueris diligenter, odorati cuiuspiam unguenti influxum neutiquam poterit recipere; opus itaque ea, quæ prius insunt, effundere, vt eorum fiat capax, quæ immittere constituisti.* Ista Sanctus Basilius exigens, vt precaturi ritè Deum, à peccatis animum vitiisque emaculemus, alioquin petitionis fructum non indepturi.

Precationem antecedat pœnitentia, & peccatorũ detestatio.

Salutaria nõ prosunt, nisi expulsis noxiis.

§. Hunc in modum cor suum coram Deo effudit fœmina corpore quæstum faciens, quæ à religioso fratre suo admonita, parceret animæ suæ, parceret & illis, quos illicitis amoribus implicatos sempiternis ignibus traderet, cogitaretque quanta sibi idcircò decreta essent apud inferos supplicia, illa tantum de admissis flagitiis hausit dolorem, vt nudo capite, nudis pedibus, quos & cruentauit, derelictis omnibus illum in eremum prosecuta, & parumper ab eo secedens suspiriis & lachrymis immortua fuerit, & vt cuidam seni manifestauit Deus, ad cœlestem regnum euolauerit. Ita habetur *in lib. sententiarum Patrum.* §. 204.

§. Effundebat simili ratione cor suũ Dauid, *cùm laboraret in gemitu suo, cum per singulas noctes lectum suum fletu lauaret, & lachrymis stratum suum rigaret. Psalm.* 6 *vers.* 7. Effundebat & cor suum peccatrix illa Lucæ 7. rigans lachrymis Saluatoris pedes. Effundebat & cor suum ille publicanus Lucæ 18. ideo percutiens

pectus vt virus peccati excuteret. Effundite coram illo corda vestra, semper initio precationis: *nam sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet*, Psalm. 50. v. 19.

§. Sane vt fructuosè & salutariter Deo preces adhibeantur detestatione quadam & emendationis proposito peccata pectore ejicienda sunt *Psalm. 56. v. 18. Prou. 1. v. 28. Tunc inuocabunt & non exaudiam, manè consurgunt & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperunt. Et cap. 28. v. 9. Qui obdurat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Isa. 1. vers. 15. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Vbi in Comment. in Isaiam *Magnus Basilius. Qui specie tenus*, inquit, *& simulatè orant, manus quidem expandunt, non item attendunt Dei oculos ad eorum orationem intentos ac respectantes.* *Non enim vtcũq; effusæ preces adiumento sunt, sed si cum seria & alacri affectione depromantur. Et sanè peccatores in malitia sua obstinati, qui ad Deum manus extendunt, & ab eo dexteram amicitiæ indesinenter postulant, similes sunt ei, qui cum filiũ vnicè dilectum neci tradidisset, cruentas adhuc filii sanguine manus ad patrem vehementer illi offensum exporrigit, vtiq; illum magis exasperaturus. Effundite ergo coram illo corda vestra & peccatorum venena euomite, si illum exorabilem benignumq; sentire & experiri velitis.*

Tepida oratio inefficax. Pertinaces in scelere, Deumq; implorantes quibus similes.

§. In eandem sententiam concedit *S. Ambrosius in Comment. huius Psalmi*, vbi ait: *Qui induit fidem, primus perfidiam debet exuere, euacuare cor suum omni labe malitiæ, vt capax fiat cor eius gratiæ spiritalis, ideoq; Apostolus ait Eph. 4. v. 23. Renouamini spiritus mentis vestræ: Cum enim effunditur vetus malitia, noua sumitur gratia, qua vnusquisq; renouatur.*

Quid sit cor coram Deo effundere.

§. Significat autem Propheta, vt magna animi attentione, fiducia, pietate, nostras cogitationes, desi-

deria,

deria, curas, miseriaꝫ Deo proponamus in se sperantiũ preces non despecturo. Hinc *Hieron. in Comm. Si cum fletu ei occulta cordium referamus, vt omnes faciunt Sancti, adiutoria eius adipiscemur.* Et in *Comment. S. Ambros. Est etiam illa traditio, vt cor nostrum videamur effundere, quando omnes cogitationes alicui, & voluntates nostri cordis aperimus. Ergo iactemus in Deum cogitationes nostras, nec aliquid eum latere credamus.* Quo sensu dixit *S. Anna Samuelis mater 1. Reg. 1. v. 15. Effudi animam meam in conspectu Domini.* Itaque effundimus cor nostrum coram Deo, quando attento, præsenti, religioso, reuerenti animo peccata & miserias Deo nostro confitemur, precamurq; intimo corde, vt misereatur.

§. Eandem nobis animi attentionem, & in precibus curam & vigilantiam commendat Saluator *Ioannis 4. v. 23. Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & per tales quærit, qui adorent eum.* Et alios repudiat abjicitque, vt postea videbimus. *In precibus vigilandum.*

§. Similiter Apostolus, vt attentissimè ad precationes nostras aduigilemus, præcipit *Ephes. 6. v. 18. Per omnem,* inquit, *orationem, & obsecrationem orantes, omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.*

§. Hinc & *S. Cyprian. in explicatione orationis Dominicæ: Quando,* inquit, *stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quid precatur.* Ideò & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda,* vt dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum* admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. *Cur moneat Sacerdos: sursum corda.*

CAP. LXIII.

IN DIVINAE EXCELLENTIAE DE-spicatum, homines ab orationis attentione & reuerentia abstrahit dæmon.

§. PRima causa, cur dæmones enitantur nos ab oratione & attentione auocare, exposita est, quod nimirum diuinæ voluntati nostrum hic studium, & diligentiam exigenti se opponant. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascēdit semper, ait Dauid Ps. 73. v. 24.* Adjungamus nunc & *alteram* causſam, quæ est diuinæ majestatis cōtemptus, quem teterrimi dæmones sitienter appetunt. Quis enim dubitet vilem despectumque haberi à nobis, cui sine consideratione loquimur, & quicquid in buccam venit, effutimus.

Precantis animus ab aliis curis in Deum seuocandus.

§. Hinc monet Salomon *Eccles. 4. v. 17.* vt in Ecclesia Deum precaturi mentem à malis cogitationibus, & voluntatem à prauis desideriis cohibeamus, animumq; in Deo defixum, & ad ejus imperata promptum teneamus. *Custodi*, inquit, *pedem tuum, ingrediens domum Dei, appropinqua vt audias.* *Et cap. 5. v. 1.* hortatur, ne inconsiderata & festina sit nostra ad Deum oratio, sed cogitanda Dei excelsitas & præstantia, & è contrario nostra abiectio & vilitas: sicque non multis verbis agamus cum eo, verum multis piis desideriis & affectibus. *Ne temerè*, inquit, *quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo & super terram, idcirco sint pauci sermones tui.* Quasi dicat: Deus est Rex cœli imo & uniuersitatis rerum, & tu terræ vermiculus, ex terra progenitus, reptans super terram, viuens terra, itaque præsenti, submisso, & religioso agas cum tanto Numine, animo.

Vilissimus homunculus cum immenso Deo agens, attendat quid, quo modo quā ob causſam postulet.

§. Eandem

§. Eandem diuinæ Majestatis obseruantiam commendans *Ecclesiast. c. 18. v. 33.* ait *Ante orationem præpara animam tuam, & non sis quasi homo qui tentat Deum.* Ante precationis exordium ritè animum disponit 1. qui expendit cum quo quantoq; Domino omnium & principe illi colloquium habendum. 2. qui omnes alias cogitationes curasque deponit vt ad vnum Deum suum attendat. 3. qui peccandi voluntatem abjicit & de non amplius offendendo Deo propositum suscipit, & de præteritis peccatis ingemiscit, lamentatur, pœnam exigit, alioquin potius tentat, irritat, & ad iracundiam & supplicium irrogandum prouocat.

Quis ad orationem se benè comparet.

§. Sed & Saluator noster *Ioannis 4. v. 20. Spiritus*, inquit, *est Deus, & eos qui adorant, oportet in spiritu & veritate adorare.* Spiritus est Deus, sed qualis spiritus? Ergò qualis est ille quo cum loquitur, talis debet & esse precatio nostra, spiritalis scilicet ex attento & religioso spiritu profecta, quia Deus spiritus est.

§. *Hinc* & affirmat *S. Augustin. in Psalm. 85. non noxia non peruersa, non Deo inimica, sed tempore orationis superflua & inania cogitare iniuriam esse Dei quo cum loquimur.* Quapropter & grauiter *S. Cyprian.* explicans orationem Dominicam objurgat à precibus euagantes. *Quæ autem segnitia est*, inquit, *alienari & capi ineptis cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loquaris. Quomodo te audiri à Deo postulas: cum te ipse non audias? Vis Deum esse memorem tui cum rogas, cum tu ipse tui memor non sis? hoc est ab hoste in totum non cauere: hoc est, quando oras Dominum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est, vigilare oculis & corde dormire: cum debeat Christianus & cum dormit oculis, corde vigilare: Sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum, cap. 5. v. 2. Ego dormo & cor meum vigilat. Quapropter sollicitè & cautè Apostolus admonet dicens Colloss. 4. vers. 2. Instate orationi vigilantes in ea, docens scilicet*

Iniuriam facit Deo orãs & vana cogitans.

De oratione aberrantiã castigatio.

ſcilicet & oſtendens eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare. Iſta S. Cyprianus.

Indigniſſimas eſſe ponte à precibus diſtrahi in alias curas.

§. Dicimus Deo: *De profundis clamaui ad te Domine*, & vix ſummis labiis egreditur oratio noſtra. Dicimus *Domine exaudi vocem meam*, nec illam ipſi audimus. Dicimus: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Reſpondere poſſet Deus: Fiat primum animus tuus intendens in vocem deprecationis tuæ. Quid eſt nugari, ſi hoc non eſt nugari? Cum peſſima res & conſuetudo ſit jocandi cum Deo: *Deus enim non irridetur, Gal. 6. Sed ipſe deludit irriſores. Prou. 3. verſ. 34.*

Amor reddit attentum.

§. In accipiendis exponẽdiſue pecuniis attentiſſimè conſideramus, ne quis nummulus nobis deſit, aliis ſuperſit. In emendo frumento vel vino, ne quod granum, ne qua nobis guttula detrahatur fixis oculis intuemur. Et non pluris Deum æſtimare debemus quam nummulum, quam tritici granum, quam vini guttam? Cur ergo non ſimiliter ad ejus obſequium attendimus, niſi quia illa magis amamus, cupimus, quærimus quam Deum. *Violabant me ad populum meum*, ait Dominus *Ezech. 13. v. 19. propter pugillum hordei, & fragmentũ panis.* Si enim terrenis illis vanisque lucellis Deum amplius diligeremus, vtique vbi amor, ibi & oculus, vbi deſiderium, ibi & cogitatio, vel vt ait *Saluator Matth. 6. v. 21. vbi theſaurus, ibi & cor.*

§. Et quanta hæc Deo injuria rebus cum viliſſimis non ſolum non componi, vt æqualis attentio illi præbeatur, ſed etiam poſtponi, vt multo minor illi tribuatur. *S. Iſid. lib. 3. de ſummo bono cap. 7. Negligentes orationes, nec ab ipſo homine impetrare valent, quod volunt.*

CAP.

CAP. LXIV.

INVIDENTIA HVMANÆ SALVTIS dæmon precantes ab attentione abducit.

§. EX his omnibus manifestissimè consequitur, tertia caussa cur stygii illi perditique spiritus, omni conatu agant, ne ad preces animum studiosè applicemus: inuident enim saluti nostræ & felicitati, probeq; norunt ex oratione cum euagatione fusa nullum ad nos peruenire fructum, sed potius perniciem. 1. Quod inconsiderata, vaga & temeraria oratione irritetur Deus dixit Ecclesiast. 2. quod injuria afficiatur asseruit *B. August.* 3. quod offendatur docuit *S. Cypr.* quid ergo boni, imò quid non mali ab irirtato, læso, offenso Numine exspectandum? 4. Affirmat idipsum Deus *Isa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me, sine caussa autem colunt mes. 5. Et Ierem. 48. vers. 10. Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Orationis ergo negligentia non benedictionem Dei conciliat, sed maledictionem accersit, non beneficia impetrat, sed supplicia promeretur. *Deum precatio, Dei irritatio.*

§. Et hæc est stupenda hominis vecordia, & vecors stupiditas: quod cum in deprecatione agatur & tractetur non de nucibus & pomis, non de lana caprina, & asini vmbra, non de fortunis, non de honorib. non de capite, sed de animæ salute vel interitu, de Dei amicitia vel inimicitia, de sempiterna felicitate & miseria, & tamen langueamus, oscitemus, & quasi nihil nostra interfit mentem aliò conuertamus. *Insignis hominum vecordia ad preces non attendentium.*

CAP.

CAP. LXV.

NE INGENTIA A DEO HOMINES impetrent beneficia, tartarei spiritus orationem impediunt.

§. His & quarta causſa adjungi potest, nostris cur precibus infestissimi sint maligni damnatique spiritus : quod sentiant oratione & commissorum peccatorum, veniam,&, ne admittantur, gratiam opemque à Deo impetrari, suas vires elidi, impugnationes, insidias, machinationes frustrari. *S. Bern. sermon. 3. in dedicatione Ecclesiæ. Grauis nobis est inimici tentatio, sed longè grauior illi oratio nostra.* Ipsa confirmat veritas oratione expelli dæmones. *Matth. 17. v. 22.* Si à corporibus, quidni magis ab animis ? Docet & experientia & innumerabiles probant historiæ. *3. S. Chrysostom. libr. 1. de orando Deo. Nisi temetipsum præmuniueris orando, contemptibilem captuq; facilem præbebis sceleratissimis spiritibus, qui continenter obambulant obseruantes nos, vt si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione communitos ilico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladiũ in caput suũ vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur. Oportet igitur, vt hæc omnia semper intuentes, precibus & hymnis semper nosipsos circumuallemus, vt Deus omnium misertus dignos efficiat regno cœlorum, per unicum filium suum. 4. Et libr. 2. de orando Deo. Deprecatio salutis caussa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, piis verò, nimirum nobis, salutiferum. 5. Et homil. 79. ad Antioch. Si beatus Dauid, inquit, cum esset Rex & in-*

Dæmones piis fugantur precibus.

Precatione munitus dæmonib formidabilis orationis negligens iis contemptus

Precationis effectus:

& innumeris immersus curis, & vndiq; distractus septies in die Dominum rogabat Psalm. 118. quam nos veniam habuerimus & excusationem, tantum habentes otii nec ipsi continuè supplicantes, & hæc, cum tantum lucri capere debeamus? Impossibile enim, impossibile, hominem congruo precantem studio, Deoq; continuè supplicantem, vnquam peccare. Iam verò, quod animam peccatis obnoxiam, ait idem *S. Chrysostom. libr. 1. de orando Deo, deprecatio facile puram reddit, docet nos Publicanus ille, qui petiit à Deo remissionem peccatorum, & impetrauit Luc. 8. Docet & leprosus, qui simul ac procidit ad pedes Dei, sanatus est Matth. 8. Quod si Deus corpus morbo corruptum celeriter sanauit; multo magis animam, quæ morbo tenetur, humaniter sanabit. Etenim quanto pretiosior est anima corpore, tanto magis consentaneum est, hanc Deo maiori curæ futuram. Si ergo & contra peccati periculum nos munit oratio, & ab eo perpetrato liberat, neque enim frustra nos docuit Saluator precari: Dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem Matth. 6.) quo vno peccato in homines dominatur Diabolus, consequens, vt superbissimi hostis iugum precib. à nostris deiiciatur ceruicibus, quod ille fert indignissimè, & idcirco omnibus viribus & machinis impedire conatur. Theodoricus de Apoldia in vita S. Dominici lib. 3. cap. 12. Tam erat orationi intentus, vt propter tumultum vel strepitum qualemcunque nihil ab attentione reuocaretur.* Eximium illud donum, quod vtinam & nobis tribuat Deus.

Precatio & à peccato dæmones solio eripit, & ab eo conseruat.

CAP.

CAP. LXVI.

QVÆ ATTENTIO HORARIIS precibus tribuenda.

§. SVmmopere necessariam esse cùm cæteris in precibus tum potissimum in diuino officio atque Horis Canonicis attentionem & religionem luculentè declarauimus, reliquum est, vt quæ quantaque attentio adhibenda sit, exponamus. Attentio est mentis ad rem quampiam considerandam applicatio. Et quidem ad preces attenderemus, si sanctis desideriis æstuaremus, vt *Daniel, qui c. 9. v. 23. & c. 10. v. 11. & 19 vir desideriorum* appellatur ab Angelo.

Quadripartita attentio in Horis Canonicis.

§. Hæc attentio in quauis oratione & in ipso diuino officio quadruplex esse potest. 1. ad perfectam verborum prolationem. 2. ad eorundem sensum & intelligentiam. 3. ad Deum cui supplicamus, vel ad id, quod ab eo rogamus. 4. ad salutarem aliquam materiam, qua Deum prædicare, & in ejus amorem atque obsequium animos nostros accendere desideramus. Vnaquæq; ad Deo atque Ecclesiæ satisfaciendum sufficit, modo ad primam, quæ in exacta verborum pronunciatione consistit, insuper adjungatur, Deum honorandi laudandiq; propositum. Quælibet verò attentio adhuc bipartita est, altera actualis, quando quis actu semper attendit ad verba, ad sensum, ad Deum, ad primam materiam, vel quando accessit ad Horarum lectionem animo attendendi, sed postea contra voluntatem & propositum suum mente evagatur. Et hæc etiam attentio sufficit, modo adhibeat moralem diligentiam & attentionem, ita vt cum legit, non dubitet se legisse, alioquin debet repetere.

§. Rectis-

§. Rectissimè *S. Basil. oratione in S. Martyrem Iulittam* attentionem ad solam verborum pronunciationem non probari Deo affirmat. *Oratio est*, inquit, *boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur. Sanè eiusmodi petitionem neutiquam statuimus in sola verborum præcisione. Ipsi enim credimus nihil Deo opus esse verbis, quibus commonefiat nostræ petitionis, magis verò dicimus eum perspicacissimè scire, quæ nobis nec petentibus etiam profutura sunt. Quid ergo quod ipsi dicimus? Nimirum orationem non oportere nos plenè in syllabis constituere, quin potius ipsam suas vires plenius explicare explereue in animæ orantis libera electione ac proposito, simul & in actionibus, quæ per omnem vitam intento studio perficiuntur ad præscriptum virtutis, iuxta Paulum 1. Corin. 10. v. 31. Siue comeditis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

§. *S. Augustin. epistola 121. ad probam viduam de orando Deo c. 10. Neq; enim*, inquit, *vt nonnulli putant, hoc est, orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, Lucæ 16. v. 12. quod pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit Lucæ 22. v. 43. Vbi quid aliud, quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator oportunus, cum patre exauditor æternus? Absit enim ab oratione multa loquutio, non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis: Multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plærunq; hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lachrymas in conspectu suo Psalm. 55. v. 9. & gemitus noster non est absconditus ab eo Psal. 37. v. 10. qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit.*

Aliud in oratione multiloquium aliud diuturnitas.

Christus dominus longæ prolixæq; orationis exemplar.

Discrimen inter multiloquium & multam precationem.

Quid possimum in oratione spectet Deus.

§. Quamuis autem tàm *S. Basilius* quàm B. *Augustin.* de qualibet loquantur deprecatione, tamen multo magis id de solenni & publica oratione accipiendum, vt piam deprecationem comitetur attentio, qua de re

actum superiùs, hic verò & alias causas afferamus, quarum 1. sit: quod jus diuinum naturale attentionem & reuerentiam internam à precantibus exigat: siquidem cum velint cum Deo colloqui, illi sua desideria exponere, illum laudibus extollere, tantæ Majestati congruenter, vt faciant, oportet. Sicut qui inuitatum Principem hospitio accipit, illum pro dignitate sua, quantum commodè fieri potest, tractare debet, ne potius illum contemnere, quam honorare videatur. Itaque omnis voluntaria distractio in oratione siue sponte ex libera voluntate, siue ex officio & obligatione suscepta aliquod peccatum est, & si diuino Iure ad orationem obligamur sub lethali peccato erit & mortiferum, neque Ecclesiæ præcepto faciet satis, qui in recitandis & decantandis decantatisue Horis Canonicis sponte alienis se occupat cogitationib. & curis. *Loquar ad Dominum meũ nostrum cum sim puluis & cinis*, ait sanctissimus *Patriarcha Abraham Gen.* 18. v. 27. Dei pariter agnoscens majestatem & suam vilitatem. 2. caussa est seuerum Ecclesiæ præceptum, cui morem non gerere, est se in Ethnicorum classem publicanorumq; ordinem reponere Matth. 18. Ita *Innocentius III. cum Conc. generali Lateran. cap. dolentes. 9. de celebratione Missarum ad Prælatos & minores Clericos: Præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & deuotè.*

§. *Deuotè*, inquit *Glossa*, *quantum ad officium mentis*, & rectè: siquidem deuotio consistit in actu interno, & requirit animi ad res diuinas attentionem, qua sine exterior actio est potius deuotionis simulatio. Et vtique Ecclesia potest præcipere ejusmodi actus internos præsertim si necessarii sint, vt actus externi sint actus virtutis: Cæteroquin valde angustis limitibus circumscriberetur Ecclesiæ potestas, cui amplissimam donauit

Ecclesia potestas etiam ad immanentes actiones se porrigit.

donauit Dominus. *Matth.* 18. *v.* 18. *Quicquid alligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlo*, & quod absurdum est, Ecclesię præceptis v.g. annuę confessionis & communionis, delectus ciborum, ieiunii celebrandi diei festi, audiendi sacri mera simulatione & fuco fieri posset satis. Itaque cum vocum enunciatione, & Deum honorandi intentio arctè copulanda. Ad quam intentionem & attentionem maximum momentum habet consilium *S. Augustin. Conc.* 3. *in Psalm.* 30. *Si orat psalmus, orate. Et si gemit, gemite, & si gratulatur gaudete: Et si sperat, sperate. Et si timet, timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt: speculum nostrum sunt.*

CAP. LXVII.

DIVINAE EXCELLENTIAE, quam alloquimur, contemplatio attentionem conciliat.

§. QVidam fortassis tacita opponent cogitatione, attentionis in precibus necessitatem cognouimus, ejus comparandæ retinendæq; modum ac rationem audire discuperemus.

§. Animaduersionem deprecationis conciliat paritq; diuinæ Majestatis & præstantiæ, qua cum nobis sermo est, consideratio, Peroraturus coram potentissimo & sapientissimo Principe singula sua verba, ne quid offendat, librat & ponderat, siue vt ait *S. Augustinus lib.* 1. *Confess. cap.* 18. *Cum homo eloquentiæ famam querit, astans ante hominem iudicem circumstante hominum multitudine vigilantissime cauet, ne quid per linguæ errorem dicat inter homines. Quo in numero se fuisse confitetur ibidem cap.* 19. *vt plus vitauerit barbarismum quam vitia morum*, quam & miseriam suam deplorat. *lib.* 6. *Conf. c.* 6

ſuum angorem & ſollicitudinem Imperatori laudes recitaturi componens cum pauperis cura ſoluti, quem obuiam habuit jocatione & læticia.

Clariſſimis Oratoribus animus in pedes decidit ob Principis dignitatem.

§. Sanè nobiliſſimi Oratores coram magnis Principib. vel orationis initio vel medio curſu propter metum & reuerentiam obticuerunt, vt coram Philippo Macedonum Rege Demoſthenes, coram Areopagitis Theopraſtus Ereſius, coram M. Antonio Herodes Atticus, coram Seuero Imperatore Heraclitus Lycius, coram Alexandro ſummo Pontifice Bartholomæus Socinus. Quo ergo animo, quam vigilanti, quam ſollicito & circumſpecto debet eſſe homunculus coram Deo immortali totius vniuerſitatis architecto & Domino coram illis cœleſtibus ſpiritibus cauſſam oraturus?

Qua ratione Dei dignitas & hominis humilitas in precibus cogitanda.

§. Quod eleganter & prorſus piè commendat mellifluus Doctor *S. Bern. ſerm. de quatuor orandi modis. Illud breuiter*, inquit, *dico omnibus, nonnullos (vt arbitror) experiri interdum in oratione ariditatem & hebetudinem quãdam mentis, vt ſolis orantes labiis non ſatis attendant, neque quid dicant neq; cui loquantur, pro eo, quod velut ex conſuetudine quadam cum minus digna reuerentia & ſolicitudine acceſſerunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam Propheticum illud Pſalm. 41. v. 5. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei? Omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœleſtem, illam vtiq; curiam, in qua Rex regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu. Vnde & ipſe, qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit Millia, ait Dan. 7. verſ. 10. millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quãto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, à palude ſua procedens & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quã ſupplex, quam denig; humilis & ſolicitus, & totus intento animo, maieſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in concilio iuſtorum*

Precaturus animus coram Deo & cœlitib. ſiſtendus

Quib. ad precationẽ virtutibus accedendum.

rum & congregatione aſsistere poterit miſer homuncio? In cunctis igitur actionibus noſtris, multa opus eſt animi vigilantia, ſed præcipuè in oratione. Etenim ſicut in Regula noſtra (Sancti Benedicti) legimus, licet hora omni & omni loco oculi Domini ſuper nos ſpeculentur, maximè tamen in oratione. Licet enim ſemper videamur, ſed etiam nunc præſentamus & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem coram Deo loquentes

Deus precãtes attendit.

§. *Porro quamuis vbique ſit Deus, in cœlo tamen oran-dus eſt, ibique orationis tempore cogitandus, vt mens noſtra non Oratorii tecto, non aeris ſpatio, non ipſa nubium retardetur denſitate, iuxta eam formam, quæ nobis à Chriſto tradita eſt, Matth. 6. verſic. 9. Vbi ait. Pater noſter qui es in cœlo. Sic igitur oret, qui orat, tanquam aſſumptus & præſentatus ei, qui ſedet ſuper excelſum thronum in Angelis, qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos ſuſcitauit de puluere inopes, & erexit de ſtercore pauperes, ſic, inquam, ſemetipſum conſideret, & ſic attendat, tanquam præſentatum Domino maieſtatis, & dicat cum Abraham Geneſ. 18. verſic. 27. Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis. Et quia ſuo præcepto commonitus, tua inſtitutione formatus, id præſumo Domine ſons pietatis.*

Precãti Deus in cœlo cõtemplandus.

Precanti & propria abiectio conſideranda.

§. Hæc omnia S. Bernardus, qui vult, vt in cœleſtem regiam animo penetremus, & ibi præpotenti Deo ſupplices facti, coram & cum Angelis illum adoremus, & quaſi præſentem intueamur, vt *Michæas 3. Regum 22. verſic. 19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſsiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. Vt Iſaias cap. 16. verſic. 1. 2. 3. Daniel. cap. 7. verſ. 9. 10.* Iterum *verſ. 12. 13. 2.* monet accuratè perpendamus, quod Deus quidem ad omnia noſtra inſtituta aduigilet, juxta illud *Prouerb. 5. v. 22. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat.* Animum tamen diligentius aduertere ad preces noſtras. *Non eſt alienatio tam grandis, ait Moyſes Deut. 4. verſ. 7.*

Oranti Deus præſens cogitandus.

Deus ad preces noſtras attendit.

quæ habeat Deos appropinquatos sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris: 2. Paralip. 7. vers. 15. Oculi mei erunt operti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Precaturi enim nos vltro diuino conspectui exhibemus & sistimus, & ejus in nos oculos prouocamus. Tertio hortatur vt cum Abrahamo deprecantes diuinam Majestatem summa reuerentia, submissione ac pietate suspiciamus, adoremus, obseruemus. Hunc autem solennem Sanctis fuisse morem, vt in precibus infinitam Dei celsitudinem considerarent, & obstupescerent, & sic animum attentum continerent, sacra testantur monumenta. 2. *Paralipp. 14. vers. 11. Domine*, ait *Asa, non est apud te vlla distantia, vtr um in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster. Psalm. 5. versic. 2. Intende voci orationis meæ Rex meus & Deus meus. Baruch. 3. vers. 1. Et nunc Domine omnipotens, Deus Israhel, anima in angustiis, & spiritus auxius clamat ad te, audi Domine & miserere. Iudith. 13. versic. 9. Confirma me Domine Deus in hac hora. Et cap. 16. versic. 3. 4. Hesthera 13, vers. 9. 10. Matth. 8. v. 2. 3. Domine, si vis, potes me mundare*, tantus Dominus es, vt sola voluntate omnia possis. *Et Saluator noster Matth. 11. v. 28. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, &c.* Eandem Dei immensam excellentiam animo intuentes Sancti mente pariter & corpore se coram illa prostrauere. Notissimum est, quod Christus Deus noster etiam in faciem prociderit. *Matth. 26. v. 39.* S. Iacobus Iustus ex crebra & diuturna flectione, genua habuit callosa & dura instar cameli vt testis est, in *Catalog. Scriptorum Ecclesiasticorum S. E. Hieronymus & Eusebius lib. 2. hist. c. 23.* Eadem de causa & B. Tharsilla S. Gregorii Magni amita, & genibus & cubitis callum obduxerat, vt ipsemet memorat 4. *Dialog. cap. 16. & homil. 38. in Euangel.*

Iusti in deprecatione diuinam obtantis oculis proponit maiestatem.

Sancti cœtã diuina Maiestate se abiciunt.

§. *S. Bas.*

§. *S. Basilius in regulis breuius disputatis*, ponit quæstionem: *Quomodo quis assequi possit, ne inter orandum mente euagetur. Respondet regula* 21. *Si credat Deum adesse, qui scrutatur corda & renes*, Psalm. 7. v. 16. Quod simili quodam illustrat *regula* 201. *Si enim*, ait *principem aliquis, aut præsidem intuens, & cum eo loquens oculos ab eo dimouere non solet, qui non tantum credibilius est, intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat in eum, qui scrutatur corda & renes, & illud facturum, quod scriptum est* 1. Timoth. 2. *versic.* 8. *Leuantes puras manus sine ira & disceptatione? Et non à precibus aberraturum, qui excellentem electi viri Dauid mentem induerit, qui de seipso loquens, ait, nunc quidem prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commouear*, Psalm. 15. *versicul.* 8. *Nunc verò oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos* Psalm. 24. *versic.* 15. *Aliàs autem: Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad* DOMINVM DEVM *nostrum*, Psalm. 122. *ver.* 2. *Si coram aliis etiam æqualibus, quisque omni in re vitare reprehensionem studet, in statu, in ambulatione, in motu cuiusque membri, multo magis, qui persuasum habet, se* DEVM *habere inspectorem, & veram esse promissionem illam Vnigeniti Filii Dei*, Matth. 18. *versic.* 20. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum: itemque Spiritum sanctum adesse moderatorem & donorum distributorem effectoremque: similiter Angelos custodes vniuscuiusque, attendet & maiori cum contentione laborabit vt pietatem ita colat, vt ne qua in re* DEI *voluntatem offendat. Atque hoc modo mens ipsa in officio vehementius ac diligentius confirmatur: Amplius si illud etiam implere studuerit: Benedicam* DOMINVM *in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psalm. 33. *versicul.* 1. Et item illud. *Meditabitur in lege* DOMINI *die ac nocte, quo videlicet mens in æquabili per-*

Considerata præpotentis Dei præsentia mentis euagationem cohibet.

S. Dauidis in precibus vigilantia.

Simile aliud pro precum diligentia.

Mens assiduè is in Deo cogitationibus infixa haud facilè à precib. ad alia aberrat. Ps 1 v 2.

enniq3 meditatione contemplationeq3 voluntatum Dei occupata, nequaquam ſpacium inueniat, quo ad futiles cogitationes poſſit aberrare. Hactenus S. Baſilius.

CAP. LXVIII.

QVO NOS MODO DEVM PRÆſentem effingere poſſimus.

§. MVltis autem modis Deum nobis præſentem cogitare poſſumus, vel vt conſeruatorem pereuntibus, aut reis & ſupplicio digniſſimis, vt æquiſſimum judicem, ſiue tanquam reſipiſcentibus filiis clementiſſimum patrem, ſeu velut perfidioſis ſeruis iratum Dominum, tanquam benigniſſimum Regem morigeris ſubditis, velut indigentibus copioſiſſimum & liberaliſſimum Principem, & id genus alia. Poſſumus & pro temporis conditione & noſtra pietate Chriſtum præſentem nobis exhibere in Nazaracheno conclaui, in Bethlehemitico ſtabulo, in templo, in ſolitudine, in monte, in ſynagoga in menſa, in horto, in cruce, in ſepulchro, in cœlo.

§. Iuuat & plurimum vt coram DEO induamus perſonam Dauidis Manaſſæ, filii prodigi, publicani, peccatricis Lucæ 7. adulteræ Iohan. 8. infirmi, captiui, egentiſſimi, mortis rei & ſimilium.

CAP. LXIX.

DIVINÆ PRÆSTANTIÆ COGITATIO fons amoris, amor scaturigo deuotionis & attentionis.

§. EX hac diuinæ præcellentię contemplatione nascitur amor Dei, præcipua deuotionis & attentionis causa, vt docet *S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3.* Amans pecuniæ, honoris, voluptatis, vxoris, liberorum, cognatorum, sodalium, semper de ijs cogitat absentibus, attendit & gaudet præsentibus.

§. Hic Dei amor Sanctos precantes sæpe ab ipsis sensibus propter vehementem attentionem in Deum abripuit, vt eorum animus esset potius, vbi amaret, quam vbi animaret. *Diuinus amor*, inquit, *S. Dionysius libr. de diu. nominib. c. 4. extasin facit.* Et quidem vt docet *S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 3.* extasis ejusmodi duplex est, altera in vi cognoscente, ad quam amor disponit, siquidem impellit amantem, vt meditetur de amato, vehemens autem cogitatio vnius abstrahit ab aliis, altera verò extasis est in vi appetente, quam proximè efficit amor, dum amans extra se in amico versatur, illi bonum cupiens, procurans, illum assidua prouisione & diligentia complectens. *Quid, & quotuplex extasis, quã Dei efficit amor.*

CAPVT LXX.

EXEMPLA PIÆ DE DEO COgitationis & incensæ precationis.

§. BEatus Ægidius *S. Francisci* sectator & comes, vt est *tomo. 7. apud Surium in eius vita*, tanta consi-

deratione, tanto affectu & ardore beneficia Dei meditabatur, vt non possit sine extasi de his cogitare, fratribusque, qui cum eo loqui cupiebant, diligenter cauendum ne Dei, vel Sanctissimæ Trinitatis nomen, proferrent: quia mox animus sejungebatur à sensibus. Hoc amore Sancti igneſcunt, & ignitas preces, velut ex ardente camino scintillas, è pectore ad Deum emittunt. Moyses ex consortio sermonis Dei tantum ardorem splendoremq; animo conceperat, vt etiam ex ipsa fronte cornuum more emicaret, *Exod.* 34.

Ignita Saluatoris precatio.

§. De Saluatore nostro ait *S. Lucas cap.* 9. 29. *Facta est dum oraret, species vultus altera, & vestitus eius albus & refulgens. S. Matth. cap.* 17. *v.* 2. habet: *Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Vt est *in libro de exemplis & documentis vitæ spiritalis num.* 3. *S. Macarius somnum simulans, vidit quasi diurnam lucẽ penetrare cellam, in qua duo Anachoritæ noctu precabantur expansis manibus, & vnum tanquam muscæ circumuolitabant dæmones, & ab Angelo abigebantur, & ad alterum appropinquare non audebant, cumque mane vnà Psalmos concinerent, vidit idem sanctus Macarius, quod minori per vnumquenque versum exibat facula ignis de ore ipsius, & in cœlum ascendebat. Et cum maior psallens aperiret os, tanquam funiculus ignis de ore ipsius egrediebatur, & in cœlum vsque pertingebat.*

Ardens solitariorum oratio.

Incensa & Incendens S. Elisabethæ deprecatio.

§. Adjungam hic exemplum mirabile quidem, sed & credibile. *Quidam dissolutioris vitæ adolescens orauit Sanctam Elisabetham Hungaricam Landgrauii vxorem, suis vt precibus illi vitæ emendationem impetraret. Cui illa. Te, inquit, pariter mecum orare conuenit, atque ita separatis locis deprecationi initium datum. At mox adolescens exclamare cœpit Cessa Domina cessa ab oratione, nam precum tuarum ardore ita inflammor, vt sustinere nequeam. Verum illa vt exedentem eius animam peccatorum rubiginem penitus detergeret in precibus perseueuerauit. Tunc adolescens vehementiũ*

mentiùs incensus altißima voce clamauit: Desiste quæso, desine: nam feruor orationis tuæ viscera mea depascitur. Sustentatus deinde ab aliis, ne animo deficeret, orationem intermittente S. Elisabetha, & calor paulatim se remisit, mutatusque in melius in S. Francisci ordine laudatißimam vitam optima morte terminauit. Ita apud *Surium tom. 6. in vita S. Elizabethæ* Quam accensus in precibus amor, qui tantoperè & alium inflammauit?

§. Magnum etiam ad attentionem momentum habet nostræ indignitatis, vilitatis, indigentiæ, socordiæ, malitiæ cogitatio, qui cum infinito, optimo, liberalissimo, nostri amantissimo Deo sermonem instituimus. Exemplum etiam aliorum, qui summo ardore, animi præsentia, submissione, pietate Deum vel inuocarũt vel dilaudauerunt. *Isa. 6. v. 1. 2. 3. 4. Apoc. 7. 11.* Qua de re jam satis dictum, facto opus.

CAP. LXX.

DE REVERENTIA IN PRECIBVS erga Deum.

§. DIximus superius ex Magno Concilio Lateranensi ad Canonicas Horas ritè persoluendas requiri deuotionem, cujus altera pars est attentio, de qua hactenus egimus, altera reuerentia de qua modo tractandum. Est autem reuerentia honor exhibitus in testimonium virtutis. Et est actus timoris, & vt Deo debetur, actus latriæ. Est verò duplex reuerentia; interna videlicet, quo Dei majestatem nostramque indignitatem suspicientes, illi nos totos profundissimè submittimus, & externa, qua internam reuerentiam inclinando caput, genua, corpus, supplices attollendo manus, tundendo pectus, procum-

Quid reuerentia & quod erga Deum actus latriæ.

Bipartita reuerentia.

procumbendo, terram exoſculando, & id genus aliis teſtatum facimus. Hanc reuerentiam ſuis Chriſtus Dominus precibus adhibuit, & exauditus eſt, pro ſua reuerentia Hebr. 5. v. 7. non modo quæ illi debebatur, vt filio Dei, ſed etiam, quam ille Deo exhibebat, vt filius hominis.

Laudat Sacerdotes Deus ſui Numinis reuerentes.

§. Quam reuerentiam in quibuſdam veteribus ſacerdotibus commendat Deus *Malachiæ 2. ver. 5. Pactum meum fuit cum Leui, dicit Dominus exercituum: Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.* Et ſemper opus eſt eximia & ſingulari aduerſus diuinam Majeſtatem reuerentia, ſed potiſſimum in precibus: Nam qui cum Deo colloquitur aliquid ab eo depoſcit, illum laudat decenter: itaq; id tantoq; Numini conuenienter faciat, oportet, ne non Deum honorare, ſed contemnere & irridere videatur.

Deum ſingulari timore & animaduerſione rogandus.

Si regiã maieſtatem reueremur cur non magis diuinam.

§. De qua reuerentia à ſimili rectè philoſophatur S. Baſil. cap. 2. de inſtit. monaſt. *Si quis*, inquit, *coram aliquo Principe ſtat, & ipſum alloquitur, magno cum metu ſtat, & cum corporis extrinſecus, tum mentis etiam intrinſecùs attentos oculos tenet periculi metu: quanto tandem maiore metu trepidationeq; cenſendum eſt oportere vos ſtare in conſpectu Dei, tota mente in illum vnum intenta, neq; uſq; alio? cum ipſe non hominis partem illam modo, quæ foris apparet, vt homines faciunt, ſed etiam illam quæ intus occulta oculorum aſpectum fallit, clariſsimè peruideat? Si igitur ſic, quemadmodum decet, ſteteris coram Deo, & quæ in te ſunt, omnia pro viribus præſtiteris, perſta donec omnino tandem impetres quod petis. Sin conſcientia tua te condemnet, tanquã qui negligentius rem tractes, & ſi in oratione aliud agens, animo minùs attento ſtes, cum poſſis omnem abs te repellere diſtractionem, ne præſidentior auſis conſiſtere coram Deo, ne fiat tibi oratio tua in peccatum Pſalm. 16. verſ. 4. Si vero quod à peccato debilior factus, hoc à te ipſo impetrare non potes, quin interim dum oras, animo ac mente*

Potius intermittenda oratio quam cum voluntaria diſtractione peragenda.

diſtrahere,

distrahere, enitere contra quantum potes, & ipse tibimetipsi vim affer, & coram Deo stare perseuera, mentemq; tuam in illum defixam tene, ipsamq; ad seipsam aduoca. Si ita feceris, ignoscet tibi Deus: quoniam non ex contemptione, sed ex infirmitate, eo modo, quo conueniret, coram Deo stare non vales. Hoc modo, si tibimetipsi vim feceris, teq; ad omne opus bonum paraueris, ne desiteris prius, quam illud impetres, quod rogas. Sed patienter fores eius pulsa, dum potes: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur Luc. 11. Quid enim est aliud, quod velis impetrare, nisi salutem tantummodò, quæ est secundum Deum? Ista S. Basil.

§. De hac eadem reuerentia B. *Ioannes Climachus gradu 7. Sta in orationis prece tremens, nec aliter quam reus iudici assistens, vt & in interiore & exteriori habitu fauorẽ iusti iudicis concilies. Quia non poterit se continere, quin consoletur animam quæ stat coram eo sicut vidua dolens.*

Vt sollicitè & reuerenter reus iudici assistit, ita nos Deo.

§. *S. Ioannes Chrys. libr. 1. de orando Deo. Ipsi nos Angeli docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes, cæterum exemplum nobis præbentes, vnde sciamus ac discamus, qp quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoq; rursum cum tremore, id facere oporteat. Tremore quidem dum metuimus, ne videamur indigni qui Deum precibus alloquamur. Rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus tanta ac tali sua cura dignatus sit, vt assiduè diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud assequimur, vt & mortales & temporarii esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio conuictuq; quem agimus cum Deo ad immortalem vitam transeuntes.*

Summa angelorum erga Deum reuerentia.

§. Ad istam erga ad Deũ reuerentiam cohortatur nos Apostolus *Hebr. 12. v. 28. 29. Itaq;*, ait, *regnum immobile suscipientes habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster ignis consumens est.* Hoc est legem Euangelicam, qua Christus regnat in nobis, nosque reges facit hic per gratiam & in futuro per gloriam, qua cœleste Dei regnum possidebi-

fidebimus suscipientes, & retinentes, habemus grâtiam, qua jugiter Deo cum pudore & metu serviamus, & bene multumq; placeamus. Pudentes & verecundos filios amat pater similiter & Deus, quo coram nos pudere debet, q̃ tam frigidè & negligenter infinitæ illius majestati seruiamus & obsequamur. 2. q̃ peccatum rem probrosissimam committimus. 3. quod non magis formidemus à Christo confundi in iudicio: cum tamen Deus noster ignis punit, vrit, consumit eos, qui carent hoc suo metu & reuerentia. *Psalm. 43. v. 16. Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. Baruch. 1. versicul. 15. Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ. Peccauimus ante Dominum Deum nostrum &c. v. 17. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei.*

De Cantu Ecclesiastico.

CAP. LXXI.

HÆRETICI CANTVM DAMNANT & vsurpant.

§. QVemadmodum in suo *de Divinatione libello* rectissimè scribit Latinus Orator Cicero: *Nescio quomodo nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Sic & nos affirmare possumus nullum esse tàm fœdum in Christiana fide errorem, qué non aliquis hæreticorum propugnauerit, sed non mirum: excœcauit enim illos malitia eorum, vt nec meridianam veritatis lucem intueantur. Ecclesiasticum Cantum non solum antiquitus, & longus vsus, pluma etiam commoda probarunt, sed etiam sacra Concilia, S. Patres, & vtriusque tàm veteris quàm noui instrumenti paginæ valdè commẽdarunt, & tamen non defuere Sectarii, qui illum improbarunt, & Ecclesiam eliminare & proscribere laborarunt. *S. Augustin. libr. 2 Retract.*

Qui cantũ reprehenderunt.

Retract. cap. 11. *Hilarius quidam vir tribunitius laicus Catholicus*, inquit, *nescio vnde aduersus Dei ministros, vt fieri assolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, vbicunque poterat, lacerabat: asserens fieri non oportere. Huic respondi iubentibus fratribus, & vocatur liber ipse. Contra Hilarium.* Sed hoc præclarum S. Augustini monumentum, vt & aliæ ejus lucubrationes, magno Ecclesiæ dispendio interiit.

§. In eundem errorem abrepti fuere Henricus & Petrus Bruis, & horum æmulatores Henriciani & Petrobrusiani Nouatores, quos *cap. vltimo suæ ad omnes Episcopos datæ epistolæ* confutat *V. Petrus Abbas Cluniacensis.* Ioannes Wicleff vt errorem errore cumularet, non modo cantum, sed etiam vocem paulo elatiorem in precibus reprehendebat, & Clericos in templis canentes cum Sacerdotibus Baal comparabat. Hunc refellit *Thomas Waldensis tom. 3. libr. 2. Magdeburgici Centuriatores cent. 9. cap. 6. col. 279.* cantum improbant, & idcirco Sacerdotes Catholicos Baaliticos appellant, qua in re Lutheriani & Caluiniani suos Patriarchas Arrianos imitantur, qui Catholicorum cantum damnabant, vt testis est *S. Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis*, cum ipsi canendis hymnis operam darent, vt narrat *Socrates lib. 6. hist. cap.* 8. & ipsi nostri Nouatores in suis conciliabulis magno Psalmorum sonitu & fragore aures compleant.

Hi aliud dicunt aliud faciunt de quo & lupus conqueritur.

CAP.

CAP. LXXII.

PLVMBEA SECTARIORVM TE-la veritatis igne liquescunt.

§. ET vt nulla hæresis est, quæ Scripturæ perperam intellectæ velum sibi non obtendat, ita & illi tum inde tum aliunde infucata argumenta deprompserunt, quæ omnia vnica distinctiuncula instar fumi vel nebulæ dissoluuntur: nam vel iis in publica oratione damnatur cantus vanitas, vel in priuata oratione vociferatio. Sed ne nobiscum expostulent, quod inaudita caussa condemnati sint, illos audiamus.

Cur Baalitas sacrificulos Helias deriserit.

§. *Helias Propheta* non sine jussione Sacerdotibus Baal dixit 3. *Reg.* 18. *v.* 27. *Clamate voce maiori, Deus n. est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Hoc argumentum falsò nititur fundamento: neq; enim illos derisit Helias quod vociferati sint, neque Scriptura eos clamasse dicit id temporis, sed inuocasse nomen Baal de mane vsq; ad meridiem, post autem Heliæ derisionem voce magna clamauerunt. Risit ergo illos quod manifeste falsumque Deum, qui exaudire non poterat, inuocarent, Deum, inquam, lapideum, opus manuum suarum, qui neque oculos, neque aures, neque manus, vel pedes haberent.

Pius clamor in cantu laudabilis ac Deo gratus. Exempla & voce & mente ad Deum clamantium.

§. Nam tantum abest vt clamor in diuinis laudib. sine precibus, modò ad Dei gloriam fiat, vituperetur, vt etiam valde laudetur. Num vitio vertendum Iudæorum principi, de quo *Num.* 12. *v.* 13. *clamauit Moyses ad Dominum dicens: Deus obsecro sana eam?* Num culpæ dandum populo Samuelem compellanti 1. *Reg.* 7. *v.* 8. *Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum?* aut ille deliquit de quo

quo ibidem *v.* 9. *Et clamauit Samuel ad Dominum, & exauduit eum Dominus?* An criminosus *Dauid*, qui toties in Psalmis iterat, *Voce mea ad Dominum clamaui? qui & ait Psalm.* 21. *v.* 6. *Ad te clamauerunt Patres nostri & salui facti sunt.* Culpanda ne *mulier Chananæa*, quæ clamauit dicens: *Miserere mei fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur*, pro qua & discipuli rogabant dicentes. *Dimitte eam, quia clamat post nos? Matth.* 15. *ver.* 22. 23. An in crimen vocandi sunt duo illi cæci *Mat.* 20. *v.* 30. & 31. qui clamauerunt, *Domine miserere nostri fili Dauid*, & cum illos turba increparet, vt tacerent *multò magis clamabant dicentes, Domine miserere nostri fili Dauid?* nec irritus clamor: nam misertus eorum Iesus tetigit oculos eorum & confestim viderunt & secuti sunt eum.

§. Num & hac calumnia malitiaque suum impetent Saluatorem obtrectatores illi, qui ingenti clamore & sacratissimam suam passionem inchoauit & concluſit. Incepit clamore cruciatus pro nobis suos, vt testatur *S. Paulus Heb.* 5. *vers.* 7. *Qui in diebus carnis suæ* Christus *in* (passibilis & mortalis) *preces supplicationesq;* (in genua & *precibus* faciem prouolutus patrique supplex factus) *ad illum, clamauit. qui saluum eum posit facere à morte* (*rogabat enim, vt si fieri posit tranferretur ab eo calix*) *cum clamore valido & lachrymis offerens* (nam ob horrenda tormenta impendentia *cœpit contristari & mœstus esse. Marci* 14. *& cœpit pauere & tædere, & ait, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Matth.* 26. *& in agone prolixius oranti factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram, Luc.* 22. *v.* 44. In tanto igitur angore constitutus, præ immenso dolore valde clamauit ad Deum, neque tantum fudit lachrymas, sed ex toto etiam corpore sanguinem) *Et exauditus est pro sua reuerentia*, quam & ipse habebat erga patrem & pater erga illum. *S. Chrysost. hom.* 8. *in epist. ad Heb. Tanta*, inquit, *erat eius reuerentia, vt etiam propterea eum reueretur Deus. Exauditus autem est: quia sibi aliisq; beatam im-*

mortalitatem meruit & obtinuit Psalm.20.v.5. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi. Igitur in horto clamore valido, siue vt habet translatio Syriaca, cum mugitu valido passioni suę initiũ dedit, & eodem similiter ei finem imposuit *Matth.27.ver. 46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli Eli lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Luc.23.v.46. Et clamans Iesus voce magna ait. Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens exspirauit. Et S.Stephanus* in mortis articulo *positis genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum Act.7.v.60.*

Cœlestes spiritus in Dei laudib. clamorem edunt.

§. Annon & hujus pii clamoris exemplo & documento nobis sunt cœlites? *Isa.6.ver.3. Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituũ, plena est ōnis terra gloria eius. Et cōmota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, &c. Apoc.7.v.10. Sancti clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Eant ergo calumniatores hæretici cum suo Baalitico clamore. Et nos hortante *Iuda Machabæo 1. lib.c.4.v.10. clamemus in cœlum & miserebitur nostri Dominus Si vox est, canta, si mens pia Numen adora. Et quacunq; potes dote placere, place.* Igitur vocis in cantu contentio, qua quis Deum etiam viribus vniuersis corporis laudare, alios ad Deum prædicandum amandumque excitare, prouocare, & inflammare nititur, laudabilis est ac Deo pergrata. *Theodorus de Apoldia in vita S.Dominici libr.3.c.12. Post completorium in Ecclesia permansit orans usq; ad nocturnas preces, quas & cum fratribus persoluens cantabat alacriter, & alta voce solebat etiam per vtramq; transire chori partem, voce iubilante monens & inuitans fratres, vt psalmodiam altè & distinctè deprome-rent.*

CAP.

CAP. LXXIII.

PROVIDENDVM NE MENTIS vitio cantus daprauetur.

§. EST tamen hic cautio adhibenda ne bonum opus vitio aut culpa deprauetur: ne quis voce ad ostentationem, ad lasciuiam, ad alios pertrahendos abutatur. *Canonicus quidam regularis, vt est in vita S. Lyduinæ virg. lib. 3. c. 1. apud Surium* 14. *Apr. vir cæteroquin pius, sed qui voce clara & canora cantans, vanæ gloriæ tentatione agebatur, feruenti spiritu dixit ad virginem S. Lyduinam: Quæso instanter ora Dominum, vt auferat à me, quod plus ei displicet in me, & saluti meæ præcipuè impedimento est. Precatur illa & canora illa vox rauceſit, consultiq; Medici varii nullum raucitati diuinitùs infligtæ remedium repererunt.* Monachus quidam Cistercienſis, vt est in illustrium istius ordinis virorum historia nobilissimæ vocis dono exultans, & non Dei, sed suam gloriam captans, cum admirabili vocis inflexione cantasset apparuit teter & fuscus specie pueri dæmunculus, & manibus plaudens & miro modo cachinnans exclamauit: *O o bene cantavit, optimè cantatum est.* Gaudio triumphabat dæmon, non solum q; ille cantando oleum operamq; perdidisset, alios offendisset, tartareis spiritibus gratum officium præstitisset, sed & Deum, cui omnis displicet superbia, irritasset. Neq; ejusmodi cantum reponit Deus in thesauro suo, vt remuneret, sed diabolus in peram suam, vt supplicium exigat. *Cæsarius Heisterbachius libr. 4. Miraculorum c. 9.* narrat *quod cum in quadam Ecclesia Clerici, contenta voce & magno clamore, sine pietate cantarent, Religiosus quidam, qui intererat, videt in altiori loco stantem Diabolum, & dextera eorum voces captantem, & in saccum quem sinistra tenebat mittentem.*

Vox superbiæ ministra diuinitùs impeditur.

Diabolus in vocis vanitate exultat.

Vox superba, Diaboli præda.

Pius affectus in cantu necessarius.

§. *S. Augusti. lib.* 10. *Conf. c.* 33. plus delectari cantu, quam re quæ cantu auribus mentiq; ingeritur, supplicio dignum judicauit esse peccatum: *Cum* inquit, *mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Addamus & nos, vel non cantare. *Et S. Hier. epist. 4. ad Rusticum. c. 7. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo: Psallam spiritu, psallam & mente. Et Concil. Aquisgranense cap.* 132. *& cap.* 133. *Tales*, inquit, *ad cantandum & psallendum in Ecclesiis constituantur, quorum mens cum voce concordet, vt impleatur illud* 1. *Corinth.* 14. *Psallam spiritu, psallam & mente. Tales item eligantur, qui non superbè, sed humiliter & sapienter debitas Domino laudes persoluant, & suauitate lectionis & melodiæ & doctos demulceant & minus doctos erudiant, potiusq; exoptent in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem.* Sed & *Synodus Mediolanens. sub S. Carolo Borromæo, Anno* 1565. *cap. de Musica & cantoribus; cantus & soni graues sint, pii, ac distincti, & domui Dei, ac diuinis laudibus accommodati, vt simul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur. Concilium Tridentin. sess.* 22. *in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ. Ordinarii locorum Episcopi ab Ecclesiis musicas eas, vbi siue organo siue cantu lasciuum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana, atq; adeo prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant: vt domus Dei, verè domus orationis esse videatur ac dici possit.* Idem de impudicis & variis cantionibus cauit *Moguntiacum Conc. sub Carolo Magno.*

Non cantus suauitas, sed animi pietas requirenda.

Quales deligendi cantores.

S. Ambr. l. 1. eff. c 18. *sensim docet esse canendum.*

Qualia cantica vsurpanda.

Tragicus cantus ab Ecclesia arcendus.

§. Neque stentoreus & inconditus quorundam boatus potius, quam cantus, probandus, qui more Theatrico siue tragœdorum more in Ecclesia vociferantur: vt tantum non ilia rumpant, contra quos agit *S. Hieronymus in cap.* 5. *ad Ephes. v.* 19. *cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, & habetur causa.* 2. *cantantes*

dist.

dist. 92. Audiant, inquit, *hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum, guttur & fauces dulci medicamine collimendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica: sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamuis sit aliquis, vt solent illi appellare, κακοτέχνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur. vt spiritus qui erat in Saule 1. Reg. 16. v. 23. ab eis eiiciatur, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de domo Dei scenam fecere populorum.* Cum a. hic ait *S. Hieron. Deo non voce sed corde cantandum* non intelligit solo corde, sed non sola voce cantandum, vt ex ipsius verbis perspicuum est. *Qui psallendi officium in Ecclesia habent, &c. Et canere & psallere &c. Et sic cantet seruus Christus, &c.* Videatur *S. Thom. 2. 2. quæst. 91. artic. 2. ad 2. Thomas Cantipratenus Proepiscopus Cameracen. libr. 2. Exemp. & Memorabilium sui temporis c. 4. §. 10.* posteritati prodidit, *quod cum solennem diem in Ecclesia partim communi, partim musico cantu celebrarent, super quendam in angulo consistentem & lugubri voce cantantem vox cœlestis omnibus audientibus, & stupentibus insonuerit: Non est exauditus, nisi raucus.* Consule *S. Augustin. libr. 10. Confess. cap. 33.* Triplex canendi usus in Ecclesia fuit, nam *vt ait S. August. lib. 10. Confess. c. 33. S. Athanasius in Ecclesia Alex. tam modico flexu, fecit sonare lectorem Psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* In oriente verò idem vt testatur *S. August. l. 9. Conf. cap. 7.* (vnde & Mediolanensis Ecclesia sub Ambrosio, accepit) suauiori vocum concentu, qui audientium animos quantumlibet tristes mulcere posset, cantare consueuit. Ecclesia Romana mediam tenens viam cum suauitate grauitatem conjunxit, quam & Gallicana Ecclesia æmulata est.

Raucus voce & sonorus virtute laudabilis cantor.

CAP. LXXIV.

A S. PATRIBVS MVTVATA argumenta soluuntur.

§. OBjiciunt aduersarii & alia argumenta ex diuinis & S. Patrum monumentis deprõpta, quæ cum modestiam & taciturnitatem in priuata oratione cõmẽdent, nihil cantui, vel publicæ precationi officiunt. Proponenda tamen sunt: quia vtilissimam doctrinam continent. *S. Cypri. tract. in orationem Dominicam.* *Quando in vnum*, ait, *cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus. Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem modestè commendandam Deo, tumultuosa loquacitate iactare: Quia Deus non vocis sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt probante Domino & dicente. Quid cogitatis nequam in cordibus vestris. Matth. 9. v. 4. & alio loco Apoc. 2. v. 23. Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator cordis & renis. Quod Anna in primo Regnorum libro c. 1. v. 13.* Ecclesiæ *typum portans, custodit & seruat, quæ Dominum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè, intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide, loquebatur non voce sed corde: quia sic Deum sciebat audire, & impetrauit efficaciter, quod petiit: quia fideliter postulauit. Declarat Scriptura diuina quæ dicit: Loquebatur in corde suo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Deus. Item legimus in Psalmis, Dicite in cordibus vestris, & in stratis vestris, & transpungimini Psalm. 4. Per Hieremiam quoq; in epistola Baruch 6. vers. 5. hæc eadem Spiritus sanctus suggerit & docet, dicens: In sensu autem tibi debet adorari Deus.* Insignis hic locus est de conuentu plebis cum sacerdote ad sacrificia. Non ve-

Modestia sub Missæ sacrificio seruanda.

Nostra comprecantes oratio nõ perturbet.

Cogitationũ inspector Deus.

Tacita sed efficax sanctæ Annæ precatio.

rò prohibet cantum, sed inconditas voces, qualibus hodie aduersarii sua sacra faciũt, plebe vniuersa, nullo ordine omnia decantante. Neque enim nescius fuit S. Cyprianus cantum ab Apostolo commendari *Eph.5. v.* 19, *& Coll.3. v.* 11. Ex *Tertull. l. de oratione* ista mutuatus est B. Cyprianus, qui Tertull. loquitur de precibus, quas apud se faciebant fideles in conuentibus, vt patet ex his verbis: *Quid amplius referent isthic, qui clarius adorant, nisi quod proximis obstrepunt: Imo prodendo petitiones suas, quid minùs faciunt, quam si in publico orent?*

Proximus Deum deprecans stre-pitu nostro non perturbandus.

§. Conantur & aliquod ex S. Chrysostomo subsidium emendicare. *Is hom.* 19. *operis perfecti in Matth. c. 6. v. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddit tibi. Non igitur*, inquit, *gestibus corporis, neq; clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus, non cum sonitu oris ac strepitu, non ad tam importunam ostentationem nostri, & iactantiam proximos nobis clamore appellemus, sed cum omni modestia & contritione mentis lachrymisq; secretis.* Et homil. 13. *operis imperfecti. Possumus*, ait, *& intelligere ostium domus, os corporis, vt non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tanto. Nam ex clamosa oratione multa mala nascuntur, maximè hæc tria. Primum, qui clamose orat, non credit Deum vbiq; esse, & absconsa audire. Secundum autem malum q; mysteria secretarum petitionum tuarum, quas forte non oportebat alterum scire præter te & Deum, in auribus bonorum & malorum hominum audienda committis. Tertium verò malum clamose orans, iuxta te alterum non permittis orare. Vocibus enim his rapis sensum illius ad sermones tuos.* De cujusque hominis siue domi siue in templo precantis munere, sermo est S. Chrysostom. vt illa precatio magna animi vocisque submissione peragatur. Vnde *& eadem hom. operis perfecti. Qui ad supplicandum*, inquit, *paratur, omnibus relictis illum intuetur vnum, qui habet donandi, quod petitur,*

Pauperias ingeniosa.

Pia intentio in oratione.

Precatio cũ animi dolore & lachrymatione.

Deo supplex, ad illum vnum attendat.

potestatem. Si verò istum relinquens per diuersa errabundus vageris, & vbiq; oculos mentemq; circumferas, post longissimas preces, vacuis profecto manibus abscedes, hoc quippe ipse voluisti. Et iterum. *Quid ergo? In Ecclesia, inquis, non oportet orare? Et valde quidem, sed cum hac vtique, qua diximus, voluntate. Vtiq; enim Deus, quo aliquid facias spectat intuitu, alioquin etiam si cubiculum ipsum fueris ingressus, idq; cum ostentatione tui, vt scilicet intelligaris secretè oraturus occluseris, nihil tibi ad cælandam orationem ostia præstiterunt. Nam quum vbiq; oportunum sit ab inani gloria liberum habere pectus ac vacuum, tamen in oratione præcipuè. Qui enim absq; hoc etiam vitio frequenter erramus, & auocati per diuersa distrahimur, si cum hac quoq; ægritudine ingrediamur ad orandum, ne ipsi quidem preces nostras audire poterimus. Si verò eas non audimus, qui petimus, quemadmodum vt à Deo audiantur rogamus?*

Deus scrutatur corda & renes.

Quomodo intelligendum Saluatoris dictũ Matt. 6. v. 6. Tu cũ oraueris intra in cubiculum.

§. Illud idem Saluatoris dictum, Intra in cubiculum tuum & claude ostium *homil.* 13. *oper. imperfect.* sic exponit *S. Chrysostom. Iubet Christus*, ait, *vt anima interiorem ingrediatur intellectum, quando orat vt nihil cogitet, nisi de quo orat & quomodo orat, & claudat ostium sensus sui carnalis, vt omnes cogitationes carnales, & solicitudines foras excludat. Si autem orans de rebus carnalibus cogitaueris, non introisti in interiorem intellectum, nec clausisti ostium sensus, & ideò tacitè cum cogitationibus superfluis anima loquens orationis perdit tempus.*

Responsio ad obiecta.

§. Illa autem tria incommoda ab auctore operis imperfecti proposita in priuata cujusque oratione aliquem habere locum possunt, non in publico & officio diuino & cantu, nam non ideò laudes Dei precesue decantant, quia non credunt Deum in quouis loco proximè adesse, vel abscondita non audire, sed quia volunt Deum non mente tantum, sed orè & corpore laudare, & alios ad ejus laudes & amorem excitare. 2. qui publicè canunt publicas pro Ecclesia preces offerunt

ferunt, & quæ ab omnibus cum fructu audiri poſſint. 3. Si cantu priuati hominis pietas impeditur, tolerabile eſt: quia illud tempus non priuatis, ſed publicis precibus dicatum eſt, verum & aliorum pietas exacuitur, quod de ſe confitetur *S. Auguſt. lib. 9. Conf. c. 6.* Nec *ſatiabar*, inquit, *illis diebus* (à Baptiſmo ſcilicet) *dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ & benè mihi erat cum eis.* Ecce teſtatur de ſe ipſe S. Auguſt. quod Eccleſiaſtico cantu lux veritatis ipſius animo oborta, magis atque magis inclaruerit, eumque pietatis ſenſum hauſerit, vt ingentē lachrymarum vim ex conſolationis abundantia profuderit.

B Auguſtin. ſub Eccleſiæ canticis piè illachrymatur.

CAP. LXXV.

ECCLESIÆ CANTVS DIVINA auctoritate comprobatur.

§. ISTIS eum in modum pertractatis nunc ad probandum ac commendandum Eccleſiaſticum cantum accedat oratio, vbi 1. occurrit vir ſecundum cor Dei *Regius Pſaltes*, de quo *S. Auguſt. lib. 17. de Civ. Dei. cap. 14. Erat Dauid*, ait, *vir in Canticis eruditus, qui harmoniam muſicam non vulgari voluptate, ſed fideli voluntate dilexerit: eaq; Deo ſuo, qui verus eſt Deus, myſtica rei magnæ figuratione ſeruierit.* Hic igitur ſanctiſſimus Rex & Vates non ſolum Pſalmos compoſuit, & cantores inſtituit, qui coram arca fœderis Dominum muſicis inſtrumentis, & modulatis vocibus decantarent 1. *Paralip. 6.* Sed & exhortatur, vt pſalmis & canticis ac muſicis inſtrumentis Deum collaudemus, vt *Pſalm.* 150. quem ad-

S. Dauid ſpiritalū cantionum auctor, quibus Deo ſuo ſeruiuit.

Pius cantus, Dei cultus.

modum & ante fecerunt Moyses & filii Israhel, *Exod.* 15. v. 1.

Liberator noster sacri cantus approbator & verbo & exemplo.

§. Saluator noster cum facti illi obuiam acclamarent & accinerent in die Palmarum, vt est *Matth.* 21. *Marc.* 11. non solum non inhibuit, sed etiam contra calumniatores defendit. Verba *S. Lucæ c.* 18. *vers.* 33. *vsq;* *ad* 41. Exemplo etiam suo nobis cantum commendauit, quando post cœnam vnà cum Apostolis gratias Deo cecinit, nam vt est Matth. 29. versic. 30. Marci 14. versic. 26. Et *hymno dicto* Græcè καὶ ὑμνήσαντες, id est, cum laudem Deo cecinissent, ipse scilicet Dominus, & Apostoli. Et hymnus sine cantu esse non potest, vt docet *S. Augustin. in Psalm.* 72. *ab initio*: *Hymni*, inquit, *sunt laudes Dei cum cantico.* Hymni cantus sunt continentes iaudes Dei. Oportet vt si sit hymnus habeat hæc tria laudem, & Dei, & canticum. Quapropter idem ille maximus Ecclesiæ Doctor *B. Augustin. epist.* 119. *ad Ianuarium cap.* 18. & habetur *de Cons. causa* 52. *dist.* 1. *De hymnis*, inquit, *& Psalmis canendis & ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta & exempla & præcepta.* Ergo cantus & institutionem, & formam, & mandatum dedere tàm Christus Dominus, quam ejus Apostoli. S. Aug. sententiam vsurpat *Conc.* 4. *Toletanum cap.* 12. *De hymnis*, inquit, *& psalmis publice canendis in Ecclesia, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum.*

Cum Christo & Apostoli pii cantus comprobationes.

§. S. *Paulus & Silas Actor.* 16. *vers.* 25. *orantes laudabant Deum & audiebant eos, qui in custodia erant.* Græcè προσευχόμενοι ὕμνον, i. e. orantes hymos decantabant, & quidem tàm elata voce, vt eam omnes carcere conditi & asseruati inaudirent *Apostolus* etiam *Ephes.* 5. *v.* 18. 19. 20. *Coll.* 3. *v.* 16. Christianos hortatur, vt psalmos, hymnos & cantica spiritalia exerceant & excolant. Vnde constat Ecclesiasticum cantum ex Apostolica traditione prouenisse, cum iis locis Ecclesiastici cantus formam

præ-

pscripsorit: nempe vt musicos modulos cordis chorda, non ore tantum concinerent.

CAP. LXXVI.

BEATÆ MENTES DIVINARVM laudum cantatrices.

§. A Christo Domino Deo nostro & Apostolis non video quis nobis cantum magis commendare possit, quam Sancti Angeli. *Iob.* 38. *versic.* 7. *vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina & iubilarent omnes filii Dei.* Nam & cum Angelo pastoribus Saluatoris ortum nunciante *facta est*, inquit, *S. Lucas c.* 2. *v.* 13. *subito multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominib. bonæ voluntatis.* Optima est hujus hymni partitio dum gloria Deo, hominibus pax assignatur. Est autem non optantium, vt sit, sed annunciantium, quod sit, nimrum quod in altissimis, hoc est, in cœlo parta Deo, & materia glorificandi Deum præbita est Angelis ob natum Saluatorem. Et in terra pax est hominib. cum Deo, qui sunt bonæ voluntatis, quib. Deus bene vult, & qui Deo bene volunt. Et S. *Fulg. sermon. de S. Stephano. Gloria in excelsis Deo heri exultantes sancti Angeli cantauerunt: hodie Stephanum laudantes in suum consortium susceperunt.* Vnde & ista verba dicuntur hymnus siue Canticum Angelorum, vt manifestum est *ex Conc.* 4. *Tolet. can.* 12. ex *Theleſphoro de Conſ. dist.* 1. *can.* 46. *& docet Walfridus Strabo in lib. de rebus Eccles. c.* 22. Et Ecclesia natalitio Saluatoris die, psallit ad Magnificat: *Hodie in terra canunt Angeli.* Quæ autem angelico hymno subjunguntur: *vt, laudamus te, benedicimus te, &c.* quidã tribuunt Hilario Pictauiensi Episcopo, alii Symmacho Papæ. Illud probabilius ꝙ ab Apostolis sit concinnatus, siquidem integer fere extat apud *Clementem l.* 7. *Constit. Apostolic. c.* 48. & vt in Missa decantaretur, insti-

Quis totius in Missa Cantici Gloria in excelsis Deo, auctor.

instituerit Septimus à *S. Petro Pontifex & Martyr Thelesphorus.* Videatur *Ioannes Stephanus Durandus lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Cathol. cap. 14.*

Variæ S. Angelorum cantiones.

§. Huc pertinet & ille ter Sanctus Angelorum hymnus, siue trisagium apud *Isa. c. 6.* & ab Ecclesia usurpatus in S. Missę sacrificio *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth, plena est omnis terra gloria eius.* Et vt est in *Apoc. cap. 4. v. 8. Sancta illa quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est & qui venturus est.* Ter dicitur Sanctus & semel Deus, vt indicetur nobis Trinitas, siue distinctio personarum, & simul diuinæ naturæ vnitas, quemadmodum annotarunt S. Patres apud *Stephanum Durandum lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Cathol. c. 31. n. 29.*

Puer ad cœlum raptus, beatorũ spirituum cantus audit.

§. Affine his & illud Angelorum canticum, cujus meminit *Felix Papa in epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum*, & extat *in actis 5. Synodi Constantinop. Cum terra motu quateretur Constantinoplis, populusq; oraret in campo puerulus toto populo spectante cum Proclo Ciuitatis Episcopo, in cælum per vnam horã raptus est, ibiq; huiusmodi didicit hymnum Angelorum Deo accinentium Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, rursumq; descendens nunciauit, quæ in æthere audierat, dicens de cœlo, quasi de multitudine psallentium huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumq; sibi: vt eam laudationem populo indicaret, quam vbi populi acceperant, receperunt ciuitatem, Deoq; per huiusmodi laudem propitio facto ab imminenti ira liberati sunt.* Hæc Felix Pontifex. Puer animam efflans in magna Ecclesia conditus est. Theodosius Iunior verò Imperator constitutione edita sanciuit, vt per totum Orbem hymnus iste diuinus miserere nostri addito concineretur. Latius hanc historiam commemorat *Nicephorus libr. 14. histor. cap. 46.* Et alii, quos citat *Card. Baronius Anno Domini 446.*

§. Bre-

Cœlitũ carmina audit B Maria Magdalena

§. *Breuiarum Romanum 29. Iulii in vita S. Marthæ, ita de illius sorore præcipua Christi amatrice loquitur: Magdalena assueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte contemplandæ cœlestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit, vbi triginta annos vixit, ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidieq; per id tempus ad audiendas cœlestium laudes in altum ab Angelis elata.*

Apud sanctum regiũq; Martyrẽ Ermigildũ Angelorum cãtus.

§. *S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 31. Liuigildus Vuisigothorum Rex Arrianus cum Ermigildum filium à Catholica religione neq; præmiis neq; minis abducere posset, regno rebusque omnibus spoliatum, arcta custodia inclusum, & collum manusq; ferro constrictum & adhuc cilicio corpus affligentẽ, & assiduas Deo pro constantia preces adhibentem, & omnibus modis sacrilegam Arrianorum cõmunionẽ refutantem per immissos apparitores impacta eius cerebro securi occidi mandauit. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio Psalmodiæ cantus, ad eiusdem Regis & martyris corpus audiri. Quidam etiam ferunt quod nocturno illic tempore accensæ lampades apparebant. Cuius frater Richardus Rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem secutus, & ab Arrianæ hæreseos prauitate conuersus, totam Vuisgothorum gentem ad Catholicam fidem perduxit, & vnus mortuus est, vt multi viuerent, &c.*

Angelorum cantiones in piorum morte, vt ei⁹ molestiam non sentiant.

§. *Idem S. Gregor. lib. 4. dialog. c. 14. Sciendum est, inquit, quia sæpè animabus exeuntibus electorum, dulces solent laudes cœlestes erumpere, vt dum illam libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire minimè permittantur. Ita Seruulus Dei famulus, multis annis paraliticus, vt sepenitùs sentiant. commouere non posset, studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo & laudibus, diebus ac noctibus vacare. Qui cum se mortis proximum agnouisset, præsentes admonuit, vt cum eo Psalmos pro exspectatione sui exitus decantarent. Cumq; cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit dicens: Tacete. Numquid non auditis, quantæ resonent laudes*

laudes in cœlo? Et dum ad eaſdem laudes, quas intus audiuerat, aurem cordis intenderet, ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt, vt omnes illi, qui aderant, inæſtimabili ſuauitate replerentur, ita vt per hoc patenter agnoſcerent, quod eam laudes, quas audierat in cœlo, ſuſcepiſſent. Iiſdem prorſus verbis hanc S. Gregorius recenſet hiſtoriam homilia 15. in Euangel.

Cantu Angelorum demulcetur S. Victor.

§. Duos ſcripſit ſermones *B. Bernardus* de S. Victore Conf. & in primo quidem de eo loquens: *Quis*, inquit, *non omni admiratione ſtupendum ducat carne circundatum hominem, cœlis patentibus, carnis oculo ſuperno infigere lumini, & videre viſiones Dei, Angelico inſuper mulceri cantico, doceri oraculo?* Et altero ſermone: *Corpore terras*, ait, *mente cœlos inhabitans, aliquando aliquid familiariùs nunciantes, aliquando ineffabili cantus ſuauitate plauſibiles ſupernorum voces ſpirituum audiebat.*

Angeli Sanctorum laudes cantitant.

§. Thomas Cantipr. lib. 1. Ap. cap. 11. §. 3. ex ore cuiuſdam Canonici Regularis precibus & meditationibus deditiſſimi & accuratiſſimi monaſticæ diſciplinæ cuſtodis accepit: quod mœrore confectus lachrymisque perfuſus pridiè quam illorum natalis dies celebraretur, S. Mauritium ejusq; ſocios implorauit, vt eorum precibus iuuaretur luctusq; ſpiritali ſolatio & lætitia leuaretur. Poſt multum peruigilium, tenuiſſimo ſomno recreatus audiuit choros Angelorum in ſublimi cantantium: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, & qui pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideò cum Chriſto regnant in æternum.* Tanta autem Angelici cantus vis & dulcedo fuit, vt non ſolum omnem animi mœrorem in quo jacebat, abſtergeret, & corpori grauiſſimè laboranti integram valetudinem reſtitueret, *& ex carnis ergaſtulo penè animum, niſi Deus prohibuiſſet, elicuerit, & poſtea vix vllam perturba-*

Melodia angelica ſuauitas.

tionem

tionem sensérit, sed magna animi tranquillitate vsus & fruitus fuerit. Non prorsus dissimile est, quod idem autor *libr. 2. cap. 11. §. 7.* commemorat, nimirum quod nocte assumptæ in cœlos Deiparę, cum Regulares Canonici matutinas preces decantassent, vsque ad nonum responsorium subitò mirabilis Angelorum concentus insonuit altissimis & suauissimis vocibus canentium: *Felix namque es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster.* Versum autem & Gloria Patri, quatuor Angeli succinerunt, cœteris postea respondentibus, ex quo illi memorabili gaudio completi fuerunt. *Suo Angeli cantu Deiparam colunt laudant.*

§. *S. Macarius Romanus Senatoris filius, cuius nomen 23.* Octob. tabulis Ecclesiasticis *asscriptum est prima nocte nuptiarum, ductore Raphaele Archangelo in solitudinem peruenit, victusq; illusione quadam dæmoniaca, & abitum meditans, ab eodem S. Raphaele, suam vt in cellulam rediret, admonitus est, vbi flexis ad DOMINVM genibus, totos quadraginta dies ieiuniis peregit, & tandem surgens vidit totum cœtrum per omnes quatuor angulos cœlesti lumine perfusum, virumque purpura, diademate, auro, gemmisque nobilissimis ornatum, qui carmen inusitatum cecinit, cuius vox totam hominum turbam referebat, cantuque absoluto, obstupescenda locum odoris diuini fragrantia compleuit, indeque non oculis sublatus, euanuit. Redeunte verò illo in cœlum, tonatrua, fulgetraque, & terræ tremores secuti tanti, vt beatus Macarius attonitus septem ipsos dies vsum omnem linguæ amiserit.* Ista *Mathæus Raderus noster in suo Viridario.* quibus similia de Angelis legimus *Daniel 7. ver. 17. cap. 10. v. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 16. 17. Mach. 28. v. 1. 2. 3. 4. & in Apoc.* sæpius. *Angelica harmonia sonora.*

§. Sicut autem Angeli in assumptis corporibus loqui possunt, ita & canere, vel etiam ejusmodi sonos formare in aëre, aut species in hominum sensibus. *Quo modo cantent Angeli*

Alioquin

Alioquin, vt ait S. *Gregor. lib. 2. Mor. c. 5. Vox Angelorum est in laude conditoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis diuinæ miracula obstupuisse, dixisse est: quia excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus, clamor vocis. Quæ vox quasi per distincta se verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.* Exempli causa vox sit, *Domine quis similis tibi?* *Psalm. 34. v. 10.* huius autem vocis quasi verba: Potentia, sapientia, bonitas, iustitia, sanctitas, clementia, majestas & id genus aliæ Dei perfectiones.

CAP. LXXVII.

BEATI HOMINES DIVINAS cantitant laudes.

§. QVemadmodum verò angelicæ mentes, ita & humani spiritus beati, Deo laudes accinunt. *Apoc. 4. v. 4. 8. usq; ad cap. finem. cap. 6. v. 10. cap. 7. v. 9. cap. 11. v. 16. 17.* pulcherrimè autem *cap. 14. v. 2. ad 6. S. Greg. lib. 4. dialog. c. 20. duos* ait *monachos ex vna arbore à Longobardis suspensos, & necatos esse, quorum spiritus claris illic aptisq; vocibus psallere cœperunt, ita, vt illorum interfectores & captiui inaudiuerint: quod omnipotens Deus idcirco fieri voluit, vt viventes quiq; in carne discerent: quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem verius viuant.*

Canonicum officium à morte sancti decantant Martyres

§. Sed vt ad Canonicarum Horarum cantum à mortuis frequentatum accedamus, in suo *Martyrilogio Ado Archiepiscopus Treuirensis*, vir sanctissimus pariterque doctissimus 9. *Ianuarii* ita habet: *Antiochiæ sub Diocletiano & Maximiniano multi Sacerdotes & Ecclesiæ ministri comprehensi, iussu crudelis Iudicis ingenti accenso igne cõsumpti sunt. Vbi ad commẽdandam mortem Sanctorum hora tertia, sexta, nona psallentium chori feruntur auditi. Sed & vespertinos, & matutinos hymnos Deo cecinere. Surius tom. 1. Ianu. 9. in addi-*

additamento ad S. *Iuliani Martyris* vitam addit 1. quod præses nomine Martianus fuerit. 2. quod in loco in quo Dei laudibus vacabant, exusti sint. 3. quod definitis ab Ecclesia temporibus psalmodia diu audita fuerit. 4. quod qui his temporibus eo accessisset, quacunque etiam infirmitate detineretur, sanus & incolumis inde recesserit.

§. Sed & quod in corpore glorioso sancti ore & lingua laudaturi sint Deum ambigi non potest, *Psalm. cœlo San-* 149. v. 5. *Exultabunt Sancti in gloria lætabuntur in cubilibus eorũ laus exaltationes Dei in faucibus eorum. Isa.* 51. v. 3. *Gaudium datio. & lætitia inuenietur in ea* (cœlesti Ierusalem) *gratiarum actio & vox laudis.* S. *Irenæus lib.* 5. *aduers. hæres. c.* 8. Apostolicam tractans sententiam *Rom.* 8. v. 15. *In quo clamamus Abba Pater. Si pignus*, inquit, *habentes clamamus Abba*, Pater, *quid fiet quando resurgentes, à facie ad faciem videbimus eum. Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint?* Ita & S. *August. lib.* 22. *de Ciu. Dei. cap.* 30. *Omnia*, ait, *membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei.* Vide Fr. Suarez. tom. 2. in 3. part. dis. 47. sect. 6. §. 6. Verum ad mortalium Sanctorum cantiones reuertamur.

CAP. LXXVIII.

PRIMI CHRISTIANI SACROS identidem hymnos Dei cecinerunt.

§. CHristum Deum Dominumque nostrum Apostolos & cœlestes mentes in sacro frequentando cantu imitati sunt primi Christiani, quos eo nomine commendat *Philo Iudæus in lib. de vita contemplatiua.*

Non solum, ait, *subtilius intelligunt hymnos veterum: Sed ipsi faciunt nouos in Deum omnibus eos & metris, & sonis honesta satis, & suaui compage modulantes.* Et postea: *Vnus ex omnibus consurgens in medio inchoat Psalmum honestis modulis.* S. *Dionysius Areopagita cap. 3. Eccles. hierarch. Demum Pontifex*, inquit, *ad sanctum altare iterum rediens sacros Psalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Ecclesiastici ordines.* Plinius *lib. 10. epistola 67. ad Traianum* affirmat *se nihil aliud de sacris Christianorum comperisse quam cœtus antelucanos ad hymnos Deo & Christo canendum.* Quam epistolam recensent & laudant *Tertullianus cap. 2. Apolog. Eusebius libr. 3. hist. cap. 32. Hieronymus in addit. ad Eusebii Chronicon. Nicephorus libr. 3. cap. 17. Tertullianus libr. 2. ad vxorem: Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit?* B. *Hippolytus* oratione *de consummatione mundi* enarrans miserias, ærumnas, & calamitates futuras Antichristi tempore: *In diebus illis*, ait, *Psalmorum decantatio cessabit.* S. *Gregorius Nazianzen. in oratione 40. in sanctum Baptisma ad finem: Statio hæc, quà confestim à Baptismo ante magnum Sacrarium stabis, futuræ vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantillatio, cum quà accipieris, illius hymnodiæ præludium est* S. *Basilius epistola 63. ad Clericos Ecclesiæ Neocæsareanæ: Ad id verò quod propter Psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt, hoc habeo quod dicam, quod videlicet, qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni.* Criminatoribus quasi canendi ritum in Ecclesiis immutasset, respondet, se optimum ac Orienti pene toti communem recepisse.

Psalmorum cantum tollet antichristus.

CAP.

CAP. LXXIX.

PIÆ EREMITARVM CANtiones.

§. SAnctus Chrysost. *hom.* 56. *in Matth.* recenset cantum monachorum eremum habitantium, qui ad nostram etiam institutionem commemorabilis est. Agit & de ijsdem *hom.* 59. *ad Antioehenos. Omnes,* inquit, *statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt excitante eos prælato, & consistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus extendentes, sacros hymnos decantant.* Iterum. *Mox statim surgentes stant hymnos cantantes Propheticos multa cum consonantia, cum aptè compositis concentibus. At & ipsa cantica commoda & in Deum caritate plena. Quoniam & cum Angelis cantant: nam & Angeli canunt: Laudate Dominum de cœlis. Cum rursum matutinas orationes celebrauerunt, & hymnos, ad lectionem Scripturarum conuertuntur. Tertiam, sextam, nonam, & vespertinas orationes celebrant. Et in quatuor partes dicere dispartiti, dum singulæ partes implentur, psalmodiis & hymnis Deum venerantur. Vespere facto se laborib. absoluentes mensam petunt, & hi quidem cum pane sale, hi vero & oleū adiungentes, & alii quicunq; sunt infirmiores, olera quoq; habent & legumena. Deinde parum sedentes, vel potius hymnis omnia concludentes, in suo quisq; lectulo requiescunt, ad solum somnum non delitias comparato. Omnia sunt oratione plena, hymnis omnia, omnia spiritali fragrantia. Vox exultationis in tabernaculis iustorum Psalm.* 117. *Morientes nescimus mortem: hymnis defunctos persequuntur, honorem hoc appellant non funus.*

Mox à quiete decantati Psalmi.

Cum Angelis canimus.

Canonicarū Horarum enumeratio.

Zenone crudelis dum a. xat vescente temperantiores.

CAP. LXXX.

SACRIS PSALMIS SEPELIuntur Christiani:

S. Paula psalmis aliisq; ib. in sepulchrum illata.

§. SAnctus Hieronymus epistola 27. quæ est Epitaphium Paulæ matris cap. 13. Exhinc, non vlulatus, non planctus, vt inter sæculi homines fieri solent, sed Psalmorum linguis diuersis examina concrepabant. Translataq; Episcoporum manibus, & cervicem feretro subiicientibus, cum alii Pontifices lampadas cereosq; præferrent, alii choros psallentium ducerent, in media Ecclesiæ spelunca Saluatoris est posita. Et epistola 30. ad Ocean. quæ est Epitaphium Fabiolæ c. 4. Necdum spiritum exhalauerat, necdum debitam Christo reddiderat animam: Et iam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius Orbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat alleluia.

Fabiola psalmis, aris ãpani pulsatione tumulo mandatur.

S. Antonius B. Paulum hymnis & psalmis in sepulchro condidit.

Idem S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ. Obuoluto & prolato foras corpore (S. Pauli) hymnos quoq; & Psalmos de Christiana traditione decantans contristabatur Antonius, quod sarculum, quo terram foderet, non haberet, &c.

CAP. LXXXI.

ET VERBIS ET ARGVMENTIS S. cantionum prædicator D. Mediolanensium antistes Ambrosius.

§. IN laudem cantus multa habet S. Ambrosius serm. 7. in Psalm. 118. v. 54. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Quæ bene tenemus, cantare consueuimus, & quæ melius cantantur, melius nostris adhærent sensibus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis iustificationes Domini sint. Psallamus spiritu, psallamus & mente,

1. Cor.

1.Cor.14.v.15. *Vt expelleretur, & eliminaretur obliuio à domo sancta sua cantatores sibi fecit Rex verus Salomon, qui toto spiritu inquirendo cognitionem diuinitatis intenderent, ne psallentes deessent Ecclesiæ suæ, quorum cantu nequam spiritus fugaretur, sicut Dauid Sancti docemur exemplo, quo psallente malus ille spiritus expellebatur, qui Saul Regis corda vexabat* 1.*Reg.* 16.v.23. *Prophetæ quoq; vt prophetarent, psallendi peritum iubebant psallere, quo suaui inuitata dulcedine spiritalis infunderetur gratia.* 4.*Reg.* 3.v.15. *Et in Euangelio legimus in domo patris illius filium recuperantis percrepuisse Symphoniam, qua epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatienter audiebat Lucæ* 15.v.25, *Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effeminat, sed mentem animumq; confirmat. Ipse quoq; Dominus non dedignatus est dicere. Matth.*11. *v.*17. *Luc.* 7.*vers.* 31. *Cantauimus vobis, & non saltastis. Qui domesticus Dei est, exul est mundo; qui conuersatur in cœlestibus, peregrinus est terris. Peregrinabantur in hoc mundo Hebræi tres pueri, naturam incendii non sentientes. Cantabiles habebant iustificationes Dei, cum hymnum Deo de creaturarum laudatione cantarent. Qui cantat vacuus est, & diuersarum cogitationum curas relegat, sequestrat auaritiam. Tanquam liber ab omnibus corporalium affectibus passionum canebat Propheta Psalm.* 70.v.22.23. *Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi, veritatem tuam, Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israhel. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti.* Hæc S.Ambrosius.

Pius cantus Dei memoriam renouat.

Pius cantus dæmonem fugat.

Pius cantus propheticum spiritum alicit.

Filii decoctoris emendato fidiũ cõcentu celebratur.

Spiritalis Christi cantus.

Tres pueri Danielis 3. *laudem Deo decinere.*

Cantus agritudinem extenuat & depellit.

CAP. LXXXII.

VNDE OPPOSITIS CHORIS psallendi ratio.

1. RItum vero aduersis choris modumque alternatim canendi ab Angelis mutuata est Ecclesia. Scribit Socrates *lib.*6.*hist.c.*8. *Tripart.lib.*10.*cap.*9. *Niceph.*

lib. 13. c. 8. *S. Ignatio* Antiochenorum Episcopo, Apostolorum contemporaneo & perillustri Martyri Angelorum ostensam esse visionem SS. Trinitatem alterna vice decantatis collaudantium, ipsumq; Ignatium eandem canendi formam Antiochenæ Ecclesiæ tradidisse, atque inde ab omnibus Ecclesiis receptam esse. Sed certior hujus rei fides habetur & altior, cum de Seraphinis supra thronum consistentibus atq; alternis vicibus, Sanctus, Deo accinentibus, sublimis facta est illa manifestatio *Isaiæ c. 6. v. 3. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Vbi auctore S. Hieronymo Hebræi habent iste ad istum, id est, vnus ad vnum, inuicem ad laudes Domini cohortantur.

Angeli & inter se & cum hominib. vicissim diuinas canunt laudes.

§. Quin & *Psalmi 137. versum 2. In conspectu Angelorum psallam tibi*, ex Hebræo verti posse, è regione, ex oppositio Angelorum psallam tibi, vt quasi homines alterum, & chorum alterum teneant Angeli, atque ita vicissim Deum collaudent, quemadmodum de S. Guduualo Archiepiscopo & confessore accepimus, qui cum aliquando Canonicas Horas more Ecclesiastico inchoaret: *Deus in adiutorium meum intende.* Angeli subjunxerunt, *Domine ad adiuuandum me festina*, & ita officium alternis vicibus cum viro Dei totum expleuere. *Surius in eius vita c. 7. die 6. Iulii.*

Christiani apostolorum temporibus vel præsentes vel proximi alterni Deo vicibus laudedenantauerunt.

§. Sed & à primis Christianis Deo laudes alternatim cani solitas auctor est *Philo lib. de vita contemplativa. S. Basil. epistola 63. ad Neocæsareanæ Ecclesiæ Clericos.* Tandem, inquit, *ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi alternis succinentes psallunt. Rursus deinde vni ex ipsis hoc muneris dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt.* Theodosius *Imperator iunior* primo diluculo cum sororibus suis hymnos alternatim decantabat, vt testatur *Socrates libr. 7. cap. 22.* Quin & *Dionysius Arcopagita cap. 3. Eccles.*

clesiast. hierarchiæ indicat morem canendi hymnos ad alterutrum, quasi vna concordi & consona sacrarum rerum chorea. Quare perperam hoc institutum, vel Chrysostomo, vel Damaso, vel alijs vt primis auctoribus tribuitur. *Durant. l. 3. de ritibus Ecclesiæ c. 16. nu. 6.*

Quare mos, vt populus vicissim cũ Clericis cantitaret, sit sublatus.

§. Et olim quidem etiam in Ecclesis promiscuè vnà cum Clericis cantauit populus, & Sacerdotibus orationem, vel dantibus vel colligentibus respondere consueuit. Sed quoniam imperitia canentium sæpè accidebat, vt harmonia illa Ecclesiasticæ dignitati & grauitati congruens incomposito vocum sono corrumperetur, opportunè *Conc. Laodicens. c. 15.* prouidit ne præter cantores ad hoc opus adscriptos, qui & pulpitum ascendunt, & de codice legunt, quis in Ecclesia psalleret. *Dist. 92. c. 3. Non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab Episcopo sunt ordinati lectores. S. Isid. libro 7. Originum cap. 12. & habetur dist. 21. cap. 2. Cleros.* Psalmistæ à Psalmis canendis vocati, canunt, vt excitent animos audientium ad compunctionem. Cantor autem vocatur, quia vocem modulatur in cantu, & est præcentor, succentor & concentor. Videatur idem *S. Isidor. lib. 2. de Eccles. Off. cap. 12.*

CAP. LXXXIII.

CATHOLICVS CANTVS CATHOlicæ fidei confessio.

Acceptissima Deo fidei confessio.

§. Vpereſt, vt, & cantus vtilitates & fructus eximios commemoremus. Et quidem fructus primus est, quod sit Catholicæ fidei, sanctissimæque religionis nostræ contra aduersarios testatio, cujus probationis vis hac ratiocinatione continetur: Omnis verę Catholicæque fidei confessio & testificatio, DEO est gratissima, & perhonorifica, sed Ecclesiasticus diuinusque cantus, est Catholicæ fidei &

religionis testificatio, ergo. Propositio quod fidei confessio sit acceptissima Deo inde confirmatur. 1. Sêtêtia *Saluatoris Matth. 10. v. 32. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Et Luc. 12. v. 8. addit, & coram Angelis Dei.* Corde, inquit, *Apostolus Rom. 10. v. 10. creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ob quod fidei de se datum testimonium Ierosolymis laudat S. Paulum Christus Dominus, & ad idem Romæ exhibendum animat & confirmat *Act. 23. v. 11.* Sic enim ibi loquitur *S. Lucas* sequenti nocte assistens ei Dominus, ait: *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem sic oportet, & te Romæ testificari.* Quod tanquam Deo carum jucundumque officium prædicat Dauid *Psalm. 39. v. 10. 11. 12.* imò Christus Dominus, cui meritissimè hunc Psalmum attribuit Apostolus *Hebr. 10. ver. 11. Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna* (frequentissima hominũ congregatione) *ecce labia mea non prohibebo* (à laude & prædicatione tua, *Domine tu scisti* (conscius & testis meus) *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi* (palam annunciaui) *Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo* (hominum societate, conuentu.) Exemplum apud *Matthæũ Raderum nostrum in Aula sancta. c. 14.* Assumptio v. syllogismi probatur siquidem salutiferæ fidei nostræ dogmata, quæ Ethnici irrident, & despiciunt hæretici, etiam publico cantu celebrare non dubitamus. Quemadmodum tempore Iuliani Apostatæ, cum ejus jussu è Daphne Sacræ Babylæ Martyris transferrentur Reliquiæ, Christiani identidem cecinerunt: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis Psalm. 96. v. 7.* quorum aliquos iratus Imperator in vincula abripi & torqueri mandauit, vt auctor est *Sozomenus libr. 5. c. 16. & 19. Socrates libr. 3. c. 16. Russinus l. 2. cap. 36. Publia etiam veneranda matrona, secum habens chorum*

Ob fidei confessionẽ cantu editum S. Martyres casi

chorum virginum perpetuam castitatem professarum, quandocunq; Iulianus illuc prætergrederetur, cũ illis canebat eos potissimum Psalmos, quibus simulachrorum debilitas scitè deridetur, vt Psalm. 113. Simulachra gentium argentum & aurum. Illis autem conticescere iussis, sed maiori alacritate perseuerantibus impius Imperator ira efferuescens, Publiam ad se perductam verberari per satellitem, & genas manibus cruentari iussit. Ista Theod. lib. 3. c. 17. suæ hist. Sanè cum diuinum Missæ sacrificium, cum de Sanctis vel fidelibus defunctis officium, cum Litanias, & id genus alia canimus, satis nos esse Catholicæ Ecclesiæ sectatores demonstramus, & dum non erubescimus in Deum nostrum ejusq; præcepta & dogmata confiteri coram hominibus, nec ille erubescit nos *confiteri coram Patre suo & ipsius Angelis. Matth.* 10.

CAPVT LXXXIV.

CANTVET CORPVS ET ANIMVS laudat Deum.

§. SEcunda cantus vtilitas, quod hac ratione *membra nostra exhibeãus arma iustitiæ Deo*, vt nos hortatur *Apostolus Rom. 6. v. 13. & corpora nostra hostiã viuentẽ, Sanctã Deo placentem Rom. 12. v. 1.* dum non solum spiritu, *sed etiam portamus & glorificamus Deum in corpore nostro. 1. Cor. 6. v. 20.* Denique ad *Hebr. 13. v. 14.* monet, per Christum Mediatorem & Pontificem nostrum, vt perpetuas gratiarum actiones, & laudes non tantum corde, sed & ore offeramus. *Per ipsum*, ait, *offeramus hostiam laudis semper Deo*, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus, id est, canentium & celebrantium ejus Numen, illius potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, justitiam, quas Dei aliasque perfectiones contemplans Dauid vno breui Psalmo 8. bis exclamat.

Lingua etiam Deum concelebret.

mat. *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Quam admirabilis potentia tua &c. Alludit autem id loci Apostolus ad Hoseæ ad vocalem Dei laudem excitantis sententiam *cap.14. vers.3. Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite eidem, auser iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Vbi LXX. reddemus fructum labiorum nostrorum. S.Hieronymus in eius loci Comm.* Tollite, inquit, *vobiscum verba, id est, preces & delictorum confessionem, & comuertimini ad Dominum, tàm verbis quàm operibus, & dicite ei: Omnem auser iniquitatem: nihil languoris in nobis & ruinæ pristinæ derelinquas, ne rursum mali seminispullulent rediuiua plantaria, & accipe, inquit bonum. Nisi enim tulerit mala nostra, quod tibi offeramus, habere non possumus. Vituli autem labiorum laudes in Deo sunt & gratiarum actio, quos se reddituros dicunt, id est, Dei laudes perpeti voce canturos. Ergo Domine repleatur os nostrum laude, vt cantemus gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, Psalm.70.v.8.* & vt omni ex parte perfectissimum tibi præstemus obsequium, & animo ardentissimis votis, & corpore clarissima voce præconia tua celebrare nunquam cessemus, vt tandem & cum electis tuis, in cœlesti patria te Deum & omne bonum nostrum ac finem desideriorum nostrorum sine fine videamus, sine fastidio amemus, sine fatigatione laudemus. *Beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te Psalm.83.* nec à laude deficiunt, quia ab amore non deficient.

Labiorum vituli Deo in laudis sacrificium immolandi.

CAP. LXXXV.

SACER CANTVS PRAVOS CORrigit mores:

§. TErtia vtilitas cantus, quod flagitiosos homines miris modis ad vitæ emendationem inuitet & alliciat.

alliciat. Et quia plurimos Ecclesiasticorum canticum fructus mutuabor ex *S. Isidoro libr. 3. sententiarum siue de summo bono c. 7. ex S. Basilio præfatione in Psalm. 1. ex S. Iustino siue auctore Q Q. Orthodox. responsione ad quæst.* 107. eorum loca semel citasse sufficiet, ne cum fastidio repetantur. Itaq; pii cantus, vt cœperamus dicere, vtilitas est, quod mirificè peccatores ad pœnitentiam commoueat. *Peccatores*, ait, *B. Isid. ad lamenta inuitat. Nam quamuis dura sint carnalium corda, statim vt Psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis eorum animos inflectit. Dum Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba diuina, quæ ibi dicuntur, debeant permouere, nescio quo tamen pacto modulatione canentis maior nascitur compunctio cordis. Multi n. reperiuntur qui cantus suauitate commoti sua crimina plangunt, atq; ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suauissima.*

Cantus ad vitæ emendationē allectat.

§. Locuples hujus rei nobis testis est *S. Augustin. lib.* 10. *Conf. cap.* 33. *Cum reminiscor*, ait, *lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoueor, non cantu sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & conuenientissima modulatione cantantur, magnam huius instituti vtilitatem agnosco.*

Dulcedine cantus tanquam salutare pharmacum mellepius in animum sensus inflat. S. Augustin. cantum approbat.

§. *S. Basilius. Vt vnus aliquis*, ait, *ferui in morem peracri ira incanduerit, simul atq; Psalmis cœperit illius auribus incinni. mox ex animo discussa feritate abit serenior. Quapropter saluberrimum est, vt vir Ecclesiasticus & ipse ad cantionis sensum attendat, quo pios in se motus concitet, tum vt ita distincte ac syllabatim canat, vt auditor sententiam probè accipiat, & fructum pietatis consequatur.*

CAP.

CAP. LXXXVI.

CANTVS ANIMI PERTVRBATIones sedat.

§. QVarta vtilitas quod idem Ecclesiasticus cantus prauos animi affectus componit ac perturbationes mitigat & restinguit. *Psalmus, ait S. Basil. animæ est tranquillitas, arbiter ineundæ pacis, cuius annutu exundantes & tumultuariæ cogitationes se contrahunt & conquiescunt Animæ. Siquidem vim ad iram propendentem edulcat ac præmollit Psalmus: cum contra fræno temperantiæ coerceat eam, quæ ad effrenem lasciuiam deuergit.* Et S. *Iustinus. Ecclesiasticus cantus affectiones & concupiscētias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes æmolitur.* Agnoscit & hoc de musicis modis ad pietatem compositis *Philo lib. de vict. offic. cum ait: Excantant passiones animi, & affectus componunt immodicos.*

CAP. LXXXVII.

DIVINVS CANTVS ORCĪ extricat laqueos.

§. QVinta vtilitas ex his duabus proximè explicatis consequitur, quod religiosus cantus sit dæmonum profligator. Tartarei siquidem spiritus vitiis & perturbationibus nostris sedem in animo quærunt, & in peccatis constituunt, cantus verò pius & peruersis affectionibus sedationem affert, & homines sceleratos ad peccatorum detestationem & contritionem, qua noxæ tanquam à suo contrario, expelluntur, prouocat, quemadmodum luculenter docuimus. Consequens est, vt pessimi illi genii sacro cantu depellantur.

Neque

Neque hoc abhorrens est à diuinis Scripturis : nam vt 1. Reg. 16. v. 23. *legimus. Quandocunq; spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat, recedebat enim abeo spiritus malus.*

§. *Psalmus est*, ait *S. Basil. profligendis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum. Et S. Iustinus: Gladium spiritus hoc Paulus appellat in armamentario, vbi contra inuisibiles aduersarios milites veræ pietatis suis instruit armis,* Eph. 6. v. 11. ad 18. *Verbum namque Dei est, & quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, ac dæmones fugat atq; depellit.*

CAP. LXXXVIII.

AD FIDEM AC RELIGIONEM VEL oppessendam, vel amplificandam instigat cantus.

§. EXta vtilitas, fidei pietatisque dogmata suauissimè instillat. *Nam quando spiritus sanctus*, ait *B. Basil. nos vidit ægrè persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad iucundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quod toti ad consectãdam voluptatem propenderemus, quid fecit? Nimirum Scripturæ suæ dogmatis, mistim insperso concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis & detentis melico vocum concentu clam & velut aliud agentes, in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem sineremus, idq; pro more sapientis medici. Is enim pharmacum oblaturus austeriusculum quidem auersanti cibos, nec probè concoquenti, subinde oras calicis prælinit melle. In hoc sanè excogitati sunt concenti isti concentus Psalmorum, O inuentum sanè quam admirabile, ac sapiens Doctoris, qui excogitauit, quo pacto vna eademq; opera ipsi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ salutarem condisceremus. Quæ enim numerosis modu-*

Omne tulit punctũ, qui miscuit vtile dulce.

modulis comprehensa ediscitur, fixius imprimitur animo. Ita enim natura comparatum videmus, vt vix tantillum duret, quod inuitus didiceris, cum contra id nescio quo pacto memoria insideat tenacius, quod cum peramœna quadam oblectatione, & gratia irrepit atq; illabitur animo.

§. Testatur de se B. *Augustinus lib.* 9. *Confess. cap.* 6. quod Ecclesiæ canticis eliquata sit veritas in cor ejus, & exæstuauerit affectus pietatis. Quem fidei, veritatis, & religionis sensum, vt aliis instillaret ipse contra Donatistas, pro vulgo Psalmum composuit, qui habetur initio *Tomi septimi*, cujus meminit *libr.* 1. *Retract. cap.* 20.

Christi præconium, hæreticorum flagellum.

§. *S. Ambrosius oratione de Basilicis tradendis*, quæ habetur *libr.* 5. *epistolarum post epistolam* 32. *Semper*, inquit, *Christi laudes verbera perfidorum sunt. Et nunc cum laudatur Christus, dicunt hæretici, quia seditio commouetur, dicunt hæretici, quia his mors paratur, & verè mortem habent in laudibus Christi. Quomodo n. eius laudes ferre possunt, cuius infirmitatem prædicant. Itaq; & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur. Hymnorum meorum carminibus deceptum populum ferunt. Planè nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius quam confessio Trinitatis? quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem & filium & Spiritum sanctum versibus prædicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui vix poterant esse discipuli.*

Efficacissima SS Trinitatis confessio.

Cantus magister.

SS Ambros. & Chrysostom. faciat cantiones composuerunt.

§. Ex quibus constat & S. Ambrosium hymnos confecisse ad decantandam propugnandamque Catholicam fidem, contra Arrianorum perfidiam. Quod & Constantinopoli præstitit *S. Ioannes Chrys.* vt tradit *Socrates lib.* 6. *hist. c.* 8. *& Sozom. lib.* 8, *c.* 8. Cum enim Arriani quasdam cantilenas hæresi suæ aptatas, & aduersus fidem consubstantialis contumelioſas noctu intra vrbem, & manè ad suos conuentus proficiscentes publicè alternatim concinerent, Veritus S. Ioannes Chrys.

Cantu conseruatur fides.

Chrys. ne aliqui simpliciores Catholici, hac ratione peruerterentur, alios & ipse hymnos in consubstantialis laudem compositos longe majori decore & apparatu similiter decantari præcipit. *Baronius Anno Domini* 440. *Harmonius, ait, Bardesanus hæreticus & hæretici filius Syrus cantica quodam composuit, & impietatem melodicæ suauitati permiscens, allexit audientes, & ad pernitiem venatus est. Cui periculo occurrens S. Ephrem Harmonii numeros moderatus, atq; eiusdem modulis carminibus Ecclesiasticæ sententiæ consonis adiectis, Syris ea canenda dedit, à quibus per æmulationis ardorem posteriores Ecclesiæ cantores, modulorum formulas mutuati, magis atq; magis auxerunt & propagarunt.* Ita tradunt *Theod. lib. 4. c. 29 Cass. lib. 8. Tripar. c. 6. Niceph. lib. 9. c. 16.* Ergo sacer cantus animis & fidem ingerit & confirmat.

Gladius metle illitus.

Suo iugulatur gladio.

CAPVT LXXXIX.

PIVS CANTVS TRISTITIAM MItigat, relaxat, tollit.

§. SEptima *Psallendi vtilitas*, ait *S. Isidorus tristia corda consolatur.* Et vt loquitur *B. Iustinus omnium rerum, quæ in vita, tristes & luctuosæ accidunt, piis affert medicinam.*

§. Quocirca & Ecclesia officium diuinum, vt facilius, libentius, & hilarius à Clericis persolueretur, illud cantus jucunditate conducit. *Si voluptas est*, inquit, *Lactantius libr. 6. cap. 21. audire cantus & carmina, Dei laudes audire & canere iucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est. Hæc non est caduca & breuis vt illæ, quas appetunt, qui corpori vt pecudes seruiunt, sed perpetua & sine vlla intermissione delectans.*

Cur canonicis precibus cantum Ecclesia adhibeat.

CAP.

CAP. XC.

PIA CANTATIO IN FROBITATEM inflammatio.

§. OCTaua vtilitas. Pius cantus animos ad virtutis studium excitat & accendit, siue vt loquitur S. Iustinus, *mentes ad fructificationem diuinorum bonorum rigat*, & B. Isid. *inertes excuscitat*, ac S. Augusti. epistola 119. cap. 18. *Hymni & psalmi cantati, vtiles sunt ad piè mouendum animum, & accendendum diuinæ lectionis affectum. Psalmus*, inquit, S. Basil. *amicitiæ est conciliator, vnio dissidentium, pacis inter hostes constabiliendæ sequester est Psalmus. Quis enim inimicum eum deinceps censere possit, quo cum vel vnicam ad Deum vocem semel emiserit? Itaq; quod in bonis numeratur præstantissimum, id psalmodia suppeditat, nempe cantantem, quæ quasi nodus quidam couniendis & in vnum astringendis omnibus concordem hanc vocum excogitauit harmoniam, ad consonum chori vnius concentum populum coaptans.*

Cantu caritas conciliatur.

§. Nemo non nostrum sæpius expertus est mirificos virtutis stimulos sibi cantu admotos fuisse: siquidem semper & vbique diuinis affectibus plenissimus est, siue in Aduentu, & Natali Domini, siue in Quadragesima, Passione, Resurrectione, Ascensione Domini, siue in Pentecoste, SS. Trinitatis, ac sanctiss. Sacramenti & aliis temporibus, ac sacris festisq; diebus, ex quibus exempla mutuari & proferre promptum est, ac procliue.

CAP. XCI.

DEO LAVDES CANTANS Angelorum imitator.

§. NOna vtilitas, quod sit beatarum mentium semper laudes Deo canentium imitatio, & institutio

stitutio ac ejus rei disciplina, quam perpetuo sumus tractaturi in cœlis. Hinc *S. Isid.* loco hactenus citato, idest, *lib. 3. sententiarum siue de summo bono cap. 7. Oratio,* inquit, *in præsenti tantum vita, pro remedio peccatorum effunditur: Psalmorum autem declaratio perpetuam Dei laudem demonstrat, in gloriam sempiternam, sicut scriptum est Psal. 83. v. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Cuius operis ministerium, quicunq; fideliter intentaq; mente exequitur, quodammodo Angelis sociatur.* S. Basil. *proœmio in Psalmos* crebrius memorato. *Psalmus,* ait, *opus est Angelorum, cœlestis illius Reipublicæ, in commune proposita sanctio, spiritale thymiama.*

CAP. XCII.

VOCE PARITER, ET MENTE *Deo cantandum.*

§. CVm igitur diuino officio cãtus adhibetur, Regii vatis meminerint admonentis. *Psalm. 46. v. 8. Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter,* hoc est, attentè & considerate, ne quis error committatur, & intelligenter, vt ex mysteriorum cognitione mens in Deum assurgat.

§. Et Apostoli recordentur *Ephes. 5. v. 19. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Vbi *S. Chrys. hom. 19. in epist. ad Eph. Quid est, quod dicit in cordibus vestris Domino? Hoc scilicet cum intellectu attendentes. Qui enim non attendunt temerè psallunt, verba duntaxat proferentes, corde interea alibi oberrante. Coll. 3. ver. 16. Docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, hymnis canticis & spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. In quam etiam epistolam hom.* 3. B. Ioannes Chrys. *Ex gratia,* inquit, *Spiritus sancti cantes in cordibus vestris. Non simpliciter ore, sed cum attenti-* *Aerem ferit, tate canit.*
m. Hoc enim demum est Deo canere: illud verò aeri. *Vox qui sine pe-*

namq; temerè diffunditur. Conc. Aquisgranense c.132. Psallentium in Ecclesia Domino mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apostoli 1.Cor.14.v.15. Psallam spiritu, psallam & mente.

CAP. XCIII.

ECCLESIASTICI OFFICII diuinitas:

§. VT religioso attentoque animo diuinum cantent vel legant officium, ejus præstantiam considerent.

§.1. Verba omnia & singula sunt Dei ac Spiritus sancti afflatu vel à S. Prophetis vel Apostolis vel Ecclesia dictata, itaque illa pronunciare est loqui sermone siue lingua S. Vatum, Apostolorum, Angelorum, Dei ipsius. Ita vt verũ sit hic illud Apostoli Rom.8.v.26. *Quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus postulat, pro nobis gemitib. inenarrabilibus.* Neq; tantũ inspiratis à se desideriis, sed suggestis & dictatis à se verbis nos rogare facit, & impetrare, vnde & v. 27. subjungit Apostolus: *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro Sanctis. Amica & familiaris oratio est, ait D. Cypr. tract. de Oratione Dominica Deum de sua rogare.* Et cum vocum ea sit natura, vt latentium in mente sensuum notæ sint, ac signa, verba hæc mentis diuinę ac eternę sapientię notiones ac sententias continent, nobisq; declarant & sanctissima in nobis desideria excitant.

§. 2. Complectuntur etiam altissima nostræ religionis mysteria SS. Trinitatis, Dominicæ incarnationis, Vitæ, Passionis, & id genus alia. Saluberrima etiam habent documenta, quæ ad vitæ sanctitatem & sempiternæ felicitatis adeptionem pertinent.

§. 3. Comprehendunt & religiosissimos actus, quos erga Deum exercere debemus fidei, spei, caritatis,

tis, submissionis, adorationis, laudationis, gratiarum actionis, &c.

§. 4. Cum tota vis orationis in eo consistat, vt diuina voluntas quodam modo inflectatur ad nostram, aptissima sunt ejusmodi verba & sententiæ ad Deum permouendum, vt qui has precandi formulas sibi acceptissimas tradiderit. Cæteroquin *quis cognouit sensum Domini. Rom.11.v.34. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus Rom.8.26. Iac.5.v.3. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.*

CAP. XCIV.

QVORVM IN ECCLESIASTICO OFFIcio partes obtineant Clerici.

§. COntemplentur similiter & expendant, quam in diuino officio personam sustineant.

§. 1. Internuncii & Legati ab vniuersa Ecclesia constituti, vt communem hominum causam agant, & grauissima tractét negotia gloriæ diuinæ & humanæ salutis apud majestatem Dei infinitam in aula cœlesti præsentib. S. Angelis & B. hominibus: nam etsi priuatim ab vno hoc diuinum legatur officium, tamen publico totius Ecclesię nomine, & pro communi Ecclesiæ bono, & à publico Ecclesiæ & solenni ministro psoluitur.

§. Et quidem hoc munus valdè illis proprium est. Sic Moyses cum populus litatis hostiis vitulum adorasset, eumq; Deus perdere voluisset, se medium interposuit impunitatemq; populo impetrauit. Ex. 32. v. 9. ad 15. Similiter cum propter seditiosam obmurmurationem illos Deus pestilentia interimere vellet, Moyses precibus illis veniam obtinuit Num. 14. v. 11. ad 21. Et *Num.16.v.20.21.22. Locutus Dominus ad Moysen & Aaron ait, Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè differā, qui ceciderunt proni in faciē, atq; dixerunt: Fortissime Deus vniuersæ carnis, num vno peccante contra omnes ira*

tua desæuiet! Ibidem v.41.ad 49. cum seditiosos occidere vellet Deus, Moyses & Aaron *procubuerunt in terram, & dixit Moysis ad Aaron. Tolle thuribulum & hausto igne de altari, mitte incensum desuper pergens citò ad populum, vt oret pro eis, iam enim egressa est ira à facie Domini & plaga (ignis) desæuit. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Iudith. 4. v. 9. & 10. in Holofernis vastatione *induerunt se Sacerdotes ciliciis & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio & clamauerunt ad Dominum Deum Israhel vnanimiter, &c. Ioelis 2. v. 17. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi est Deus eorum?* Et *2. Machab. 1. v. 23. Orationem faciebant omnes Sacerdotes dum consummaretur sacrificium: Domine Deus omnium creator, &c. accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israhel, & custodi partem tuam & sanctifica.*

§. Nonne & ipse summus Sacerdos noster Christus Iesus seipsum in ara crucis Patri pro nobis sacrificans precatus est: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt Luc. 23. v. 34.* Quod & creberrimè in vita mortali fecit, & diutissimè Lucæ 6. vers. 12: & nunc in vita immortali *interpellat pro nobis Roman. 8. v. 34.* Qui idem *Apostolus ad Hebr. 7. ver. 25.* ait: *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Ibidem cap. 9. v. 24. Non in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria futurorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Adeò proprium officium est Sacerdotum & Clericorum pro Christiano orbe Deum deprecari.

§. Et benè *S. Chrysostomus: Parentes etiam naturales, si aliquas sæculi potestates offenderint, filii eorum nihil eis potes-*

runt

runt prodesse. *Sacerdotes verò non solum potentes & reges, sed etiam ipsum Deum frequenter iratum sua intercessione nobis conciliant.* Et rursum: *Medius*, inquit idem *S. Chrysost. hom. de verbis Isaiæ cap. 6. Vidi Dominum; stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos ad nos deferens, & nostras petitiones illuc deferens, Dominum iratum reconcilians vtriq; naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus, eoq; Deus ipsum regale caput Sacerdotis manibus subiecit, nos erudiens, quod hic Princeps est illo maior.* Idem S. *Chrysost. lib. 6, de Sacerd. Eum*, ait, *qui pro ciuitate tota, imò vero pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecator q; est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: qualem quæso esse oportet. Etenim neq; Mosis, neq; Heliæ fiduciam fore vnquam satis putauerim ad supplicationem huiusmodi peragendam.* Quapropter decens & operæ præcium est, vt Clericus pro aliis precaturus pura ad Deum conscientia accedat, quemadmodum rectè monet *S. Greg. 1. P. Past. c. 11. & habetur distin. 49. can. 1. Ecce §. Sollicitè formidandum est, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquidò nouimus: quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Qui ergo desideriis terrenis adstringitur, caueat ne districti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter ergo se metiatur, nec locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat: ne is quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.* 2. Personam tenent Aulici Regi intimi ac proinde omnibus bonis abundantis. *Etenim si qui cum Cæsare miscent sermones*, inquit, *S. Chrysost. lib. 1. de orando Deo: familiariceque cum eo versantur, & hoc honoris sunt ab illo adepti non possunt esse pauperes: multò minùs fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege*

Pietas anima vita.

lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac cultu dignam, miris modis oratio cõciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurum recõdit animis nostris. Etenim siue quis virginitatis amore tenetur, siue quis studet amplecti honorabilem coniugii castimoniam siue quis meditatur inducere frenum iracundiæ, & cum mansuetudine familiaritatem habere, siue quis cupit ab inuidentiæ lue purus esse: denique si quis aliud quippiam facere studet, quod ad arctè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante commodum simul & facilem habiturus est pietatis cursum. Neq; enim fieri potest, non potest, inquam fieri, vt qui postulant à Deo pudicitiam, iustitiam, mansuetudinem ac benignitatem, non assequantur id quod petunt. Petite, n. inquit, Dominus, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Et rursus alibi: Quis est, inquit, ex vobis, à quo si filius petat panem, det illi lapidem? aut si piscem postulat ille, porrigat ei serpentem? Quod si vos cum sitis mali nostis bona munera dare filiis vestris: quanto magis pater vester cœlestis, dabit Spiritum sanctum, his qui nunc ab ipso petunt. Talibus quidem dictis, ac tali spe prouocauit nos ad orandum vniuersorum Dominus. Non verò decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei precibusque transigere, maiore studio curam agentes diuini cultus, quam vitæ nostræ. Sic enim contigerit, semper viuere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, & vita carens, expersq; sanæ mentis, Nam hoc ipsum evidentissimum argumentum est amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit non prouolui ad Dei genua.

Vniuersæ precib. impetrantur virtutes.

Deus precanti quodam modo dare debet, quia promisit, & omne promissum cadit in debitum.

Luc. 11 v. 11.

Deus hortatur ad precandũ vt occasionem habeat largiendi.

Benedicam Dominũ in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ps. 3.

Potior religionis quam vitæ cura.

Precandi desidia vesaniæ nota.

§. Tertiò.

§. Tertiò. Agunt personam & partes Sanctorum Angelorum. Eorum munus, & officium est Creatoris perpetuo amore succendi; ejus majestatem, bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, magnitudinem, admirati, reuereri, laudare. Quod ament, testatur Propheta Regius, Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Facit*, inquit, *Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei. cap. 23. eos ignem vrentem, quia charitate, tanquam igne spirituali, feruere debent ministri eius.* Quod mirentur, laudent, reuereantur, clamant clamores illi apud Isaiam cap. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Et eadem de re instruxit Iobum Deus cap. 38. v. 7. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.* Vbi Septuaginta Interpretes; *Quando facta sunt astra, laudauerunt me magna voce omnes Angeli mei.*

§. De qua jucundissima Deum laudandi functione ab Angelis obita Dauid Psalm. 102. versic. 20. 21. *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Quos iterum compellat Psalm. 148. *v. 2. Laudate eum omnes Angeli eius: Laudate eum omnes virtutes eius.*

§. Quod cùm alibi aliasque semper, tum in Saluatoris ortu præstiterunt. Lucæ 2. versic. 13. 14. *Et subito facta est cum Angelo multitudo cœlestis militiæ, laudantium Deum ac dicentium: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

§. Apocal. 5. vers. 11. 12. 13. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem,*

& honorem, & gloriam & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, & benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

Beati homines similiter atq; Angeli perpetuò Deum laudant

§. Neque aliud est felicium in cœlo animarum officium. Psalm. 83. v. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Apoc. 4. vers. 8. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor ante sedentem in throno, & adorabant Viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum: dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Et cap. 7. v. 9. 10. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: Stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis; & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* S. Basilius in Psalmum 28. *Angelorum opus laudare Deum, omnibus denique cœlestibus exercitibus,* vna hæc cura gloriam transcribere Creatori. Vberius verò D. Augustinus in Psalm. 148. *Laudate Dominum de cœlis. Quasi inueniret,* inquit, *tacentes in cœlis ad laudem Domini exhortatur, vt surgant & laudent. Nunquam cœlestia laudes conditoris sui tacuerunt, nunquam terrestria Deum laudare cessarunt. Sed planè sunt quædam quæ habent spiritum laudandi Deum in eo effectu, quò eis placet Deus. Nemo enim laudat, nisi quod ei placet. Sunt autem alia, quæ spiritum vitæ, & intellectum ad laudandum Deum non habent, sed quia & ipsa bona sunt, & in ordine suo integrè*

Delectabilis & felix cura.

tegrè dispositæ sunt, & ad pulchritudinem vniuersitatis referuntur, quam condidit Deus, ipsa quidem per se voce sua & corde suo non laudant Deum: sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus: & cum per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deum. Verbi gratia, laudant Deum in cœlis omnia quæ habent spiritum vitæ, & intellectum purum ad eum contemplandum, & sine fastidio & defectu diligendum. Securi estote, non tantummodo in ista peregrinatione vitæ huius, sed quomodo hic agatis videte. Non vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliuiscamini ciuitatem Hierusalem. Etsi corpus nostrum adhuc in Babylonia tenetur, cor nostrum ad Hierusalem præmittatur. Laudet ergo tota creatura Dominum, quia hoc ibi facturi sumus, quod hic præmeditamur. Cœlestia tranquilla sunt, pacata sunt: ibi semper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo, nulla molestia, semper laudant Deum Beati. Nos autem adhuc in imo sumus, sed cum cogitamus quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, & non sine causa audiamus, sursum corda. Leuemus cor sursum, ne putrescat in terra, quoniam placet nobis quod ibi agunt Angeli. Modo non spe, postea re, sed cum illic venerimus. Laudate eum ergo in excelsis. Et quare illum laudant, quid illi debent, quid illis contulit, vt laudent eum? sequitur. Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Non mirum si opera laudent operatorem, non mirum est si facta laudent factorem, non mirum si creatura laudet Creatorem. Statuit eam in sæculum & in sæculum sæculi. Omnia cœlestia, omnia superna, virtutes omnes atq; Angelos, ciuitatem quãdam supernam, bonam, sanctam, beatam. Vnde quoniam peregrinamur, miseri adhuc sumus: & quo redituri in spe beati, & quo cum redierimus, in re beati Statuit ea in sæculum & in sæculum sæculi. Præceptum posuit, & non præteribit. quale præceptum Mandatũ putatis habere cœlestia & Angelos sanctos? Quale præceptum vt laudetur deus illis Deus? Quale, nisi vt laudent illum? Beati quorum Deus. hoc est negotium, laudare Deum. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt. Opera enim sunt ista necessitatis,

ibi neceſsitas non eſt. Non furantur, non deprædantur, non adulterantur. Opera enim ſunt iſta iniquitatis, ibi iniquitas non eſt. Non frangunt panem eſurienti, non veſtiunt nudum, non ſuſcipiunt peregrinum, non viſitant ægrotum, non concordant litigioſum, non ſepeliunt mortuum. Opera enim ſunt iſta miſericordiæ, ibi autem nulla miſeria eſt, in qua fiat miſericordia. O beati. Putamus erimus nos ſic? Eia ſuſpiremus, de ſuſpirio gemamus. Et quid ſumus, vt ibi ſimus Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promiſit omnipotens eſt. Si ad nos attendamus, quid ſumus? ſi ad illum, Deus eſt, omnipotens eſt. Non eſt facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum ſuum?

§. Idem D. *Auguſtinus l. 22. de Ciuitate Dei c. 30. Quanta erit illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agatur, vbi neq; vlla deſidia ceſſabitur, neq; vlla indigentia laborabitur, neſcio. Admoneor etiam ſancto Cantico vbi lego, vel audio: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorũ laudabunt te. Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſsitatis varias diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſsitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Ipſe Deus finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic effectus, hic actus profectò erit omnibus, ſicut ipſa vita aeterna communis.* Vnde eſt & illa pia precatio. Chriſte Saluator libera me, Bone Ieſu exaudi me, Intra vulnera tua abſconde me, & ne permittas me ſeparari à te; in hora mortis voca me, & jube me venire ad te, vt cùm ſanctis Angelis tuis laudem te in ſecula ſeculorum, Amen.

CAP.

CAP. XCV.

DIVINI OFFICII RITE PERsoluti vtilitatis.

§. ILlud & ante mentis oculos proponant, quibus quantisque bonis se & alios cumulent, qui ritè diuinum officium persoluunt. 1. Deum honorant, qui ait Psalmo 49. versic. 14. *Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.* Et vers. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

§. 2. Angelos lætificant, quibuscum communem Dominum laudibus extollunt Psalmo 137. v. 2. *In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum tuum sanctum, & confitebor nomini tuo.*

§. 3. Cœleste Numen hominibus propitiant & conciliant Iacob. 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

§. 4. Fidelibus defunctis leuamen vel etiam liberationem impetrant. 2. Machab. 12. ver. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

§. 5. Publicis necessitatibus subueniunt. 1. Timoth. 2. v. 1. 2. 3. & 4. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitã agamus, in omni pietate, & castitate. hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

§. 6. Gratias Deo agunt pro pluribus maximisque beneficiis in Ecclesiam collatis, & vt alia conferat, obti-

obtinent. 1. Paralip. 29. v. 10. *sed & Dauid Rex lætatus est gaudio magno. Et benedixit Domino coram vniuersa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum,* & *vers.* 20. *Præcepit autem Dauid vniuersæ Ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde Regem.* Eph. 6. v. 18. 19. 20. *Orantes omni tempore in spiritu & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis* (fidelibus) *& pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui.*

§. Seipsos meritis donisq; spiritalibus augent. *Ioann.* 16. *v.* 23. *Amen Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

§. Munus suum propter quod sunt Clerici & à populo aluntur, explent, vt pro eo deprecentur. *Leui.* 9. *v.* 7. *Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo, cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus. Ioelis* 2. *vers.* 17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes, quare dicunt in populis: Vbi est Deus eorum, Hebræo.* 5. *v.* 1. *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerant dona, & sacrificia.* Quod qui non faciunt bonorum ab Ecclesia acceptorum, quasi raptores sunt, & interuersores, cum in hunc finem Deo & Ecclesiæ oblata sint.

CAP.

CAP. XCVI.

CANONICAS HORAS PER-persoluendi vsus.

§. COgitare debet Clericus, se choris Angelorum interesse (*iuxta Psalmum* 137. *vers.* 2. *In conspectu Angelorum psallam tibi*) & intueri ac obseruare viam ac modum, quo ipsi laudant Deum; vt simili demissione, reuerentia, attentione, pietatis & caritatis ardore & ipse diuinum Numen celebret, & laudibus extollat.

§. Deum precetur, vt ei inspiret rationem, qua laudes & preces diuinas, vt ipsi maximè placet, persoluat; quia ipsi sine ipso placere & seruire non possumus. Rectè S. August. *in Psalm. exponens v.* 4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. Non te*, ait, *laudarent labia mea, nisi me præcederet misericordia tua. Dono tuo te laudo, per misericordiam tuam te laudo. Non enim ego possem laudare Deum, nisi mihi donaret laudare se posse; spiritus adiuuat infirmitatem nostram & postulat* (postulare facit) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Rom. 8. v. 26. Antequam aggrediatur diuinum officium recitare, hæc curanda sunt.

§. Primò. Colligendus est animus & ab omni tumultu tùm negotiorum exteriore, tùm perturbatione, vel sollicitudine interiore seuocandus, vt ejus vires omnes hac vna in re ac pietate occupentur. Id facilè fiet, si ea vigeat apud eum, quæ decet, de negotii hujus præstantia & excellentia, opinio; nam ipse vilis homo coram diuina majestate & cœlesti curia vniuersi omnium hominum salutis causam agit & negotia pertractat. *Ita Abraham Genes.* 18. *v.* 27. *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.*

§. Secundò. Mundities cordis, & morum procuranda

randa & eximia; quippe cùm personam Ecclesiæ, Angelorum, Sanctorumque induat Sacerdos in hoc sanctissimo ministerio, & verbis vtatur etiam, apud diuinam Majestatem, Dei ipsius. Quare breuiter in se inquirat, & maculas peccatorum omnes saltem dolore seu contritione expiet. *Prou. 15. v. 29. Longè est Dominus ab impiis & orationes iustorum exaudiet.* Vt his opituletur, illos ope sua destituat.

§. Tertiò. Finis proponendus est nobilissimus. Neque enim id solùm spectandum est, vt præceptum impleamus, & euitemus peccatum, sed vt medullitùs ac toto pectore (vt de *Dauide* scriptum est *Ecclesiastici c. 47. v. 10. De omni corde suo laudauit Dominum.* Quod & ipse sæpiùs indicat *Psalm. 9. v. 2. & 110. v. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde.*) adoremus ac veneremur diuinam Majestatem. Demum referri & officium debet ad honorem & laudem Angelorum ac Sanctorum potissimùm eorum, quorum Anniuersaria memoria recolitur: Simul ad proximorum vtilitatem, & Ecclesiæ totius salutem, præcipuè illorum, qui in peccatis vel calamitatibus jacent, Principum & Superiorum nostrorum, ac benefactorum. Præterea ad salutem animæ & corporis nostri hic finis, vt majorum sit virium, ad memoriam sæpè reuocandus est.

§. Quartò. Tempus certum & oportunum præsertim ab Ecclesia constitutum & maximè idoneum mordicus obseruandum est, quod nos tempestiuæ lectionis admonebit. *Omnia* siquidem *tempus habent Ecclesiæ. 3. vers. 1. Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat. 1. Thess. 5. Ait S. Hieron. epist. 22. c. 16. & Sanctis etiam sit somnus oratio: tamen diuersas orandi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat, Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoq; & vesperam, nemo est qui nesciat.*

§. Quintò. Locus deligendus est decens, & qui minimè

minimè attentionem impedire, aut animum distrahere possit. *Matth. 6. v. 6. Tu cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.*

§. Sextò. Appareat coram Deo magna cum animi subjectione, reputantis ex vna parte suam vilitatem & abjectionem, ex altera verò rei, quam aggreditur, momentum, Deique excellentiam, quo cum est acturus, quem & initio suppliciter adorabit. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit Eccles. 35. v. 21.*

§. Septimò. Sperare debet, pro Dei benignitate, quæ petit, se impetraturum (*Spes non confundit Rom. 5. v. 4.*) ac Deum precari, vt primùm omnium concedat vim & gratiam attentè, decenter, salutariter sanctissimo huic studio vacandi, aliqua breui precatiuncula animum, veluti præludio, excitando ac præparando.

CAP. XCVII.

QVÆ IN DIVINI OFFICII RECItatione animaduertenda?

§. PRimò. Vt corporis habitus & compositio sit decora & modesta. Cogitemus, ait S. Cyprianus in Explicat. Orationis Dominicæ, nos sub conspectu Dei stare: placendum est diuinis oculis & habitu corporis & modo vocis.

§. Secundò. Verborum pronunciatio sit clara & distincta, vocibus non contractis, aut incisis: deinde sit temperata, procul à nimia festinatione; Postremò pia, simplex, sine ostentatione & levitate & æmulatione, vt videantur nullo modo verba prophana, sed sancta, vt reuera sunt.

§. Tertiò.

§. Tertiò. Curandum, ne quam ob causam negotium hoc sanctissimum interrumpatur aliis vel negotiis vel collocutionibus, jocisque aut gestibus indecoris.

§. Quartò. Adhibenda est deuotio, quæ nihil aliud est, quàm propensio quadam & affectio pia nostræ voluntatis in Deum ex humili & prompto studio eum colendi.

§. Ad quam deuotionem in nobis excitandam prodesse potest. Primò. Eam deuotionem ab omnium bonorum parente & largitore Deo precari. Secundò. Vidisse breuem Psalmorum explicationem. Tertiò. Vivam seruare in animo & magnam opinionem de sacrarum precum excellentia eamque crebrò reuocare. Quartò. Singulis diebus diligenter meditari diuina mysteria & beneficia: semper enim aliqua ejusmodi occurrunt in sacris literis ad ea pertinentia. Quintò. Ardenti studio teneri perfectionis consequendæ: qui enim aliquid ardenter exoptat, ex omnibus rebus aliquid elicit, quo ad suam cupiditatem explendam vtatur. Sextò. Exstimulare identidem nos ipsos nostram socordiam increpando, vel miseriam deplorando. Septimò. Singularum horarum preces ad aliquod pium mysterium applicando, ut diuinæ comprehensioni, ad judices raptationi & accusationi, flagellationi, & condemnationi, crucifixioni, morti, depositioni à cruce, sepulturæ, & id genus alijs.

§. Quintum est attentio omnino necessaria, vna ex tribus; vel materialis, ad distinctam verborum pronunciationem, vel formalis, ad verborum sensum: vel finalis, quæ est veneratio & cultus Dei, & ad hanc postremam præcipuè applicandus est animus. Quamobrem impedimenta remouenda sunt, quæ fere sunt tentationes, ac mentis euagationes, imò ex maxima imbe-

imbecillitate modò ex ingenio nostro, modò ex Dæmonis artibus, interdum etiam ex solicitudine rerum gerendarum, vel jam gestarum memoria. Quibus omnibus prudenter est occurrendum, suo cuiq; modo, & Deo supplicandum, vt nobis suppediter affluenter auxilia sua, quibus hoc illi tributum persoluere quàm cumulatissimè possimus. Ad excitandam fouendamq; deuotionem & attentionem, confert plurimum, in animo suo commouere eos sensus & affectus, quiin verbis exprimuntur, vt laudis diuinæ, gratiarum actionis, venerationis, subjectionis, doloris peccatorum, gaudii, spei, & alios similes. Illud deniq; animaduertendum, cùm sacræ Historiæ vel vitæ narratur eorum, de quibus officium celebratur, attentionem requiri multò majorem.

§. Post officium primò agendæ sunt gratiæ, quòd suas laudes Deus non dedignatus sit nostro ore pronunciari; Secundò, offerendæ sunt Deo nostræ preces. Tertiò. Iterum precandum, vt diuini verbi semina, per sacras Historias in animo nostro sparsa, fructus vberes ferant. Quartò, venia de negligentia petenda est; solent aliqui singulis septem Horis Canonicis aliquem Psalmum pœnitentialem pro suis & alienis recitare peccatis, quod quidem non est necessarium, sed laudabile & fructuosum.

§. Ex his, quæ hactenus de Canonicis Horis, docuimus, luce meridiana clariùs est, impiè illas à Ioanne Wiclefo apud Thomam Waldensem Tom. 3. de Sacramentalibus c. 24. & à Thaboritis Bohemis apud Æneam Syluium de Origine Bohemorum cap. 35. à Martino Luthero libr. extremo de abroganda Missa, improbatas esse. Lupus ouem non ducit vxorem, nec Sectarius sibi jungit pietatem, & quod in se non diligit, in aliis detestatur.

CAP. XCVIII.

DE SACRIFICII HVIVS INSTITVTIONE & fructu.

§. VTrumque explicat Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. *Quoniam sub priori Testamento teste Apostolo Paulo* Heb. 7. v. 11. *propter Leuitici sacerdotii imbecillitatẽ consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedec surgere, Dominũ nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare & ad perfectũ adducere. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repræsentaretur; eiusq; memoriam finem vsq; sæculi permaneret, atq; illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedec se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub eorundem rerum Symbolis Apostolis, quos tum noui Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem: vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit, nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitq; de potestate tenebrarum & in regnum*

Christus Sacerdos necessarius.

Christus Sacerdotium æternum Heb 9. v. 11.

Cur Eucharistiæ sacrificium institutum.

Christus in vltima cœna sacrificauit.

Apostoli in cœna Sacerdotes creati.

A Christo sacrificandi mandatum datum.

regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obscurè innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit: Non posse eos, qui participationem mensæ Dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam altare vtrobiq; intelligens. Hæc deniq; illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur, vtpote quæ bona omnia, per illa significantia, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Sacrificatium malitia ipsos cõtaminat, non sacrificium. Apostolus Missæ sacrificium insinuat.

§. Cap. 2. Et quoniam in diuino hoc sacrificio quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit. Vna enim eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc vberrime percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur, Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis & satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem offertur.

Idem Saluator in cruce & Missa immolatus.

Fructus missæ sacrificii.

Minuta peccata condonantur & ad grandia delenda pœnitentiæ gratia tribuitur.

Sacrificio Missæ suppliciũ & viuis & defunctis remittitur.

CAP. XCIX.

MISSÆ SACRIFICIO, VT PRÆCIPUO latriæ cultu, honoratur Deus.

Ecclesiastici quotidie sacris intersint

§. CLerici quidem Concilij primi Toletani præcepto can. 5. astringuntur, vt diuino quotidie intersint Sacrificio, vt tamen majori Sacri audiendi studio exardescant, imò & ejus faciendi ardentiori flagrent desiderio, lætissimi & vberrimi ejus fructus silentio inuoluendi & obruendi non sunt.

Missa præcipuus Dei cultus.

§. Itaq; illud animo altè reponendum, hoc sacrificium ad vni Deo debitam seruitutem & cultum exhibendum pertinere, vt affirmat S. August. lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. quo illi latria & supremus honor tribuitur. De quo *Alexander Martyr & V. à D. Petro Romanus Pontifex epistola sua prima: Nihil,* inquit, *in Sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est: sed omnes hæc præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda atq; ab hominibus veneranda, & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Et habetur de consecrat. can. 6. Nihil. dist. 2.* Offertur enim hic Deo infinitæ dignitatis victima vnigenitus Dei Filius in quo ipsi summè complacuit, & ab eodem offertur per Sacerdotum ministerium.

Eucharistia casto puroq; animo offerenda, sumenda, & summè honoranda.

§. De quo tanto honore quasi congratulans sibi Deus, ait *Malach. 1. v. 11. Ab ortu Solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. S. Irenæus lib. 4. contra hær. c. 32. Nomen meum glorificatur inter gentes, & nomini meo offertur sacrificium purum.* Meritissimum igitur summumque hoc sacrificio honorem Deo præstent, qui ait, *Ego Dominus*

Deum Missæ sacrificio honorantes terrenis sæpè, at semper spiritalib. & cœlestibus bonis honestantur.

minus gloriam meam alteri non dabo Isa. 42. v. 8. Et *Malach. 1. v. 6. Si pater ego sum, vbi est honor meus? 1. Reg. 2. vers. 30. Quicunq; honorificauerit me glorificabo eum.*

CAP. C.

MISSÆ SACRIFICIVM EST EVCHARISTICVM, quo meritæ pro beneficiis gratiarum actiones Deo persoluuntur.

§. EST sacrificium laudis, & gratiarum actionis, quo pro acceptis à Deo ingentibus & innumeris beneficiis gratiæ non solum aguntur, sed & referuntur. Valde sollicitus fuit vterque Tobias cap. 12. quid Angelo Raphaëli, quem hominem suspicabantur, pro collatis referrent beneficiis. Similiter Dauid Psal. 115. v. 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et vel maximè hac in solicitudine esse debent Christiani, quibus plura & majora à Deo sunt præstita beneficia, quibus & dicitur Ephes. 5. v. 20. *Gratias agentes, semper pro omnibus* (gratiis, donis, beneficiis) *in nomine Domini nostri Iesu Christi* (id est, per Christum, qui ea beneficia promeritus est, & obtinuit) *Deo & Patri.* Et 1. Thess. 5. v. 18. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei, in Christo Iesu in omnibus vobis.*

Dei Filius cunctis Dei donis præstantior in gratiarum actionem offertur.

Gratitudinis exactor Deus.

§. Quid ergo faciemus, vt nos gratias Deo exhibeamus? Inter alia potissimum est, vt quotidie corporis & sanguinis Christi Domini sacrificium, vel celebrando vel minimùm audiendo Deo offeramus. De quo *S. Iren. lib. 4. aduersus hæres. cap. 32. Christus*, ait, *noui Testamenti nouam corporis & sanguinis sui discipulos suos oblationem docuit, ne essent infructuosi & ingrati, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo. S. August. libr. 1. contra aduers. legis & Proph. cap. 19. exponens Psalm. 49. v. 23. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo*

Maxima gratiarum actio corporis & sanguinis Christi sacrificatio.

Ecclesia ab Apostolis docta vbique sacrificat.

ostendam illi salutare Dei. Hoc, inquit, salutare Dei est ipse Christus. Quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Iesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum. S. Iustinus Philosophus & Martyr in dialogo cum Tryphone. A nemine, inquit, Deus victimas nisi per Sacerdotes suos accipit. Vnde certò constat, quod huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, Eucharistiam panis & poculi, vbicunq; terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, ea grata sibi esse testetur. Et Apolog. 2. vbi desitum à precibus, offertur Antistiti frustum panis, & calix aquæ & vini diluti, atque ita is capiens laudem, & gloriam Patri omnium rerum, per nomen Filii & Spiritus sancti enunciat, offert, pariterq; benedictionem in longum facit.

Gratiarum actio in Ecclesiæ sacrificio.

§. Gratè igitur & meritò hoc diuinæ laudationis & gratiarum actionis sacrificium quotidiè audiant & offerant, qui quotidiè tot donis & muneribus à Deo cumulantur.

CAP. CI.

MISSÆ SACRIFICIVM EST HILASTIRIUM seu propitiatorium, quo offensus placatur & conciliatur Deus.

Saluator in cruentum & cruentum, in remissionem peccatorum nostrorum, Deo obtulit sacrificium. Ad obtinendam peccatorii veniã Sancti sacrificarunt.

§. EST piaculare & Deum propitians Sacrificium. Omnis enim Pontifex constitutus, vt offerat dona & sacrificia pro peccato Heb. 5. v. 1. quare & Christus Dominus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech Psalm. 109. offerens hoc in vltima cœna Sacrificium dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum. Vnde hæc SS. Patrum dicta S. Iacobi in Lyturgia: Offerimus tibi

tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis populi. S. Iustinus in dialogo cum Tryphone: Eucharistia offertur pro expiatione peccatorum. Orig. homil. 13. in Leuit. Ista est commemoratio sola (qua Christus jussit Eucharistiam confici in sui memoriam Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24.) *qua propitium facit Deum hominibus. S. Athanasius in serm. pro defunct. apud Damascenum: Incruentæ ait hostiæ oblatio, propitiatio est. Basil. in Liturgia, Effice nos dignos, qui offeramus hoc sacrificium reuerendum ad abolenda delicta nostra, & propiaculo populi tui. Chrys. in Liturgia. Idoneos nos redde, ad offerenda tibi sacrificia pro peccatis nostris & populi ignorantiis.* Qui idem *Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio: Sacerdos,* inquit, *pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq; est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modo, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat. Alexander* Primus Pontifex *& Martyr epistola 1. ad omnes orthodoxos c. 4. Crimina atq; peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur,* Et iterum. Talibus hostiis delectabitur & placabitur, *& peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis maius esse potest quam corpus & sanguis Christi. S. August. quæst. 57. in Leuit. Illis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remisso peccatorum.* Et *serm. 11. de Sanctis, qui est 4. de Innocentibus. Ibi, in altari, pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. S. Gregor. libr. 4. dialog. c. 58. Hæc victima singulariter ab æterno interitu animam saluat.*

Missæ sacrificio tribuitur peccatorum impunitas & animæ salus.

§. Cum igitur hoc salutari sacrificio venialia peccata condonentur, & ad mortalia confessione dolenda contritio tribuatur, & ad eadem vitanda gratia concedatur, qui omni die multijuges culpas contrahunt, rectè etiam hoc sacrificio eas omni die audiendo vel faciendo expiant, vbi est Christus propitiatio pro peccatis nostris.

Qua ratione Missæ sacrificio peccata condonentur.

CAP. CII.

MISSAE SACRIFICIVM EST EXorans, & quælibet à Deo beneficia impetrans.

§. EST hoc sacrificium efficacissimum vel ad calamitates & miserias depellendas vel ad bona impetranda, & quæuis à Deo beneficia obtinenda. Istud ex Liturgiis SS. Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi manifestum est, vbi inter offerendum jubemur precari pro pace, copia fructuum & alijs temporalibus beneficiis.

Pro quibuscunq; bonis à Deo obtinendis sit missa sacrificium.

§. S. Dionys. Areopag. de Eccles. hierarchia cap. 3. disertè ait, *in Missa litari hostiam salutarem.* Chrysost. hom. 77. *in Ioannem, pro infirmis, & terræ & maris & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* S. Cyrill. Ieros. catech. 5. mystagogica: *Postquam confectum est spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum, pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui indigent auxilio. Indigemus autem omnes.*

Dæmonum nocumenta missa pelluntur.

§. Noxiam malignorum spirituum vexationem Missæ sacrificio sublatam scribit S. August. libr. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. Idem B. Augustin. qui pro matre sua Monica defuncta, vt illa perierat, sacrificium pretii nostri offerri curauit. *lib. 9. Conf. c. 11. & 12. Orationibus,* inquit, *sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.* Hæc ille *serm. 34. de verbis Apostoli.*

Vniuersa ecclesia pro defunctis liberandis celebrat.

Et S. Chrysost. *hom. 3. in epistolam ad Philip. Non frustra,* inquit,

quit, *ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui discesserunt. Nouerunt multum illis hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.* Quod habēt & hom. 69. ad Antioch.

§. Qui ergo sibi temporalia, spiritalia, & cœlestia quotidiè optant bona, suisque amicis in Christo defunctis requiem, lucem, ac beatitudinem obtinere cupiunt sempiternam, sacratissimum & augustissimum hoc sacrificium quotidie adire non morentur, est enim perennis vniuersorum bonorum scaturigo.

§. Ex his verò quæ cap. 98. huc vsque docuimus pius prudensque Lector intelligit Sacrificium Missæ à Christo Domino institutum, ab Apostolis traditum, ab eorum successoribus vsurpatum, ab omni Christiano orbe pro vero ac propitiatorio sacrificio habitum, adeò euidens ac perspicuum est, vt veritate compulsus ipse fateatur *Lutherus lib. de captiu. Babylon. cap. 1. Missa creditur passim esse Sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, tantusq; vsus per orbem constanter obseruatus.* Et infra: *Nec moueat, quod totus orbis contrarium & sensum & vsum habet.* Et initio libri de abroganda Missa, *Magnum est*, inquit, *certè tot sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui tantorumq; autoritati reluctari.* Vbi & sibi ipsemet obiicit: *Tu solus sapis? totne errant vniuersi? tanta secula ignorauerunt?* significans se vnum contra Christianum orbem dimicare. Sed benè habet, quod non celauerit suum Magistrum à quo hæc didicerit: nam in libro dé Missa priuata & vnctione Sacerdotum Anno 1534. edito, confitetur se à Diabolo edoctum & persuasum, Missam esse summam abominationē, idq; nō per somnum & quietem, sed palàm dum vigilaret. *Caluinus etiam lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. Pestilentissimo*, inquit, *errore Satan totum penè orbem obcæcauit, vt crederet Missam Sacrificium & oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum.* Et paulo post:

In vniuerso Christiano orbe fideles constanter crediderunt Missam esse sacrificium.

Tollenda Missæ auctor Dæmon.

Qui solus sapit, nec quicquam sapit.

Congredi me Lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus & eius Prophetæ totum orbem imbuerunt. Et infra f. 18. *Hæc sententia quod Missa sit sacrificium, inebriauit omnes Reges terræ & populos à summo vsq; ad nouissimum.* Ecce Lector: *Ismael homo ferus manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, Gen. 16. v. 12.*

CAP. CIII.

MAXIMA SACRIS RELIGIONE adesse debent.

§. QVanta verò demissione, reuerentia, ac pietate tremendis his mysteriis p̃sentes esse debeãt potius ab Angelis discant quàm hominib. *Per id tempus,* ait *Ioannes Chrysostomus lib. 6. de Sacerd. & Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tacito illo sacrificio, quod tum peragitur.* Fulgentibus vestibus induti, capite inclinati, veluti milites præsente Rege stant, altare circundant. Et *hom. 1. de verbis Isaiæ cap. 6. Vidi Dominum. Non cogitas, quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ cumq; reuerentia hanc circumuallant?* Et *hom. 3. de incomprehen. Dei natura: Tempore illo mi frater carissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaq; ipsum corpus Domini protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu ita dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, & animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipsis tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.*

§. *S. Nilus*

§. S. Nilus epistola ad Anast. Episcopum tom. 3. Bibl. SS. Patrum, sæpè vidit in Ecclesia S. Ioannes Chrys. Angelos, sed maximè tempore sacrificii: itaq; admiratione, & lætitia plenus, amicis multum spiritalibus seorsum narrabat quemadmodum, cum Sacerdos sanctam oblationem facere inciperet, plurimi Angeli è cœlo lapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso circumstantes altare magna reuerentia, quiete ac silentio vsq; ad mysterii consummationem assisterent: deinde discurrentes huc atq; illuc per totam Ecclesiam Episcopos ac Presbyteros, qui corpus ac sanguinem distribuunt, adiuuant & corroborant. Hæc scribo, vt intelligentes, quanti timoris sit diuina Missa, nec ipsi remissi timorem Dei negligatis, nec vllos alios loqui aut mussitare tempore oblationis, neq; innuere audacter, aut à statu grauitatis demoueri, neq; huc atq; illuc circumspicere, aut ignauè & dispersè nugari permittatis, dicit enim Dominus Moysi, ac per eum omnibus Sacerdotibus. Facite filios Dei reuerentes & non contemptores.

CAP. CIV.

FREQVENS COMMVNIO vtilissima.

§. QVotidianæ Sacri auditioni crebram adjungant communionem Conc. Trident. sess. 22. cap. 6. Optarat sacrosancta Synodus, inquit, vt in singulis Missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi huius sacrificii fructus vberior proueniret. Si hoc optat in Laicis quanto magis in Clericis. Sanè id Apostolorum tempore moris fuit. Vnde & S. Clemens lib. 2. Apostolicarum Const. c. 61. Postquam oblatum fuerit sacrificium accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus & pretiosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore tanquam ad regis corpus accedentes. Mulieres quoq; velato capite, &c.

§. Sacræ

§. Sacræ communionis diuturnior intermiſſio periculoſa eſt & noxia. Cum n. maxima ſit hominis imbecillitas, & ad peccandum pronitas permagna etiam hoſtium mundi, carnis, dæmonis, vis, & potentia, & inſatiabilis perdendi homines libido & cupiditas, diuiniſſimum vero Euchariſtiæ Sacramentum homini vires roburque ſpiritale addat, & inimicis adimat, accuſabilis puniendaq; ſegnities eſt, tantum ſalutis præſidium negligere, ſeipſum in diſcrimen adducere, & inermem armatis hoſtibus prodere. *Paraſti*, inquit *Dauid Pſalm. 22. v. 5. in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Et *Pſalm. 101. v. 5. Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. In Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit*, ait *S. Auguſt. ſermon. 1. de tempore*, imo id affirmat *Salvator Ioan. 6. v. 51. Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Et v. 58. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vt autem vita corporis diu conſeruari non poteſt ſine cibo, ita nec animæ vita ſine Euchariſtia, quo pertinet illa Domini comminatio. *Ioan. 6. v. 53. Niſi manducaueritis carnem filii hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

§. Sicut prima gratia neceſſaria eſt ad ſalutem, ſic etiam perſeuerantia in gratia, & proinde quemadmodum ad conferendam primam gratiam, baptiſmus, & ad amiſſam recuperandam, Pœnitentiæ Sacramentum, ita ad eam retinendam & confirmandam, atque augendã Euchariſtiam Saluator inſtituit. In hac tamẽ gratiæ perſeuerantia duo ſunt, alterum ex parte Dei auxilia gratiæ actualis, quibus homo excitatur & juuatur ad cauenda peccata, & ſeruanda præcepta conferentis, alterum ex parte hominis nempe cooperatio liberi arbitrii cum actualibus auxiliis. Vnde ſicut illa diuina excitamenta & adjumenta ſemper prompta paratáq; ex Euchariſtiæ perceptione homini ſunt, vt perſe-

perseuerare possit, ita si cum iis operari continuet, vel negligat, ex perseuerantia excidet.

§. Atque hæc cum Deo agendi socordia, est caussa cur aliqui sæpiusculè Eucharistiam percipientes vitam non emendent, & in pristina recidant, ac relabantur peccata. Quod ipsum confirmat & *S. Ioannes Chrysost. hom. 24. in prioris Corinthiacæ cap. 10. Quemadmodum*, ait, *frigida accessio* (febris) *periculosa est, ita nulla mysticæ illius cænæ participatio, pestis est & interitus. Ipsa namq; mensa animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Ergo animus diuinam omittens communionem obscuratur, eneruatur, labitur, perit.

CAP. CV.

VNDE DIVINAE SYNAXIS prætermissio.

§. PRocrastinatæ verò & omissæ S. Communionis caussæ potissimum duæ, altera vitæ licentia & dissolutio, & inde timor ne ad damnationem sumatur, altera immoderata caducarum rerum cupiditas & sollicitudo, dum pluris fit præsentium rerum vitrum quam æternorum bonorum margaritum. Nam inanem illam excusationem & vanum prætextum, quo quidam ajunt se à diuina communione abstinere, vt se sanctius ad illam comparent, clarissimè retellit, *S. Cyrillus Alex. libr. 3. in Ioannem cap. 37. Recusatio*, inquit, *huiusmodi, quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit, quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis magna fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt Diaboli multiplicesq; ad decipiendum insidiæ. Nam primum ad vitandum turpiter inducit, deinde cum malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Christi gloria persuadet, quæ possint à turpitudine voluptatum.*

Diuturnior à sacra communione abstinentia & periculum creat & offendiculum.

voluptatis quasi ab ebrietate reuocare. Saluberrima & altissimè menti infigenda est illa S. Ioannis Chrysosto. sententia *hom.*83. *in Matth. &* 60. *ad Antiochenos. Vnus sit dolor*, ait, *vna mœstitia, si hoc alimento spiritali priuamur.* Optimum est consilium *S. Ambrosii lib.* 5. *de Sacramentis cap.*4. *& B. August. serm.*28. *de verb. Domini: Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie mereari accipere.*

CAP. CVI.

DE SPIRITALI SYNAXI:

§. QVando Missæ Sacrificio intersunt, nec tamen reipsa Eucharistiam accipiunt, spiritalem communionem non prætermittant.

Quid sit spiritalis communio.

§. *Est autem spiritalis communio pius affectus & ardens sumendæ Eucharistiæ desiderium eorum, vt ait Concil. Trident. sess.* 13. *c.* 8. *qui voto propositum illum panem cœlestem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, Gal.* 5. *fructum eius & vtilitatem sentiunt. Potest enim effectus Sacramenti*, vt ait *S. Thom.*3. *part. q.*80. *art.*1. *ad* 3. *ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamuis non accipiat in re.*

Iustus spiritaliter communicans.

§. Cum autem hoc desiderium ex viua fide proficisci debeat, est necessarium vt spiritaliter communicaturus, sit in gratia, aut ad hanc consequendam in se contritionem excitet.

§. Tale desiderium fuit in Christo Domino *Luc.*22. *cap.*15. antequam reipsa Eucharistiam sumeret *desiderio*, inquit, *desideraui hoc Pascha* (nouæ legis Eucharistiam) *manducare vobiscum, antequam patiar.*

Communicandi efficax voluntas Deo vide probatur, cum non est commoditas.

§. Quod pium sanctumq; percipiendæ Eucharistiæ desiderium, cum facultas deest, vel oportunitas, quātopere Deo placeat multis ipse miraculis demonstrauit. Neophytus cernens alios communicantes, nec sibi id adhuc licere ingemiscens sensit diuinitus V. Sacramentum in os suum ingredi, q; & aliis ostendit, vt refert

fert Cæsarius l.9.Miracul.c.37. B.Raymundo in sacrificio diuinâ hostiâ fragenti ipse Saluator vnâ particulâ sustulit & sponsæ suæ S.Catharinæ Senensi sacram Synaxin peroptanti impertiuit. Testis S. Antoninus 3.p. Chronicon. tit.23. c.14. §.8. S. Franciscus Bartholomæo Cajetano, ex trabis ruina conquassato & communionem vehementer discupienti noctu apparuit agniculum ad vbera gestans & dicens: Hic est agnus quem tibi dari petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti: cujus etiam virtute consequeris vtriusq; hominis sospitatem, quod & mox contigit S. Bonau. in vita D. Francisci.

§. *Iob.31.31. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur? vbi S.Chrysost. Insanum amorem, quo serui illum prosequebantur, ostendit. Sic, inquit, mihi dediti erant, & affixi, vt vel carnib. expleri cuperent, ipsos in eos artus absorbere ac deuorare peroptarent.* Tale debet esse ex ardentissimo erga Christum sponsum animæ sponsæ desiderium, vt illum spiritaliter percipiat, & cum ipso hujus diuinissimi sacramenti fructus vberrimos. Quod præclarè docet *Ioannes Chrys.hom.45.in Ioannem. Vt non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum n. suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc n. amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Ab illa igitur mensa tanquam leones ignem spirantes surgamus Diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præ se tulit charitatem. Parentes sæpenumero liberos suos*

Quale quantumq; desiderium spiritualiter communicantis.

Amor & desiderium Christi erga nos.

Christi erga nos caritas meditanda.

suos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne alo, me his exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Et rursus idem aureum os *hom. 24. in cap. 10. prioris Corint. In cœlum namq; corpus ipsum extulit, quod etiam nobis exhibuit, & vt teneremus & manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu petimus. Quare Iob vt seruorum in se amorem ostenderet dicebat, illos sæpenumero nimio in se amore dixisse: Quis det de carnibus eius, vt saturemur? ita & Christus suam carnem dedit nobis, vt ea saturemur: quo nos in plurimum sui amorem allexit. Ad eum igitur cum feruore accedamus, & dilectione quam vehementissima, ne grauius subeamus supplicium. Quanto enim maius beneficium accipimus, tanto magis puniemur, quando eo indigni apparebimus.* Hactenus D. Ioann. Chrysostomus.

Vt matres infantulos suos hianti ore morsicãt nec alienum illud, 2. Corintb. 6. v. 11.

CAPVT CVII.

QVAM PERNICIOSVM SIT SAcerdotem non sacrificare.

§. QVi Sacerdotes fuerint interesse non contenti, crebro sacris operentur. Est enim juge sacrificium, Daniel. 12. v. 11. quia jugiter & quotidiè offerendum est. Synodus Trident. sess. 23. cap. 14. Curet Episcopus, ait, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis & Festis solennibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter vt muneri suo satisfaciant, Missas celebrent.

§. Sacrum vero intermittens Sacerdos legitimè non impeditus plurimis se aliosque bonis priuat. *Docet id Ecclesiæ Doctor S. Bonauentura lib. de præpar. ad Missam cap. 5. Cùm Sacerdos est absq; mortali peccato, & in proposito bono non habens impedimentum; & non ex reuerèntia, sed ex negligentia celebrare omittit: tunc quantum in ipso est,* 1. priuat

nat Trinitatem laude & gloria. 2. Angelos lætitia. 3. peccatores venia. 4. iustos subsidio, & gratia. 5. in purgatorio existentes refrigerio. 6. Ecclesiam Christi spirituali beneficio. 7. & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius, si, quoties cunq; effunditur sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Item priuat se omnibus talibus prouenientibus ex sacra communione, quæ sunt, 8. peccatorum remissio. 9. fomitis mitigatio. 10. mentis illuminatio. 11. interior refectio. 12. Christi & corporis eius mystici incorporatio. 13. virtutum roboratio. 14. contra Diabolum armatio. 15. fidei certitudo. 16. spei eleuatio. 17. caritatis excitatio. 18. deuotionis augmentatio, & 19. Angelorum conuiuatio, &c. 20. Item abiicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis: quia, nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrũ, ad q̃ non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. 21. Vltimo, quantum in se est, euacuat diuinum cultum, & latriam creatori debitam, ingratus de beneficiis. Vnde dicitur. Si quis mundus est, scilicet à peccato mortali, & in itinere non fuerit, scil. aliter impeditus & non fecit phase, anima illa de populo suo exterminabitur, quia sacrificium non obtulit Deo Domino tẽpore suo. Ergo, quãtum potes, toto conatu per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem, & deuotionis flammam, expelle à te omnem teporem, & negligentiam, ne inueniaris respuere tantorum charismatum dona.

CAP. CVIII.

INVITAMENTA AD SACRIFICANDUM.

§. SVnt & quam plurima alia rerum momenta, quibus ad frequenter celebrandũ, si ponderauerint, inducentur. *Ingratus in Christum presbyter sacris raro ter operans.*

§. 1. Rara sacrificatio ingrati animi crimen est, cum

Christus Dominus Sacerdotibus mandauerit, vt in suorum beneficiorum, ac præsertim suæ sacratissimæ passionis jugem recordationem illud sacrificium offerant, de quo *Concil. Trident. sess. 22. cap. 1.* inquit, *Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac Apostolis quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumq; in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem* Luca 22. 1. Corinth. 11. *vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.*

Rarò celebrans Sacerdos suo non satisfacit muneri.

§. 2. Eo fine Sacerdos creatur, & id præcipuum ejus munus est, vt sanctissimam Eucharistiæ victimam immolet Deo. Quod munus tale tantumque est, vt non modo verbis explicari nequeat, sed nec mente comprehendi.

Missa sacrificium horrore & honore afficiendum.

§. Quod præclarè *S. Ioannes Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio docet*, ajens, *Cum ille, & spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore & reuerentia plenissimum perfecerit, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim, quales manus illas administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat: qua demiq; re non puriorem sanctioremq; esse conueniat animam, quæ tantum illum tanque dignum spiritum receperit.*

§. Necessitatem sacrificandi explanans Scholasticorum Doctorum Princeps *S. Thomas 3. part. q. 82. art. 1. Vnusquisq; vero*, ait, *tenetur vti gratia sibidata, cum fuerit oportunũ: secundùm illud 2. Cor. 6. v. 1. Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. oportunitas autem sacrificium illud offerendi non solum attenditur, per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter, per comparationem ad Deum, cui consecratione huius Sacramenti, sacrificium offertur. Vnde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omninò a celebratione cessare:*

Sed

Sed salt. mi videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis & maximè in illis diebus, in quib. fideles communicare consueuerunt. Et hinc est quod 2. Mach. 4. v. 14. contra quo sdam Sacerdotes dicitur: quod iam non circa altaris officia dediti erant contempto templo & sacrificiis neglectis. Ista S. Thomas.

§. 3. Talis tantaq; dignitas & gratia ordinatione Sacerdotibus data, quam ne negligant, hortatur Apostolus 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et sane magna ve cordia vel so cordia est sine causa excellentissimæ & perfectissimæ hujus potestatis, quæ nec Angelis concessa est, vsu & amplissimo ac saluberrimo hujus diuinissimi sacrificii fructu semetipsum multo tempore & alios spoliare.

CAP. CIX.

EXEMPLA CREBERRIME sacrificantium.

§. Diuinam hanc hostiam diebus singulis litabat S. Andreas Apostolus, vt in ejus passione narrant Presbyteri & Diaconi Achaiæ. *Ego*, inquit Ageæ Proconsuli, *omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie in altari crucis sacrifico, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit & sanguinem eius biberit, Agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuus.* Quem morem & alios Apostolos & Christi discipulos tenuisse credibile est, si enim primi Christiani omni die communicabant, Actor. 2. v. 42. 46. quanto magis illi sacrificabant? Hirtacus Æthiopiæ Rex S. Matthæum Apostolum ad altare mysterium celebrantem jussit occidi.

Sacris quotidie operatur S. Andreas.

Diuinus panis sumitur, non consumitur.

Apostoli in sacrificiis assidui.

§. S. Hyppolitus Episcopus & Martyr oratione de Antichristo scribit Christum in die judicii dicturum: *Vnite Pontifices, qui pretiosum corpus meum quotidie immolastis.*

Apostolorum successores episcopi & presbyteri in diuino sacrificio celebrãdo perpetui.

Dolor Sanctorum à sacrificando prohibitorum.

lastis. S. Cyprianus epistola 54. data ad Cornelium Papam totius Africanæ Synodi nomine: *Sacerdotes Dei*, ait, *Dei sacrificia quotidie celebramus. S. Cyprianus epist. 77. siue lib. 3. epistol. 25.* consolatur Episcopos & Presbyteros quod vinctis non liceat diuina Deo sacrificia offerre, tantum in illis erat sacrificandi desiderium, vt hoc viro possim omnem mœrorem abstergere.

§. *S. Chrysostomus hom. 17. in epistol. ad Hebr. Offerimus quotidie vnam eandemque hostiam in recordationem mortis Christi, quam ipse obtulit.* Idem B. *Chrysost. hom. 13. in epist. Ephes.* quotidianam suo tempore oblationem fieri solitam affirmat. Et S. Hieron. in cap. 1. Titianæ epistolæ dicit, Sacerdotes quotidie pro peccatis populi ac suis sacrificare. *Amphilochius in vita S. Basilii. Deo per singulos dies sacrificabat. S. Augustin. epist. 23. Immolatus est Christus semel in semetipso, & tamen in sacramento omni die populis immolatur.* S. Ambrosius quotidie sacrificium summa præuia animi præparatione celebrauit. Hinc ipse 1. precatione ante Missam. *Rogo te Domine per ipsum Sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atq; vnius tuæ summæq; diuinitatis participes efficimur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita vt hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita.* Et idem ostendit epistola 33. ad Marcellinam sororem, vt Baron. Anno 374. etiam affirmat. *S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 58. Debemus præsens sæculum tota mente contemnere quotidiana Dominicæ lachrymarum sacrificia, quotidianas carnes eius & sanguinis hostias immolare, &c.*

CAP.

CAP. CX.

ALIA QVOTIDIE CELEBRANtium exempla.

§. NArrat historiam S. Gregor. homil. 37. in Euangelio Multi, inquit, fratres charissimi Cassium Narniensis vrbis Episcopum nouerunt: cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat, in eleemosynis tribuens cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam & exitū à quodā venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus referente cognoui. Aiebat enim quod quadam nocte eius presbytero per visum Dominus astitit dicens: Vade & dic Episcopo: Age quod agis: operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam, sed & secunda vice à Domino admonitus, tertia etiam vapulauit, & sic oraculi verba Episcopo indicauit. Quibus auditis, Episcopus se in orationem cum magna cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium, ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine, ad horam nonam vsque protelauit. Atq; ex illo iam die magis magisq; aucta sunt ei lucra pietatis. Factusq; est tàm fortis in opere, quàm certus ex munere: quippe qui eum cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cœperat habere debitorem. Et ecce anno septimo vsque ad exspectati natalis sacras vigilias incolumis peruenit, sed leuis hunc in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se expectantibus Missarum solennia implere se posse recusauit. Illi vero qui de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese vnanimiter astringentes, vt die eodem nequaquam acquiescerent Missarum so-

Quotidianæ sanctitatis studium cū quotidiano sacrificio iungendum.

Probat & commendat assiduissimū sacrificium Christus.

Oracula certa sed abstrusa.

solennia celebrari nisi pro eis apud Dominum idem Antistes sum intercessor accederet. Tum ille compulsus in Episcopii oratorio missas fecit, & manu sua corpus Dominicum pacemq; omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto ad lectulum rediit, ibiq; iacens dum sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale vltimum dicens, de seruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se vniri prædicabat. Cum subito inter ipsa sancta exhortationis verba, voce terribili clamauit dicens. Hora est. Moxq; assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso spiritum emisit, sicq; sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens à carnis corruptione soluta est. Quem fratres charissimi, quem vir iste in morte sua est imitatus, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim hora est, de corpore exiit, quia & Iesus peractis omnibus, cùm dixisset consummatum est, inclinato capite tradidit spiritum. Quod ergo Dominus ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidiana hostia. illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio, quantam cum Rege veniente gratiæ pacem fecit. De eodem S. Cassiodorus refert B. Gregor. libr. 3. dialog. cap. 6. quod Regis Totilę enſiferum oratione facta, signo crucis à Dæmone liberauit. Discat Sacerdos isto exemplo quæ sit optima ad frequens sacrum & incertam mortem præparatio.

Quotidiani sacrificii eleemosynæ & lachrymationis fructus.

§. *S. Vuolphelmus Glabacensis Abbas vnicam nostræ salutis hostiam singulis diebus immolabat, nec in itinere prætermisit.* Surius in ejus vita 22. Aprilis. *S. Hermelandus Abbas Antrensis sacerdotio initiatus, tanta erga sacrum illud ministerium animi deuotione ferebatur, vt quotidianum Deo sacrificiũ studiose offerens seipsũ pariter maceratione sui corporis hostiã vinũ eidẽ præpotenti Domino exhiberet.* Sur. 25. Mart. *De S. Goare Presbytero in eius vita apud Surium 6. Iul. l. 1. cap. 3. Erat eius solennis consuetudo, vt omni die sacrificium corporis & sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret.*

§. *S. Hu-*

§. *S. Guduualdus Archiepiscopus, vt est in eius vita apud Surium 6. Iulii, solebat Missas assiduè celebrare, & ad id ieiuniis, vigiliis, precibus, & magna sepuritate præparare, descendere ad eum Angeli sancti, & vnà cum illo laudes deprompsere Deo ingenti reuerentia.*

§. *S. Thomas Aquinas Angelicus, Doctor aduersa valetudine non impeditus quotidiè sacrificium Missæ obtulit, & alterius Sacerdotis sacro interfuit, cui vt plurimùm inseruiebat, sub ipso autem sacrificio tanti Sacramenti amore ebrius, non rarò in eum rapiebatur, totus lachrymis perfusus. In vita illius apud Surium 7. Martii.* Habent Theologi præcellentissimum Doctorem, quē crebrò & piè celebrando æmulentur.

§. *S. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, vt in eius vita scripsit Bernardus Iustinianus cap. 9. apud Surium 8. Ianuar. ex quo die factus est Sacerdos in singulos dies, nisi morbo prohiberetur, sacris operabatur. Solebat enim dicere: Quod qui cum posset Domino suo frui, non frueretur, facilè se declaret Domini sui curam non habere.*

§. Qui ergo hoc juge sacrificium tanquam solem è mūdo tollere frustrà conantur, nonne Antichristi sunt anteambulones censendi? Antichristus enim juxta S. Danielis vaticinium cap. 8. v. 12. 13. cap. 11. v. 31. cap. 12. v. 11. juge auferet sacrificium.

§. Ego verò hic mihi gaudeo & omnibus societatis Iesu Sacerdotibus quotidiè rem diuinam facientibus congratulor, ad quod suaue jugum & leue onus hac lege astringuntur: Ita viuere studeant, vt quotidiè merito celebrare possint: ad quod conducet sæpiùs in hebdomade confiteri. Vtrumq; ab omnibus diligenter & religiosè præstatur. Quod & alii religiosi Ordines & pii Sacerdotes præstant, *quibus sapientibus* (absit inuidia verbo) occasionem dedit B. Pater noster Ignatius, *& addita est illis sapientia. Prouerb. 9. vers. 9.*

CAP. CXI.

PVRA MENTE ET CONSCIENTIA ad diuinissimam Eucharistiam accedendum.

§. HOc tamen ter sanctissimum sacrificium non nisi incorrupta mente & puro corde faciant, cum etiam ex hoc diuinissimo Sacramento indignè participantes judicium sibi & damnationem manducent & bibant & rei fiant corporis & sanguinis Domini, vt constanter affirmat Apostolus 1. Cor. 11. quanto igitur magis cum in reatum & supplicium incidunt impii Sacerdotes & consecrantes, & sumentes & sibi ac aliis administrantes. Proinde nec dubia cohscientia Sacris operandum, sed prius adhibenda Confessio *Concil. Trid. sess. 13. c. 17. Sinon decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè: certè quo magis Sanctitas, & diuinitas cœlestis Eucharistiæ Sacramenti viro Christiano comperta est; eo diligentius cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolũ legamus* 1. Cor. 11. v. 28. *Qui manduca & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet seipsum homo,* 1. Corinth. 11. v. 28. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absq; præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus etiamab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit; modo non desit illa copia confessoris. Quod si necessitate vrgente, Sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.*

Eximia submissione, puritate, & virtute ad Eucharistiã accedendum.

Nulli mortifero scelere alligato sine præuia confessione communicandum.

In graui necessitate quid Sacerdoti agendum.

fiteatur. Et rursus sess. 22. ante Reformationis capita eadem Tridentina Synodus. *Quanta,* inquit, *cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quiuis facilè existimare poterit, qui cogitarit, Maledictum eum in sacris litteris vocari, qui facit opus Dei negligenter.* Hierem. 49. *Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: Satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia & puritate, atq; exteriori deuotionis ac pietatis specie, peragatur.*

Diuinum missæ sacrificiū maxima religione peragendum

Nullum missæ sacrificio diuinius opus.

§. *S. Ambrosius lib. 1. de Offic. c. 50.* citans illud Exod. 19. v. 10. & Leuit. 14. vers. 47. *Et lauabat vestimenta sua. Si in figura,* ait, *tanta obseruantia, quanta in veritate? Discе, Sacerdos atq; Leuita, quod sit lauare vestimenta sua, aut mundum corpus exhibere Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis supplicare, audesq; pro aliis ministrare?*

§. *S. Alexand. epistola 1. & habetur de consec. distinct. 2. c.* 8. Nihil. Nihil, inquit, *in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi; nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes hac præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atq; ab hominibus veneranda: &, sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.*

Eucharistia nihil præstantius nihil honorabilius.

CAP. CXII.

QVÆ MAXIME PECCATA CVM S. Eucharistia repugnent.

Inimicitia communicaturo vitanda.

§. ETSI autem omne mortiferum scelus diuinissimæ Eucharistiæ repugnet; duo tamen vel maximè illi contraria sunt, discordia scilicet & luxuria.

§. Dissensio quidem & odium, quia Eucharistia est symholum pacis & concordiæ, qua fideles inter se, vt membra vnius corporis, cum Christo, vt capite suo connectuntur. 1. Cor. 10. v. 17. *vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, vt sicut ex multis granis fit vnus panis, ita ex multis fidelibus sacra Synaxi fiat vnus sacer panis & viuus, vnum sc. corpus Christi mysticum. idcirco & omnes reipsa Christi corpori in Eucharistia vniantur, ita *vt in S. communione simus non tantum Christiferi, sed & concorporei & consanguinei Christi, vt ait S. Cyrill. Hierosol. catechesi* 4. hinc & communio dicitur, id est, communio vnio fidelium, qui edendo idem corpus Christi verum in Eucharistia, vnũ corpus Christi mysticum, siue vna Ecclesia efficiuntur. vt hoc Apostoli loco ex S. Aug. docet ven. Beda, quam intimam conjunctionem idem S. August. considerans tract. 26. in Ioannem exclamat. *O Sacramentum pietatis! O signum vnitatis! O vinculum caritatis!* quod & ex eo mutuatum vt Con. Trid. sess. 13. c. 8.

Qui in vno tertio conueniunt inter se conueniunt.

Eucharistia mutuæ dilectionis nexus.

§. Hinc & S. Bern. de Præc. & disp. c. 26. *nunquam*, inquit, *mihi contingat, turbatum ad pacis accedere sacrificium; cum ira & disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est, mundum reconcilians sibi. Certè non recipietur munus quodcunq; meum, & defero ad altare nisi ante placato fratre, quem me fortè læsisse meminero: quanto minus si me ipsum non pacauero prius?*

§. Qua-

§. Quapp̃ter S. Aug. ser. 252. de temp. *Rogo vos, fratres,* inq̃t, *diligenter attẽdite si ad mensã cuiuscunq; potentis hominis nemo præsumit cum vestib. conscißis, & inquinatis accedere: quanto magis à conuiuio æterni Regis, id est, ab altari Domini debet se vnusquisq; inuidiæ vel odii veneno percussus, iracundiæ furore repletus cum reuerentia & humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est. Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. v. 24. 25. & *iterum* Matth. 22. v. 12. *Amice quomodo huc intrasti & non habens vestem nuptialem? & illo obmutescente dixit ministris, ligate illi manus & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare Domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens præsumit accedere.*

Eucharistiam præceptu ro detestanda omnis luxuria.

§. Aduersissima etiam huic sanctissimo Sacramento ac sacrificio est libidio; vtpote in quo virginea caro Christi, ex purissima virgine, ope S. Spiritus procreata, sumitur; *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Zach. 9. v. 17. Panes propositionis, huius Sacramenti figura, non nisi à puris & sanctificatis manducari poterant. 1. Reg. 21. v. 4.

Legis Sacerdotes in sacro ministerio continentes.

§. Et vetus sacræ legis autoritas inde ab initio custodita est, quod in templo, anno vicis suæ, habitare præcepti sunt Sacerdotes, vt seruientes sacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos sibi vindicent diuina ministeria; quia scriptum est Leuit. 11. vers. 20. *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Ita ex S. Luca cap. 1. & 2. Paralip. 24. notauit Innocentius Papa epistol. 3. cap. 1. distinct. 82. cap. proposuisti. distinct. 31. c. eos. Venerabilis Beda super Lucam. lib. 1. c. 1. Apostolus etiam 1. ad Cor. c. 7. scribit, *abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, & hoc vtiq; laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est semper debebunt ab eiusmodi consortio abstinere; vt*

benè

benè colligit idem Innocent. p. dist. 31. c. nam sicut. cap. si laicus. Hæc ergo cogitantes, fratres carissimi, ait S. August. memorato serm. 252. de temp. tàm certi & tàm sobrii, & tàm pacifici ad istud altare Deo auxiliante, studeamus accedere, vt ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore & mundo corde, cum munda & secura conscientia venit, ad illud altare, quod in cœlis est, felici transmigratione perueniet.

§. Vnde rectissimè S. Basil. serm. 2. de baptis. c. 2. docet: cum Deus Moysi præceperit Leu. 21. v. 17. ne quis ex stirpe Aaronis habens maculam accederet ad offerendum dona Deo, tanto sceleſtiorem & impium magis esse impiorum Sacerdotum offerentum, quanto corpus vnigeniti filii Dei excellentius est arietibus & tauris. Necessarium itaq; semper quidem est, maximè verò tanti actalis mysterii celebrandi tempore, servare præceptum Apostoli dicentis 2. Cor. 7. v. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientis sanctificationem in timore Dei.*

§. *S. Chrysost. hom. 60. ad Antiochenos. Quo non oportet esse puriorem*, ait, *tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem, os quod igne spirituali repletur, linguam quæ horrendo nimis sanguine rubescit?* Leu. 21. v. 6. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.*

CAP. CXIII.

DIVINA ADVERSVS IMPIOS Sacerdotes vindicta.

1. Cor. 10. v. 21. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum.*

§. SAnctus Gregor. Turonum Pontifex l. 1. de gloria Martyr. c. 87. *Epachius Presbyter dum temerè quæ indignus erat agere præsumpsisset, diuino iudicio, solo proiectus occubuit.*

it. Hic n. dum Dominici natalis vigilias celebrare Ecclesiam expetisset, per singula horarum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciua spumantibus pateris hauriebat, ita vt affirmarent multi, eum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cum esset ex genere senatorio, & nullus in vico illo Ricomagensi superius memorato iuxta sæculi dignitatem haberetur nobilior, celebrare solennia Missarum expetitur. Nec dubitat miser vino madefactus appetere quod ieiunus quisq; non sine metu potest terrente conscientia explicare. Verum vbi explicitis verbis sacris, confracto corporis Dominici sacramento, & ipse sumpsit & aliis distribuit ad edendum, mox equini hinnitus ad modum vocem emittens, ad terram ruit, ac spumas cum ipsa mysterii sacri particula quam dentibus comminuere nõ valuit, ab ore proiiciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit vltra hac epilepsiæ infirmitate, sed per singulos Lunares cursus incrementis decrementisq; hæc sempertulit, quia ab haustu nimio vini minimè infelix abstinuit. Sera sæpè sed nunquam non seria Numinis vindicta horrenda impii sacerdotis in scelere & excommunicatione celebrantis mors. Commemoratur hæc in vita S. Eligii Nouiomens. Episcopi conscripta à B. Andono Rhothomagensi Præsule ejus æquali l. 2. c. 25. apud Surium 1. Decembr. *Quidam presbyter diœcesis eius pessime apud vicinos audiebat. Eum Eligius crebro verbis castigans ad sanitatem reuocare non potuit. Cumq; mala eius fama latius serperet, beatus vir tamen nefanda audire amplius non sustinens accersit eum ad se, percuntatur de crimine, quod fama vulgasset, comiter hortatur ad emendationem & confessionem. Ille prorsus negat se illud admisisse flagitium audacterq; pergit excusare sese, videlicet plus hominem quam diuinam vltionem reformidans. Eligius sentiens nulla via adduci eum posse ad confessionem, ferit eum anathemate, vt sic publice agat pœnitentiam, nec ausus sit ad altare sacrificaturus accedere. Addit minas, si id faciat se seuerius in eum animaduersurum. At ille abscedens, eiusq; minas floccipendens pergit more suo viuere dissolute, atq; post*

Naturale ieiunium ad Eucharistiã sumendam necessarium. Quo non erubescat mortalia pectora flectiu?

Stultus vt luna mutatur Eccles. 27. v. 12.

Nemo potest corrigere illum quem Deus dispexerit Eccles. 7 v 14.

Si feceris, nega, sed in foro fori, non in foro poli.

Impius cum in profundũ peccatorum venerit contemnit Prouerb 18 v 3.

Quis nouit potestatem ira tua, & pra timore tuo iram tuam dinumerare? Psal. 89 v. 11.

post paucos dies, neglecta beati Episcopi excommunicatione ad altare sacrificium oblaturus nō veretur accedere. Cumq; primas altaris partes intrepidus attingeret, mox diuinitus percussus, & magno impetu humi prostratus expirauit. Ea re factum est, vt beati viri indignatio magno omnibus terrori esset: dictaq; eius oraculi instar haberentur. Vbi autem ille comperit tàm horrendam hominis mortem, valde eum luxit, multisq; male viuentibus, vt se corrigerent, eius casum proposuit. Huic euenit quod certus ominator dixit Salomon Prou. 29, v. 1. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Palladius Helenopoleos Episcopus in sua Lausiaca hystoria c. 20. de S. Macario Alexandrino. *Ego*, inquit, *ad eum accessi aliquando: & inueni extrà eius cellam iacentem quendam vici Presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo qui dicitur cancer, vt etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum, vt curaretur: nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum, dicens. Miserere huius miseri: & saltem da ei responsum. Is verò mihi respondit dicens. Est indignus qui curetur, amandata est enim eius disciplina. Quod si velis eum curari persuade ei, vt deinceps abstineat à ministerio sanctorum sacramentorum. Ego autē ei dico. Quamobrē quaeso: is verò dicit: Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Postquam ergo dixi ei qui affligebatur, iureiurando est pollicitus se non amplius sacrificaturum. Tunc eum accepit, & dixit ei. Credisne esse Deum quem nihil latet? Respondet ille. Maximè, rogo te. Deinde ei dicit Macarius. Non potuisti Deum illudere. Dicit ille. Non potui Domine mi. Dicit ei Macarius. Si agnoscis tuum peccatum, & Dei disciplinam propter quam hæc subiisti, corrigitor imposterum. Qui confessus est peccatum, & spopondit se non amplius peccaturum, neq; altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum. Deinde sic sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus fuit curatus: capilliq; ei creuerunt: sanus domum*

Cancro morbo punitus sacerdos impurus sacrificans.

Impudicus Sacerdos aeternum altaris sacrificio prohibetur.

Tu fecisti ab sconditè ego autem faciam in conspectu solis. 2. Reg 12. v. 12.

redit

reliuit Deum glorificans: egit autem magno quoq; Macario gratias. Thomas Cantipratenus l. 2. Apum. c. 40. part. 6. Quantum, inquit, peccatum sit indignè conficientium excepta Beati Pauli solidissima veritate, 1. Cor. 11. v. 27. 28. miraculum subsequens demonstrabit. Propè villam in qua natus sui, Sacerdos lubricus & immundus fuit. Et olim quidem 1. Reg. 21. v. 5. cum immundis à mulierib. panem illum legalem sabbati significantē hūc panē viuū, edere non liceret, infelix ille presbyter hūc quotidie, polluto ore, sumebat. Et vide vindictam Dei. Os ei circa nasum & mentum, & lingua computruit, ita vt vix posset præfatore, ab amicissimis sustineri. Sed & alius in Gallia fuit, vt quondam puer audiui, cuius manus in missa super aram extensa, igne cœlesti vsq; ad cubitos combustæ sunt & consumptæ. S. Petri Damiani in luxuriantem Sacerdotem inuectio, quæ habetur lib. 1. epist. 6. ad Nocolaum II. Romanum Pontificem. Cur, O Sacerdos, qui sacrum dare, hoc est, sacrificium Deo debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare? Fornicans enim à Christi te membris abscindis, & meretricis corpus efficeris, Apostololo testante, qui ait 1. Corinth. 6. v. 16. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Et iterum 1. Corint. 6. v. 15. Tollam, inquit, membra Christi & faciam membra meritricis? Absit. Quid ergo tibi cū corpore Christi, qui per carnis illecebrosæ luxuriam membrum factus es Antichristi? Quæ enim conuentio lucis ad tenebras, aut quæ societas Dei ad Belial? 2. Cor. 6. vers. 14. 15. Numquid ignoras, Dei filium adeo carnis elegisse munditiam, vt ne quidem de pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc sufficere videatur, vt tantummodo vigro sit Mater, Ecclesiæ fides est, vt virgo fuerit & is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à Nutricio Virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis; à quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnat in cœlis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus,

Computruerunt iumenta in sterco re suo Ioelis. 1. v. 17.

Impurus Sacerdos dæmonis hostia

Indignus corpore Christi meretricis fruens corpore.

S. Ioseph castus,

positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam iam in paternæ maiestatis gloria sublimatus. Enimuero cum Dominus dicat. Matth. 7. v. 6. Nolite sanctum dare canibus, q̃ de te iudicium erit, qui corpus tuum, q̃ vtiq; sanctificatum est, per consecrationis accessum, non canibus, sed lupanaribus tradis? Et cum omnes ecclesiasticos ordines in te vno habeas metuenda mole congestos, omnes procul dubio fœdas, dum te prostibuli permixtione commaculas. Polluis itaq; in te Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, omnesq; deinceps sacros ordines, pro quibus omnibus in districto Dei iudicio redditurus es rationem. Ad impositionem manus tuæ descendit Spiritus sanctus, & tu eam adhibes genitalibus meretricum? Linguæ tuæ obsequitur Deus, & tu non vereris obtemperare dæmonibus. Porro qui in Ecclesiastica cerneris dignitate conspicuus, non te erubescis immergere fornicibus scortatorum? Et qui prædicator constitutus es castitatis, non te pudet seruum esse libidinis? Veniet, veniet profectò dies, immo nox, quando libido ista tua vertatur in picem, qua se perpetuus ignis in his visceribus inextinguibiliter nutriat, & medullas tuas, simul & ossa indefectiua conflagratione depascat. Qui enim flamma libidinis æstuas, qua fronte, qua audacia sacris altaribus appropinquas? Ignoras, quia filii Aaron, Nadab videlicet, & Abia, idcirco cœlesti sunt igne consumpti, quoniam alienum ignem offerre Domino præsumpserunt? Num. 3. v. 4. Levit. 10. v. 1. 2. Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem duntaxat diuini amoris accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, illo procul dubio diuinæ vltionis interim igne consumitur, de quo Scriptura testatur, Hebr. 10. vers. 27. Et nunc ignis aduersarios consumit. Et sicut nunc æstuantis luxuriæ flamma decoquitur, ita postmodum nunquam finiendis atrocis gehennæ incendiis, necesse est, comburatur.

Impudicus Sacerdos vniuersos simul sacros ordinis contaminat.

Qui alium doces, teipsum non doces? Rom. 2. v. 21.

Impuritatis supplicium. Ierem. 3. v 3 Frons muli eris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

CAP.

CAP. CXIV.

QVIBVS MODIS ET RELIGIONIS actibus Eucharistia sit percipienda.

§. NEc satis esse putent quod à lethalibus noxis animum perpurgauerint, & à minutioribus velutipietatis ac diuinæ gratiæ impedimentis liberent, eundemq; animum eximiis virtutibus tanquam nuptiali veste exornent, ad cœlestem sponsum, Regem Regum dignis honoribus excipiendum. *S. Chrysost. hom. 3. in Ephesinam Apostoli Epistolam.* *Quotquot*, ait, *in corpore Christi communicamus, quotquot sanguinem illius degustamus, cogitemus quod illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab Angelis adoratur, qui proximè consistit immortali Dei potentiæ Hei, quot nobis ad salutem viæ sunt? Corpus suum nos fecit, corpus suum nobis tradidit, & tamen nihil horum à malis auertit. O tenebras & multam profunditatem, O stupiditatem omni dolore vacuam. Quæ sursum sunt, inquit Coll. 3. v. 1. 2. curate, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Contemplare obsecro. Adstat mensa regia, adsunt Angeli huius mensæ ministri, adest Rex ipse, & tu oscitabundus adstas?* Accedant igitur 1. magno doloris sensu deplorantes, quod illum ipsum Deum suum vnquam offenderint. 2. firmo proposito vitam emendandi, ac Christo Domino suo cunctis viribus inseruiendi. 3. magno timore, reuerentiâ, submissione contemplantes diuinæ Majestatis præstantiam, quæ sub his integumentis occultatur, & propriam contra abjectionem & vilitatem. 4. præcipua quadam fame & spiritali siti ad cœlestem & viuificum panem, ad pretiosum & salutiferum sanguinem, peccata abluentem, justitia ornantem, & omnibus bonis locupletantem anhelantes, ac Sal-

uatoris opulentiam, benignitatem, liberalitatem, ſuam verò egeſtatem & miſeriam perpendentes. 5. Eximia animi corporisque puritate ad incomprehenſam & interminatam ſanctitatem, quæ omnem peccati impuritatem faſtidit, horret, punit. 6. Singulari religione ſe totos cum hoc ſacrificio Deo in holocauſtum & ad omne obſequium promptiſſimè & conſtantiſſimè offerendo. 7. Ardentiſſima caritate flagrantes erga infinitam hic Dei præſentis bonitatem, amabilitatem, pulchritudinem, honeſtatem, jucunditatem, excellentiam properantes in diuini ſponſi amplexus noſtræ ſalutis cupidiſſimi, meditantes ejus erga ſe amorem & innumerabilia beneficia præſertim Redemptionis. B. Franciſcus Xauerius Indorum Apoſtolus, vt in ejus vita narrat Horat. Turſell. l. 6. c. 5. cum ad conſecrandam Euchariſtiam, ſumendamq; ventum erat, manantib. præ gaudio lachrymis ora ſinũq; cõplebat. S. Chutbertus Epiſcopus Lindisfarnenſis Dominicæ Paſſionis myſteria celebrans, magna contritione & lachrymarum profuſione ſeipſum Deo immolabat. vt habet V. Beda l. 4. hiſt. Angl. c. 28. S. Tho. Herfordenſi in Anglia Epiſcopo tanta in Miſſæ ſacrificio lachrymarum ex oculis copia manabat, ac ſi coram ſe Chriſtum Dominum in carne humana patientem vidiſſet. Surius in ejus vita 2. Octob. 8. Optimo fine & ꝓpoſito quærentes, vt cum Chriſto Deo ac capite ſuo veluti pulchrum, viuum, aptum membrum conjungat, & ex hac conjunctione ſpiritum & ſenſum Chriſti, gratiam, virtutem hauriat, meritiq; particeps efficiatur, vt vitia malasq; affectiones exſtirpet, ſibi ac aliis ſalutaria impetret, pſtantiſſimis fidei, ſpei, caritatis, religionis demiſſionis & aliarum virtutum actiones exerceat. Itaq; *quærat cœleſtem panem non terrenum, non lucrum ſed ſpiritum non ſæam ambitionem ſed Dei honorem, non quæſtum pecuniarum, ſed lucrum animarũ*, vt loquitur *S. Bonau. de præpar. ad Miſſam.*

Missam c.8. Quibus omnibus vt attentus sit animus ab omni alia cura & cogitatione seperandus est, juxta S. Dionysii consilium de Eccles. Hierarch. c.3. Ad sanctissimum, inquit, euntes sacrificium mundari conuenit ab ipsis vltimis animæ phantasmatib. Et S. Bonau. de præp. ad Miß. c.4. Dum Missã celebraturus es, totũ te recolligas, vt neq; actus neq; cogitatio ad aliquid aliud dispargatur. §. Quãto pietatis, timoris ac amoris sensu diuina sumẽda sint mysteria egregie docet S. Chrys. serm. de Encœniis non sine stupore exclamat. Papè, mensa mysteriis instructa est, & agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, sanguis spiritalis ex sacra mensa refluit, Seraphim adstant sex alis faciem tegentia, oẽs incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt: ignis spiritualis è cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationẽ ex immaculato latere haustus est. Et non erubescis reuereris & confunderis neq; Deum tibi propitium facis? Non conscientia tua iudicat te o homo? Propter q; & accedentes, ne putetis, q; accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, quem scil. Esaias vidit vos accipere. c.6. v.6. Reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere, & ita approximantes labiis puris accipite. Quocirca fratres oro vos & obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neq; in aliis colloquiis occupati simus. Stemus tremente & timidi demißis oculis, renata anima gementes sine voce, iubilantes corde. An non vides eos qui sensibili, corruptibili, temporali & terreno regi assistunt quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc & illuc mittentes, sed mœsti terrici, lugentes? Ex ipsis documentum accipite homines, & sic assistite Deo, quasi terrenum regem accessuri. Si hæc optimo jure præscribuntur Laicis, quanto magis Clericis & inter illos Sacerdotibus?

Diuini epuli descriptio.

Quid in Eucharistiæ sumptione cogitandum.

Summa reuerentia ad diuina accedendum mysteria.

Elegans simile.

§. Eundem rursus B. Chrys. audiamus hom. 24. in c. 10. prioris Corinthiacæ. Velimus inuicem vnitatẽ seruare. Ad hoc enim nos inducit sacrificiũ illud formidandum & admirabile, q; iubet nobis, vt concordia & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus, vel potius

Eucharistiæ & vnitatis & amicitiæ sacrificium.

supra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit Matth. 24. v. 28. illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem: nisi enim ille occidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus & nihil cum terra debere ei esse commune, neq; ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisq; oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc mensa est. Et tunc occurrent è cœlis descendenti, qui nunc merito frustratur: quemadmodum qui indignè vltima patientur. Nam si regem quis non inconsideratè acciperet, quid dico regem, imò neregium quidem vestimentum immundis manib. tangeret, quamuis in solo loco, solus esset. Atqui nihil aliud id vestimentum est, quam vermium filum. Quod si tinctura admiraris, etiam ipsa mortui piscis sanguis est. Verum id nemo immundis manib. tractare auderet. Quod si hominis vestem nemo temerè attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter quod & sumus & viuimus, propter quod portæ inferi fractæ sunt & cœlorum apertæ, tanta cum ignominia accipiemus? Nolimus obsecro, nolimus impudentes nosipsos interimere, sed cum honore & mũditia omni ad Deũ accedamus. Et quãdo id propositũ videris, dic tecum: Propter hoc corpus nõ amplius terra, & cinis ego sum, nõ amplius captiuus, sed liber. Propter hoc, cœlũ & ea quæ in eo bona sunt me accepturũ spero: propterea immortalẽ vitã, Angelorũ sedẽ, Christi consuetudinẽ. Hoc corpus affixũ, verberatũ, mortevictum non est. Hoc corpus Sol crucifixum videns, radios auertit. Propter hoc & velum templi scissum est & petræ, & terra vniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum lancea vulneratum, fontes sanguinis & aquæ vniuerso orbi salutares scaturiuit. Vis & aliunde vires eius intelligere? Interroga quæ sanguinis fluxum passa est, quæ non Iesum, sed eius vestimentum: nec totum, sed eius fimbriam duntaxat tetigit. Hæc autem non dico, vt non accedamus, sed ne temerè accedamus. Quemadmodum enim frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ illius

Communicaturus mente in cælum euolet.

Magna opus est puritate ad Christi corpus accipiendum.

Corporis Christi in Eucharistia praconia.

Omissio Eucharistiæ pestifera.

cœna

cunæ participatio, pestis est & interitus. Ipsa namq; mensa, animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus vndiq; contecti. Et quid futura commemoro? Nam dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cœli portas, & diligenter attende, imò non cœli, sed cœli cœlorum, & tunc quod dicimus, intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam. Nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens omnium præstantissimum est: ita quoq; in cœlis regum corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur, neq; Angelos, neq; Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo. Animaduertis quonam pacto, quod omnium maximum est atq; præcipuum in terra non conspicaris tantum, sed tangis: neq; solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Absterge igitur ab omni sorde animam tuam. Præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Etenim si puer regius purpura & diademate ornatus tibi ferendus traderetur, nonne omnibus humi abiectis, eum susciperes? Verum nunc quum non hominis regium puerum, sed vnigenitum Dei Filium accipias, dic quæso non horresis, & omnem secularium rerum amorem abiicis, & eo te solo ornatum reddis, sed adhuc humum despicis, pecuniæ incumbis, terra deditus es: & quamnam veniam consequeris, quam excusationem? Nonne vides Dominum tuum omnem pompam secularem penitus abiecisse? Nonne propterea in præsepe positus est, quum primum natus est, & vilem matrem voluit? Non propter hoc ei, qui ad diuersorium suum respiciebat, inquit: Filius a. hominis non habet, vbi caput reclinet. Quid discipuli? Nonne eandē seruarerunt morem, in pauperū domos introducti, & alius quidē ad coriariū, alius ad tentoriorū opificē, & ad eā, quæ vendebat purpurā diuertebant? Non n. domus magnificentiam, sed animarum virtutē quærebant. Huiusmodi & nos desideremus.

V. Sacramenti effectus.

Christus nobis in Eucharistia demonstratur,

Vnigenitus Dei Filius in Eucharistia accipitur.

Terrena aspernanda.

CAP. CXV.

REM DIVINAM FACIENDI praxis & vsus.

Presbyter sacrificaturus quid consideret.

§. COgitet Sacerdos sacris vestibus indutus, & ad altare progrediens esse veluti legatum à Christiano populo missum ad Deum. Quemadmodum ex altera parte Concionator est legatus à Deo ad populum missus.

§. Secundo cogitet se præsentem coram Deo adesse in regia quadam & magnificentissima aula, vnà cum vniuersa cœlesti Angelorum & hominum beatorum, qui ipsi faueant suasq; cum eo preces conjungant.

§. Tertio Deum precetur, vt actionis hujus dignitatem ac momentum, quantum licet mortalibus, prius intelligat.

Quid in sacrificantis sermone expendendum.

§. Quarto sciat quod in hac legatione quatuor animaduertenda sunt. 1. apud quem sermo habeatur. 2. quomodo. 3. qua de re. 4. quid fiat. 1. Is apud quem sermo habetur, est Deus. Loqui de Deo magnum est, quod in colloquiis piis omnibus fit, sed multo est majus cum Deo veluti præsente loqui. In aliis officiis diuinis plurimum loquimur cum Deo, sed minima est ea pars, qua conuertimur studiosè ad agendum cum Deo. At in Missæ sacrificio lectione Epistolæ & Euangelii excepta & pauculis aliis perpetuum est cum Deo colloquium.

Quintuplici eoq; præstantissimo modo sacrificans cum Deo loquitur.

§. Nec quocunq; modo alloquitur Deum Sacerdos in sacro, sed modo præstantissimo. 1. loquitur proximè secretò veluti ad aurem, vt amicus ad amicum, vel cum amico, quemadmodum ipse DEVS in Exod. cap. 33. v. 11. Num. 12. v. 8. *dicitur locutus cum Moyse*

Moyse facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. 2. loquitur non suo tantum : sed totius Ecclesiæ, & populi Christiani nomine, & à Deo excipitur, & auditur, vt is qui personam publicam gerit, & est Legatus Ecclesiæ, vel bonus vel malus. 3. Loquitur non ex ingenio suo, sed verbis ac sententiis certis, vel ab ipso Christo Domino traditis, vel à Spiritu sancto in sacris literis, vel denique Conciliorum & Canonum authoritate comprobatis. Quare non est periculum, ne quicquam dicat, quod Deo non sit gratum, vel quod sit præter decorum, & denique certus est modum petendi bonum esse, ac proinde non timenda verba illa D. Iacobi cap. 4. vers. 3. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* 4. Loquitur in publica quadam celebritate, coram Deo, & cœlesti curia vniuersa & hominibus qui adsunt. Idcirco initio solemnis Confessionis, & Sanctos ipsos & populum appellat, & in Præfatione Deum precatur, vt suas voces, cum cœlestium spirituum vocibus jubeat admitti. 5. Loquitur cum Christo Domino, qui non solum è cœlo aspicit, sed etiam in ipso sacrificio super altare præsens & proximus est.

Quæ sacrificantis functio.

§. 5. Consideret quibus de rebus agat Sacerdos in hac Legatione. 1. laudat & adorat diuinam Majestatem eique gratias agit, de beneficiis acceptis, & culpas, veniam precando, confitetur. Deinde opem diuinam sibi aliisque implorat. denique nullum genus officii, quod exercere cum Deo piè mortales possunt, intermittit. 2. Cum his, corporis habitum & conformationem externam conjungit, maximè decentem & religiosam: vel stat vel flectit genua, aperto est capite, manibus modo junctis, modo prætensis, & in cœlum sublatis, quæ sunt aptissima ad cultum diuinum, & pietatem in

Quis sacrificant habitus.

Sacrificans supplicum & bellorum præfectus.

nobis & in populo excitandam. 3. Accedit veluti quibusdam supplicibus libellis onustus, quos pro variis calamitatibus, & pro omnibus hominum generibus Deo porrigat. Nullus est in vllo calamitatis gradu aut genere, vel vt inops terrenarum vel cœlestium, vel viuus, vel etiam in Purgatorio, qui suum libellum Sacerdoti ad altare accedenti, non commendet, quandoquidem ille pro omnibus oraturus accedit.

Quæ sacrificantis oblatio.

§. Sexto. Considerandæ etiam sunt, quæ facit magnus hic Legatus sanctæ Ecclesiæ vbi ad altare, i. e. ad Deum accedit. 1. Offert diuinæ Majestati donorum omnium, quæ possunt offerri maximum, Filium ipsius Dei, in quo ipsi benè complacuit, vnà cum ijs omnibus ornamentis, meritis, & virtutibus, quibus Christus Dominus cumulatus est: Sacrificium denique & holocaustum illud, quod olim in ara crucis oblatum. Itaque si tam gratum æterno Patri hoc fuit, quamuis cum summa ignominia, & cruciatibus, quibus Dominus afficiebatur, conjunctum esset, non minus nunc gratum esse debebit, cum idem Christus gloria nunc insignis & immortalis, vnà cum omnibus illarum etiam veterum pœnarum, meritis offertur, & quanta nobis licet cum pietate & veneratione. Itaque huius & illius sacrificii in ipsa re nullum omnino est discrimen, sed est primò in tempore quod illud semel factum sit, hoc quotidie peragatur, secundò in loco, quo illud in Ierosolymis, hoc vbiq; terrarum & gentium, tertio in modo: nam olim oblatus est patiens & cruentus, nunc impatibilis sine vlla sanguinis effusione, sub venerabilibus panis & vini speciebus, quam tanti mysterii excellentiam vtinam non populari quadam opinione, sed certo ac viuo judicio & sensu Christiani comprehenderent, & potissimum Sacerdotes.

Quod cruenti & incruenti sacrificii discrimen.

§. Septimò.

§. Septimò. Ipsemet Sacerdos singulari Dei beneficio donum illud insigne sibi comparat, quod est oblaturus, dum verba diuina ꝓnuncians conficit Sacramentũ, Deo volente ꝓ sua infinita clementia, vti opera Sacerdotis ad corpus Christi Domini sacrosanctum in Sacramento præsens constituendum. *Oblatũ munus ipse sacrificans cõparat.*

§. Octauò. In verbis pronunciandis, & in verborum efficacitate, & in oblatione sacrificii Sacerdos Christi personam repræsentat, quod etiam in vestibus & cætero ejus ornatu & sacrificii apparatu cernitur. Et quidem olim Christus Dominus dum seipsum semel obtulit Patri in cruce, & Sacerdos & sacrificium fuit. At nunc partes Sacerdotis hominibus concessit, sibi partes sacrificii reseruauit. Quantæ autem est dignitatis hominũ, vt quomodo Christus Dominus seipsum semel obtulit Patri, & planè ipsi eundem Christum toties offerre possunt. Sanè in hoc Sacerdos alterpænè Christus videtur. *Quib. in rebus Christi personam gerat sacrificans.*

§. Nono. Sacerdos seipsum ac totam Ecclesiam Deo conjungit in sacra Communione. Quare Sacerdos progressurus ad Aram, comparet animam, atque componat moribus piis ac pudicis, existimet se ad Agni nuptias accedere. Et sibi dici: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei, Matth. 25. & præcipuè se præparet ad actus diuinæ charitatis eliciendos.

§. Decimo. Conjungitur Ecclesia militans & triumphans in hoc sacrificio, quæ intelligitur ex præfatione illa: Communicantes, & tunc maximè exercetur Communio Sanctorum, quæ in Symbolo Fidei proponitur. *Ecclesia terrestris & cælestis consocratio.*

§. Vndecimo. Ex his omnibus intelligimus actionem in hac vita à mortalibus nullam majorem exerceri aut præstabiliorem posse, quam sit sacrum facere. Idque apparet non solum ex aliis beneficiis, quibus Ecclesia Sacerdotes onerauit, verum etiam, quia in

sacro faciendo occupatum Sacerdotem, nemo esset, qui quacunque de causa, ne Rex quidem aut Pontifex accerseret, ac vellet inceptum sacrum omittere. Quare nullum magis liberum ac suum Sacerdos habet, quàm hoc opus. Imò Rex ipse Regum Christus videtur eum tantisper à sui veneratione liberare. Si enim alio quopiam, quàmuis proximo loco, & in conspectu, vel deferatur, vel eleuetur Eucharistia, Sacerdos non debet suum sacrum interpellare.

Progressus ad aram in cœlum introitus.

§. Cogitare ergo verè potest, dum è sacrario in templum ingreditur sacrum facturus, ex hoc mundo se in cœlum ingredi jam mortali majorem, cum Deo de rebus maximis coram acturum. Cui negotio etiam Angeli & Curia cœlestis Vniuersa cum timore & magna veneratione interfunt.

CAP. CXVI.

ANTE SACRIFICII INCHOATIONEM quid præstandum.

Sacrificaturus defixo sit in Deum animo.

§. ANte sacrum 1. decet Sacerdotem omnes suas vires & actiones, non solùm cum est ad altare accessurus, sed quocunque etiam alio tempore eo referre, vt sit quam paratissimus ad dignè, quantum fert humana imbecillitas, sacrum faciendum.

Sit integer vita scelerisque purus.

§. Secundo inquirendum in conscientiam & peccata, quæ occurrunt vel dolore, vel Confessione expianda.

Piis se det cogitationibus & quib. sacrificaturus.

§. Tertio vbi tremendi sacrificii tempus appulit, quarta saltem horæ parte ante præcipuo studio vires omnes animi colligat, & sensus custodiat, quolibet negotio tantisper sepositio. Quo tempore animus occupandus est piis cogitationibus & actibus religionis quàm contentissimis, ac primo agnoscat se pro

Propria indignitas obmentis oculos obuersetur.

sui

sua vilitate nullo modo esse dignum, qui tantum opus aggrediatur, etsi ijs omnibus ipse vnus donis ornaretur & virtutibus, quibus vniuersi vllo vnquam tempore sancti homines cumulati fuere. Ex qua cogitatione sese dejiciet atque condemnet. Inde sublatis in divinam pietatem oculis precabitur, vt Deus ipse, qui & sacerdotalem Ordinem instituit, & se in eum voluit allegere, etiam dignè præparet ad munera ejus gradus obeunda. Ex alia parte Dei benignitatem erga homines considerans, qui tàm vile genus euexerit eã ad dignitatem, vt non semel sed singulis etiam diebus ipsum Christum attrectare possit, & honore dignitati beatæ Virginis persimili, quodammodò Dei Filium gignere. Ex his studebit totam vitam benigni Parentis amore accendere. Deinde mente conuersa ad id quod facturus, ad altare accedat, considerabitque se non solum memoriam Christi Domini vitæ & cruciatuum in Missa celebraturum, sed etiam reipsa Christum Dominum oblaturum. Quare cum sacrificio Domini incruento seipsum simul offeret, Deumque precabitur, vt eo amore, quo Filium excipit, nos simul excipere & nostram oblationem respicere dignetur.

Eximia Dei bonitas pertendenda.

§. Quarto Finis proponendus ad quem mentem Sacerdos in sacro faciendo debet dirigere. 1. proponet in eo munere velle se diuinæ Majestati laudem & gloriam præbere quam maximam possit. Quam ad rem colliget & offeret eos omnes honores, qui ab orbe condito habiti sunt illi vnquam; vel habebuntur vspiam, ab vllo vel mortalium, vel Angelorum, vel à beata Virgine, & ipsa Christi Domini humanitate, quæ cum infinitam DEI dignitatem non exæquent, eos accumulabit, quos DEVS sibi ipse tribuit. Secundo proponet se velle grat

Qui sacrificantis fines.
1. Suprema Dei laus.
2. Gratia i actio.

grati animi debito pro innumerabilibus beneficiis, quæ & priuatim,& cum aliis rebus creatis accepit suo & nostrum omnium nomine satisfacere offerendo illi Christum Dominum, in quo bona omnia continentur, idcircò enim & olim sacrificia fiebant, vt homines Deo grati, eum omnium bonorum auctorem contestarentur. Tertiò proponat velle se memoriam renouare sacrorum Domini cruciatuum, quos plurimis modis sacrificium illud repræsentat, eos Deo iterum offerre pro exolutione humani generis ac peccatorum vinculis, propter quæ rei erant supplicii æterni. Quarto proponat velle hoc præsidio & tanti sacrificij pretio opem ferre vniuersæ Ecclesiæ, singulorumque calamitatibus, & per eam oportunitatem indigentium omnium supplices libellos Deo porrigere, quodammodo & commendare. Præter hæc vbi ad Sacramentum accedet dabit, vt ritus omnes, qui præscribuntur in Rubricis accuratè seruet.

3. Passionis Christi commemoratio.

4 Ind gentium auxiliū.

CAP. CXVII.

IN IPSO SACRIFICIO VT SE HAbere debeat Sacerdos.

§. IN sacro 1. Vbi Sacerdos decenter ornatus ad Altare de more accedit, existimet se ad funestum Caluariæ montis spectaculum iter habere vna cum Deipara, S. Ioanne ac aliis, quorum in se affectus exprimat, vel Christi patientis personam sustinere, quod habitu ipso & sacris vestibus significatur : nam 1. corona indicat spineam coronam. 2. amictus, velamen oculis ipsius obtentum. 3. linea tunica, vestem albam qua indutus illusúsque est ab Herode. 4. Cingulum funes, quibus medius constrictus est in horto. 5. manipulus vincula, quibus sacræ manus tanquam

Sacra indumenta quorum mysteriorum signa & documenta.

quam nefarij hominis obstrictæ sunt. 6. stola, funes, quibus, vt tutiùs deducerent, diuinum collum implicuere. 7. Casula vestem purpuream. 8. Crux in pectore & humeris, siue in dorso, quam ipse gessit, semper expetiuit, & ante oculos habuit. 9. Calix, acerbissimum cruciatum, quem nostra causa exhausit. 10. Sacri panniculi, qui explicantur in altari, sindonem & lintea, quibus obuolutum est sacrum corpus. Ad altare progressus, è terra sublatum putet se in cœlo jam esse coram Deo & Agno, vbi videat innumerabilem Angelorum hominumque beatorum multitudinem omnes summa cum veneratione coram diuina Majestate prostratos, diuinumque hoc sacrificium adorare paratos.

§. Secundò. Aggrediatur sacrum voce pia, temperata, clara, ceremoniasque ita decorè seruet, vt ad pietatem iis se & alios, qui intersunt, excitet. *Vocis qualitas.*

§. Tertio. Studeat, quantum potest ad id, quod agit, & dicit, attendere ex omnibus fructum aliquem eliciens, & diuinis nutibus locum dare, & afflatibus, non immorando nimium, sed vim omnem animi sedulò in vnum hoc negotium negotiorum conferendo. *Mentis ad sacrificii applicatio.*

§. Quarto. In precatione illa quæ dicitur Memento, &c. vt recordetur eorum, pro quibus debet orare, & preces ipsæ vim habeant majorem, sacrorum cruciatuum Domini, memoria illas sociabit, hunc fermè in modum: 1. sanguini pro nobis effuso suam animam commendabit, vt per illum expietur, & iis virtutibus, quæ Domino maximè placent, exornetur 2. Lateri Ecclesiã, q̃ ex illa est orta, vt illi sanctitatẽ donet. 3. Capiti spinis cõpuncto summum Pontificem, alios q̃; omnes Principes & Antistites vel diuinarum, vel humanarum rerum. 4. Manui dextræ suos amicos, consanguineos, & benè meritos. 5. Sinistræ, omnes qui *Viuorum ac mortuorum commemoratio ac cõmendatio.*

qui nos aliquo modo vel oderunt vel molestia affecerunt. 6. Pedi dextro personas & negotia ab alijs commendata. 7. Pedi sinistro omnes in mortifero peccato jacentes, vt ad dextram partem transferantur. 8. Flagello, sputis, alapis, quibus Dominus impiè vexatus est, Ethnicos & Hæreticos, qui etiamnum ipsum Dominum contumeliis & injuriis diuexant. 9. Cruci religiosos omnium Ordinum, ac præcipuè suum proprium institutum, vt crucem voluntariè accipiant, & libenter ferant cùm Domino. 10. Siti eos omnes, qui nostras preces expetunt. 11. Angori illi, quem Dominus in horto voluit perpeti, omnes qui in calamitatibus, aut aliqua molestia versantur, vel publica vel priuata. 12. Morti denique cum secundo dicitur memento, omnes qui in Purgatorio detinentur, cum eorum votis & desideriis, suffragia etiam nostra omnia DEO offerendo.

Sacerdos in consecratione alter Christus.

§. Quinto. In consecratione jam non se amplius eum esse cogitet, qui erat paulo ante, sed Christum quodammodo in Sacerdotem esse mutatum, vt rursus gratissimum sui corporis & sanguinis Patri offerat sacrificium. Quare Sacerdos cum ipso Christo Domino se intimè conjungat in eo amore quo se ille in hoc Sacramento reliquit, atque æternum Patrem precetur, vt ad suam nostrorum peccatorum expiationem, & omnium mortalium adjumentum sacrosanctum illud sacrificium excipiat.

Quid maximè in S. communione agendum.

§. Sexto. In Communione præcipuè duos studeat in se affectus excitare. 1. Venerationis maximè & humilitatis seipsum quasi fœdissimam cloacam agnoscens, omnium indignissimum integerrimo Christi Domini corporis domicilium. 2. Amoris vehementis, cujus vi cupiat se totum converti in Christum, eique

eique per virtutum imitationem, quam simillimum fieri.

CAPVT CXVIII.

QVID SACRIFICIO FINITO agendum.

§. A Sacro 1. Veniam petet negligentiæ & erratorum, quæ in sacro faciendo commisit. *Veniæ postulatio.*

§. 2. In eo amore quo meruit Christo conjungi, se colligat magno cum desiderio gratias pro tanto beneficio tantas agendo, quantas deberi intelligit. Itaque offerat omnium rerum creatarum opera & sensu carentium & præditarum, præcipuè studia justorum hominum, & Angelorum, Deiparæ, & sanctissimæ humanitatis Christi. *Amor & gratiarum actio.*

§. Tertio offerat pro se & Ecclesia vniuersa diuinæ Majestati, quicquid Christus triginta trium annorum spatio egit & pertulit, ac simul seipsum offerens, oblationem sui cum hac oblatione conjungat. *Meritorum Christi oblatio.*

§. Quarto sibi atque aliis precabitur ea, quæ optat, præsertim vt eueniant ea, quæ maximè diuinæ voluntati placent, & Deus ipse inde vsque ab æternitate constituit. *Bonorum euentuum petitio.*

§. Quinto cogitans se veluti sepulchrum Domini effectum, proponet sensus ac motus interiori cura custodire, vt omnibus sit bonus odor Christi Iesu, qui est Deus super omnia benedictus in secula. *Diligens sui custodia.*

CAP.

CAPVT CXIX.

SOLENNI RITV MINISTRANtes criminis expertes ſint.

§. DIaconi & Subdiaconi ſolenni ritu ſacrificanti Sacerdoti miniſtrantes mortifero vacui ſint crimine, & ſi Confeſſarij non fuerit copia minimùm toto corde admiſſa peccata propter Deum offenſum deteſtentur, & firmum ſacram Confeſſionem maturandi conſilium ſuſcipiant. *Diaconi,* inquit Apoſtolus 1. Timoth. 3. v. 9. 10. *habeant myſterium fidei in conſcientia pura & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.* Iſa. 11. verſ. cap. 52. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Sicut lethali peccato alligati ſine animæ peſte & interitu illum accipere ordinem non potuerunt, ita neque adminiſtrare. Ac proinde illis peculiaris conſecratio conceſſa, vt piè ſancteque munia ſua perficiant. *S. Ambroſius lib. 1. Offic. c. 50. Appellatur Leuita,* ait, *ipſe meus, vel ipſe pro me. Magnum ergo munus eius, vt de eo Dominus dicat, ipſe meus. Et quomodo Domini Dei eſt, qui ob peccatum ipſius hoſtis eſt?*

§. Illuſtri hoc miraculo Euchariſtiæ impuri Diaconi manum effugientis confirmat *D. Gregorius Turonicus lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. Defleimus,* ait, *ſcelera noſtra & plangimus, cum nos mundos eſſe neſcimus, & ad ipſum altare Domini accedentes, audenter ſanctum corpus & ſanguinem, cum ſimus actu polluti, potius ad iudicium ſumimus, quam vt veniam conſequamur. Nam recolo quod in adoleſcentia mea geſtum audiui. Dies paſſionis erat Polycarpi martyris magni & in Ricomagenſi vico ciuitatis Aruernæ eius ſolemnia celebrabantur. Lecta igitur paſſione cum reliquis lectionibus, quas canon ſacerdotalis inuexit, tempus ad ſacrificium offerendum aduenit,*

nit, acceptaq; turre Diaconus in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium ingressusq; templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aere, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit adsequi: quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Vni tantum Presbytero & tribus mulieribus ex quibus vna mater mea erat, hæc videre licitum fuit, cæteri non viderunt. Aderam fateor & ego tunc temporis huic festiuitati, sed hæc videre non merui. *Turricula Eucharistiæ conditoriuma*

§. S. Gregor. Nazianz. Apolog. 1. causam exponit cur sacerdotii susceptionem distulerit, nimirum quod summa ad id opus sit Sanctitate, & sacra indignè tractantes grauissimè puniat Deus. *Ac ne me fortè*, ait, *timidiorem, quàm par sit, existimetis, sed consilium potius nostrum prudentiamq; comprobetis, vnde in hunc metum inductus fuerim, exponam: Primùm ex ipso Mose audio.* Exod. 9. v. 10. & seqq. *quo tempore illi Deus oracula edebat, quamuis multi ad montem acciti aduocatiq; fuissent, inter quos Aaron etiam erat, duobus filiis, itsq; Sacerdotibus, comitatus, & Septuaginta Seniores ac Senatores, cæteros tamen omnes eminus adorare iussos esse, Mosen solum propius accessisse, plebem verò ne simul quidem ascendisse: tanquam videlicet non cuiusuis esset Deo propius iungi, sed eorum duntaxat, qui Dei gloriam, Mosis instar, concipere possent. Ac superius etiam, cum legum fundamenta iacerentur,* Exod. 19. v. 12. 16. Hebr. 12. v. 18. *alios quidem buccinæ, & fulgura & tonitrua, & caligo, totusq; mons fumo circumfusus, & horrendæ comminationes (Etiam siluestris montem tetigerit, lapidibus obruetur) atq; alii huiusmodi terrores inferiori loco cohibebant, adeò vt præclarè secum agi arbitrarentur, quòd vel solam Dei vocem audirent, idq; hac lege, vt seipsos ante summa cura diligentiaq; purgarent: at Moses ascendit, nubemq; perrumpit, legesq; & tabulas accipit, crassioribus quidem literales, acutioribus autem spirituales. Illud etiam audio Nadab & Abiud, quod nouo duntaxat igne thura adole-* *Non cuiuis ad Deum patet accessus.* *Exempla memorabilia diuinæ vltionis aduersus indignos Sacerdotes & Leuitas.*

adoleuissent, nouo quoq; igne absumptos, atq; iisdem instrumentis, quibus impium facinus perpetrarant, excruciatos fuisse, atq; eodem tempore & loco, quo nefario crimine sese deuinxerant, periisse, ac ne patrem quidem Aaronem primas apud Deum secundum Mosen tenentem ipsos à periculo vindicare potuisse. Leuit. 10. v. 1. 2. 1. Paral. 24. v. 2. Tum etiam id quod Heli Sacerdoti, 1. Reg. 4. v. 18. atq; aliquanto post Oziæ 2. Reg. 6. v. 6. 7. accidit, compertum habeo: quorum alter sceleris etiam illius, & aduersus sacrificia filii committebant, carnium primitias ex ollis, priusquàm fas esset, extrahentes, pœnas luit, idq; cùm eorum impietati non modo non suffragaretur, sed grauissimis quoque verbis eos hoc nomine identidem obiurgaret: alter quia arcã à boue distractam tantummodo attrectare ausus fuerat, ita eam illæsam seruauit, vt sibi interim exitium accerseret, Deo nimirum hoc animaduersionis exemplo arcæ suæ venerationem sartam tectam tuente. Quin hoc quoq; mihi cognitum est, ne corporum quidem labes in Sacerdotibus aut sacrificiis à censura immunes extitisse, Leu. 21. v. 17. verum in more positum fuisse, vt perfecta perfecti offerrent, ad significandam, ni fallor, animi integritatem, Exod. 29. v. 30. nec cuiuis sacerdotalem vestem, aut supellectilem vllam sanctam attingere licuisse, nec sacrificia ipsa à quibus & quo tempore ac loco minimè conueniebat, absumi consueuisse, nec vnctionis oleum compositioniq; suffitum Exod. 30. v. 35. imitari, ac deniq; templum adire cuiquam liberum fuisse, nisi & animo & corpore vel ad leuissima vsque sese purgasset: tantum aberat, vt ad Sancta Sanctorum accedere auderet, quæ vni duntaxat, semelq; quotannis adire licebat: tantum aberat, vt cuiusuis esset velum aut propitiatorium aut arcam aut Cherubinos vel prospicere vel attingere. Hæc igitur cum perspecta haberem, illudq; insuper, neminem magno & Deo & sacrificio & Pontifice dignum esse, nisi qui prius seipsum Deo hostiam viuentem & sanctam exhibuerit, rationalemq; cultum gratum atq; acceptum ostenderet, Rom. 12. v. 1. Deoq; sacrificium laudis, Psal. 49. v. 14. 23. spiritumq; afflictum atq; contritum Psal. 50. v. 19. obtulerit (quod vnum ille sacri-

sacrificium pro omnib. suis erga nos beneficiis à nobis efflagitat) quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum exemplar præsidenti animo ipsi offerrem, aut quo modo Sacerdotis habitum nomenq; subirem, priusquàm manus piis actionibus consecrassem, priusquam creaturis sanè atq; ad creatoris solum admirationem, non autem ad detrimentum aspiciendis oculum assuefeciſſem, priusquam disciplinæ Domini aures satis aperuiſſem? &c.

Missæ sacrificium qua sanctitate offerendum.

CAP. CXX.

MORTIFERO SCELERE ALLIGATI & vel Sacramenta ministraturi, vel concionem habituri, vel Canonicum pensum absoluturi contritionem excitare conentur.

§. EAndem peccatorum detestationem & contritionem in se excitent vel Sacramenta administraturi, vel statas ac Canonicas preces pro se ac tota Ecclesia persoluturi, aut etiam concionem habituri, qui aliquo se scelere obstrinxerint. Nam vt est Psalm. 49. v. 26. *Peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum, &c.* Et Isa. 1. vers. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, hoc est, grauibus peccatis contaminatæ. Hinc & Dauid in Psal. 65. v. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus.* Siquidem, vt ait Eccl. cap. 15. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Imo vt est Prou. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. S. Gregor. l. 9. epistola 45. Inanis*, inquit, *sit oratio, vbi praua est actio.* In cujus nimirum prauæ actionis affectu homo perseuerat; nam si peccatum detestans toto ad Deum animo conuertitur, vt Dauid, Manasses, Publicanus, latro, exauditur.

CAP. CXXI.

CLERICIS SÆPE EXOMOLOGESIS facienda: & quæ crebræ confeſſionis vtilitates.

§. CVm ergo & in ſacrificio celebrando & in miniſterio ei adhibendo, & in præbendis ſacramentis & in precibus exoluendis animi puritas neceſſaria ſit, quantum per humanam conceditur imbecillitatem, optimam ſemper rectiſſimamque curent habere conſcientiam, quemadmodum monet Apoſtolus 1. Timoth. 1. v. 18. 19. *Milites bonam militiam habentes fidem & bonam conſcientiam quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*, quam conſcienriam peccato inquinatam Sacra exomologeſi ſtatim expient, ex qua frequentata maximæ vtilitates exiſtunt. 1. Crebra noxas confeſſione eluens admirabili pace & gaudio, ſalutis ſuæ fiducia & in vitæ exitu ſolatio perfruitur. Prou. 15. v. 15. *Secura mens, quaſi iuge conuiuium.* Eccleſ. 30. v. 16. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* S. Chryſoſt. homil. 54. in Matth. *Nihil aliud iucundum eſt, quam conſcientia proba & ſpes futurorum certior.* 2. Qui diuturnas animi labes Pœnitentiæ Sacramento non detergit horribili conſcientiæ angore torquetur. Iob. 15. v. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Prou. 28. v. 1. Iſa. 57. v. 20. 21. *Impii quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impiis dicit Dominus Deus.* S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 12. *Peccator quamuis foris abūdet, & delitiis diffluat, odorib. fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Impius ipſe ſibi pœna eſt, iuſtus autem ipſe ſibi gloria.* S. Auguſtinus in Pſalm. 54. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt maior tribulatio quam conſcientia delictorum.*

Conſcia mēs prauī ingens tormentum.

3. Mors

§. 3. Mors certissima, mortis tempus incertissimum. Matth. 25. v. 13. *Vigilate, quia nescitis diem neq; horam*, qui autem sæpè confitetur, semper ad mortem paratus est, qui rarò, plærumque imparatus. Quapropter si improuiso in mortis discrimen venerit, angoribus conficitur & in perditis & desperatis salutem suam habet, nam teste S. Augustinus præfatione in Psal. 31. *quomodo mala conscientia tota est in desperatione, sic bona conscientia tota in spe.* Imò persæpe ne confessionis quidem instituendæ cogitationem suscipit Christo justo judice sic permittente, vt qui viuens oblitus est Dei, moriens obliuiscatur sui, & qui abusus est tempore pœnitentię ad superbiam, nec necessario prorsus tempore vtatur ad æternam salutem. Quod si aliorum impulsu vmbratilem saltem confessionem facere velit, doctus, prudens, moderatus pius confessarius ægerrimè conscientiam tot laqueis implicatam expedire potest. Videatur S. Augustinus lib. 50. hom. h. 41. Proinde *qui hodie vocem Domini audiuerit non obduret cor suum.* Psalm. 94. *nec tardet conuerti ad Dominum, aut differat de die in diem*, Eccles. 5. v. 8. *sed quærat Dominum dum inueniri potest*, Isa. 55. ver. 6. nec illi accidat, quod Deus comminatur Prouerb. 1. v. 24. *Quia vocaui & renuistis, extendi manũ meã & non fuit, qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo cum vobis id quod timebatis aduenerit. Tunc inuocabunt & non exaudiam: mane consurgent & non inuenient me.* Hoc pluribus ad terrorem, & emendationem nostram accidit vt Chrisorio, apud S. Gregor. lib. 4. Dial. c. 38. & hom. 12. in Euang. Beda. libr. 5. hist. 14.

Crebra confessio ad inopinatã mortem dispositio.

Bona conscientia fiduciã parit, mala diffidentiã.

Rara confessio insolubilibus nexib. implicat.

§. 4. Confessionis crebritas indiciũ est diuini timoris, & animi Dei offensam horrentis. Confessionis verò raritas vel prætermissio argumentum est diuini contemptus & ejus indignationem non extimes-

Frequens cõfessio pietatẽ & Dei timoẽ rem ostendit.

centis contumaciæ, cum tamen tam terribiliter moneat Saluator Luc. 12. v. 4. 5. *Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis hunc timete.* Et Apostolus Rom. 2. v. 4. 5. *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera eius.*

Crebra confessio vel æterni supplicii euasio vel mitigatio.

§. 5. Qui frequenter confitetur minus est expositus sempiterni exitii & supplicii periculo: nam si sæpè peccat, sæpe Dei gratiam recuperat, & facilius mortem obit in gratia, quod si & scelere contaminatum mors inopinata oppresserit, non luet apud inferos eorum flagitiorum quæ confessione deleuit pœnas, & multo minùs punietur.

Plurimi fructus crebræ confessionis & detrimenta prætermissa.

§. 6. Qui sæpenumero confitetur magis atq; magis diuino lumine colluſtratur, accuratius conscientiæ recessus perscrutatur, nec facile aliquorum obliuiscitur, vt alii, non sine præsenti salutis damno, plusque cœlesti præsidio armatur & munitur contra dæmonis, carnis, & mundi impugnationes, quorum & vis ac impetus eo Sacramento frangitur, consilia & fraudes deteguntur & eluduntur. At qui rarenter scelerum maculas confessione detergit, quotidie magis magisque diuino lumine & ope destituitur, ac peccatorum sordibus contaminatur, & ex vno flagitio in aliud gradum facit. *Apponitur iniquitas super iniquitatem* Psalm. 68. v. 28. *Peccator adiiciet ad peccandum.* Eccl. 3. v. 29. *Sanguis sanguinum tetigit* Hoseæ 4. ver. 2. *donec impius in profundum veniat & contemnat* Prouerb. 18. vers. 3. *Peccatum*, ait, *S. Gregorius lib. 25. Mor. cap. 12. quod pœnitentia non diluit suo pondere ad aliud trahit.* Insolescit caro, inualescit dæmon *à quo peccator captiuus tenetur ad ipsius voluntatem* 2. Tim. 2. v. 26.

§. 7. Pec-

§. 7. Peccatori ritè confitenti perdita cum incremento redditur gratia, restituuntur opera pia & merita peccato mortificata, condonatur & aliqua portio temporalis pœnæ, vel in hoc mundo per acerbos dolores, vel in futuro per ignem purgantem nulli præsenti supplicio comparabilem, luendæ & expendendæ. Et quæ gratia præditus opera perficit, vitam æternam promerentur, cæteroquin cœleste præmium non habitura.

§. 8. Homini justo conseruatur, augetur sui cognitio, lumen diuinum & gratia cujus gratiæ minimus gradus vniuerso præstantior est mundo, crescitque simul cum gratia cœlestis gloriæ præmium, qua æternum perfruetur.

CAP. CXXII.

CONFESSARIORVM HABENDVS delectus, vt pharmacorum.

§. AD eam conscientiæ puritatem & jucunditatem comparandam, retinendam, augendam, quantum licebit, benè doctum probumque Confessarium deligant, ne cœcus cœco dux sit in præcipitium, vel foueam. *Confessarius eruditus sit, & probus.*

§. *Vt vitia corporis*, ait S. Basilius q. 229. *compendio explicata, nequaquam quibus uis homines temerè aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sunt, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possint curare.* *Fide sed cui vide.*

§. Et ante S. Basilium peruetus ille Ecclesiæ Magister Origenes hom. 2. in Psalm. 37. *Circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, vt ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris.* *Imprudentis ac pii confessarii consilio acquiescendum.*

§. S. Ludouicus Rex Franciæ inter alia monita & & præcepta data Philippo primogenito. *Crebro*, inquit, *confitearis peccata tua, deligasq; tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat, & coram illis ita te compares, vt audeant syncerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.*

Rogetur à confessario veritas.

§. Maximum Confessio negotium, quia agitur de æterna salute, & tamē multi optant, imò quærunt, & per se & per alios confessarios, quales Iudæi Prophetas nō Veridicos sed blādiloquos & assentatores. Ezechiel. 13. vers. 17. 18. 19. Et Isa. 30. v. 9. *populus enim ad iracundiam prouocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.*

§. Sed quid illis accidit qui tales volunt Confessarios & Prophetas? Quod Achab 3. Reg. 22. Qui Pseudoprophetas audire maluit quam verum vatem Dei Michæam & ideo miserè periit.

§. S. Augustinus libro de Pœnitentia cap. 10. *Et habetur de Pœnitentia distinct. 6. cap. 1. Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam: quærat Sacerdotem scientem ligare & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet & petit ne ambo in foueam cadant.*

§. Talis Confessarius fuit S. Ambr. de quo sic Paulinus Presbyter in eius vita: *Quotiescunq; illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: videbatur etiam sibi cum iacente tacere, quemadmodum Apostolus docet Gal. 6. v. 1. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

§. Me-

§. Medicus præsertim spiritalis multorum instar. Qualem propriis viuisque coloribus depingit S. Basilius serm. de abdicatione rerum: *Summa*, inquit, *vigilantia, acerrimaq; in omnes partes animi circumspectione operam dato, vt aliquem virum tibi inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, eiusmodiq;, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sciat commonstrare: qui ornatus virtutibus sit, cuius vniuersa totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum messe, qui diuinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum nec vlli distractioni indulgentem ab auaritia abhorrentem, minimè libenter gerendis se negociis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, iniuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum atq; constantem, cui deniq; nihil sit præstantius honore Dei. Ac si talem quempiam nactus fueris, tum verò voluntatem tuam omnem expuito, ac foras proiicito: atq; vbi hoc feceris, dede te illi, vt sincerissimum veluti vas quoddam existas, qui quæ in te infundantur virtutes, ad laudem Dei gloriamque ab omni vitio castas conserues.* *Qualis confessarius & consultor.*

CAP. CXXIII.

NEGOTIA SÆCVLARIA, QVANTVM fieri potest, non tractanda Ecclesiastico.

§. VT liberè, plenè, & ex toto se in diuinum obsequium cultumque impendant inanibus, profanis, ac superfluis curis & occupationibus se expediant. *Nemo*, ait, Apostolus 2. Timoth. 2. v. 4. *militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit* *Sursum versus sacrorum flumina feruntur fontes.*

uit. Et Dominus Matth. 6. v. 24. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Et eodem c. superius v. 19. 20. 21. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Qui denuo præcipit Luc. 21. v. 34. vt diligenter animaduertamus, ne mundanis curis velut pondere degrauentur animi nostri & ægrè se ad cœlestia attollant. *Attendite autem vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ & superueniat in vos repentina dies illa.*

§. Psal. 45. v. 10. rursum hortatur Deus. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus,* id est, superuacaneas hujus sæculi curas & cogitationes deponite & contemplemini quod ego sim Deus infinita natura, potentia, scientia, bonitate, justitia præditus. *In quem Psalmum & versum S. Basil. Quatenus,* inquit, *iis rebus vacamus, quæ alienæ sunt à Deo, Dei notitiam recipere nequaquam valemus. Quis n. eorum quæ mundi sunt, sollicitus, seq; immergens multimodæ distractioni carnis, attendere posit verbis Dei, satisue facere tot tantarumque contemplationum exactæ comprehensioni? Nonne vides quod in spinas dilapsum verbum à spinis suffocatur? Spinæ namq; carnis voluptates & diuitiæ & curæ sunt huius seculi.* Luc. 8. v. 7. 14. *Extra hæc omnia constitutum esse, opus sit eum, qui cognitionem Dei desiderat, debetq; ab omnib. perturbationib. atq; affectibus vitiosis vacare, sic demum scientiam Dei apprehendere.* Idcirco Dominus alias dicit Luc. 14. v. 33. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, vt nimirum affectum ab iis abiungat, non potest meus esse discipulus.*

§. 12. q. 1. c. 7. *Duo sunt.* Ex S. Hieronymo dicitur, quod quia Clerici mancipati sint diuino officio & dediti contemplationi & orationi ab omni strepitu temporalium cessare iis conueniat. Et capitis rasio temporalium omnium depositionem significet.

§. Sunt verò peculiaria quędam Sacerdotibus interdicta, de quibus Concil. Mogunt. c. 10. de vita Clericorum. *Clericis lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita se-*

clu-

clust, à mundi voluptatib. abstineant, non spectaculis, non pompis intersint: conuiuia inhonesta, & turpia effugiant. S. Hieron. ad Nepoteanum dicit: Omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, vt consolatores nos in mœroribus suis potius, quam conuiuas in prosperis, nouerunt. Et Isid. de off. l. 2. c. 1. Lege Patrum cauetur, vt Clerici conuiuia publica fugiant; priuata non tantum pudica, sed & sobria colant. Vsuris nequaquam incumbant; nec turpium occupationes lucrorum, fraudúq; alicuius studium non appetant. Amorem pecuniæ quasi matrem cunctorum criminum fugiant. Sæcularia officia, negotiaq; abiiciant. Horum gradus per ambitionem non subeant. Non vagis oculis, non infreni lingua, aut petulanti, tumidoq; gestu incedant, sed pudorem, ac verecundiam mentis habitu, & incessu ostendant. Obscenitatem etiam verborum, sicut etiam corporum, penitus execrentur. Viduarum ac virginum frequentissimas visitationes fugiant. Contubernia fœminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoq; inviolati corporis perpetuo conseruare studeant. Seniorib. quoq; debitam præbeant obedientiam, neq; vllo iactantiæ studio se attollant. Postremo in doctrina, & lectionibus, psalmis, hymnis, & canticis exercitio iugi incumbant. Tales n. debent esse, qui diuinis cultib. se mancipandos studeant exhibere, vt scil. dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

Nunc aliqui spectacula præbent.

Sobria sint clero conuiuia sintque pudica.

Lucelli aucupatio turpis Clerico.

Morum modestia.

Mulierculārum fuga.

Maiorib. deferendum.

Pietati studendum.

§. Rursus idem Conc. Mog. Ne cler. vt mon. c. 1. dist. 68. c. peruenit. dist. 88. c. decreuit. c. consequens. Multa sunt negotia secularia, de quib. pauca perstringemus. Quicquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est. Munera iniusta accipere vel etiam dare. Pro aliquo seculari quæstu pretio aliquem conducere. Contentiones, vel lites, vel rixas amare. In placitis secularib. disputare, excepta defensione orphanorū & viduarum. Conductores secularium rerū aut procuratores esse. Turpis verbi vel facti esse iaculatorem vel iocum secularem diligere. Aleas amare. Ornamentum inconueniens proposito suo quærere. In deliciis viuere velle. Gulam & ebrietatem sequi. Pondera iniusta vel mensuras habere. Negotium iniustum exercere; Canes & aues sequi ad venandum: & omnibus quibuslibet causis superfluis

Munerum corruptela non admittenda.

Iudicate pupillo. defendite viduam Isa. 1. v. 17.

Temporal. ū bonorū administratio recusanda.

Non sit venator fera. ū sed animarum.

intereſſe. Ecce talia, & his ſimilia miniſtris altaris Domini contradicimus. De quibus ait Apoſtolus: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.

CAP. CXXIV.

SVPERVACANEVM TEMPVS ſpirituali lectioni tribuendum.

§. QVod tempus diuinis officiis & neceſſariis ſupereſt negotiis libenter piæ lectioni impendant, *auditurі quid in ipſis loquatur Dominus* Pſalm. 84. 1. Timoth. 4. v. 13. *Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ.* *Quando legis*, ait S. Auguſt. in Pſalm. 85. *Deus tibi loquitur, quando oras cum Deo loqueris.*

Aſſiduus precator & lector Dei familiaris.

§. De antiquiſſimo illo ſcriptore Origene presbytero, cui cognomentum Adamantius ob nunquam fatigabilem in ſcribendo legendoq; naturam ab inuincibili adamante inuenit. *S. Hieron. epiſtola 18. ad Marcellam refert, nunquam cibum ſine lectione ſumpſiſſe, nunquam iniſſe ſomnum, niſi vnus è fratribus ſacris litteris perſonaret, hoc diebus egiſſe & noctibus; vt & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Quid nos*, ait, *ventris animalia, tale vnquam fecimus? quos ſi vel ſecunda hora legentes inuenerit oſcitamus & manu faciem defricantes continemus ſtomachum, & quaſi poſt multum laborem mundialibus rurſum negotiis occupamur. Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam ſalutandi, qua aut ipſi ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros expectamus. Deinde tum in verba: ſermo teritur: lacerantur abſentes: vita aliena deſcribitur & mordentes inuicem conſumimur ab inuicem Gal. 5. 15.* Iſta D. Hieronymus.

Origenes vel ſtuduit, vel orauit.

Sacræ lectionis impedimenta.

§. Hortatur itaq; Clericos S. Ambr. lib. 1. off. c. 20. *Cur non illa tempora, quib. ab Eccleſia vacas lectioni impendas?*

Cur

Cur non Christum reuisas, Christum alloquaris Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus cum diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? De S. Bernardo in ejus vita libr. 1. cap. 4. ita Guilhelmus Abbas, *Feriatus à labore vel opere iugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur.*

§. His adde impios piam refugere lectionem, vt securiùs peccatis indormiant, ne sopita conscientia euigilet, expendensque peccati grauitatem, mortis celeritatem, diuini judicii seueritatem, inferni acerbitatem, sollicitet vrgeatque vitæ emendationem. Qua de caussa & conciones, & meditationes & pia colloquia, & cum religiosis viris consuetudinem declinant. *Sicut aspides surdæ obturantes aures suas*, Psalm. 57. v. 5. Et Psalm. 35. vers. 4. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Iob. 21. v. 14. *Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.*

§. Quam verò salutaris sit tàm probis quàm improbis piorum spiritualiumque librorum lectio certa documenta proferamus. Ex legis libro diuinis lectis comminationibus sanctissimus Rex Iosias mox Sacerdotem & suos Principes misit ad consulendum Dominum, qui ei respondit per Holdam Prophetidem 4. Reg. 22. ver. 18. 19. 20. *Regi autem Iuda, qui misit vos vt consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* Occasione sacræ lectionis diuino metu Rex perculsus, conuersus, Numen reueritus & deprecatus, impendens euasit exitium.

Celestiũ minarum lectione Iosias rex optimus Deum vehementer extimuit.

§. Eu-

Scriptura lectione & explanatione

Regius cubicularius conuertitur.

§. Eunuchus Act. 8. ex sacra peregrinatione Ierosolymitana curru domum reuertens, & Isaiam de Passione Domini cap. 53. toto non tàm Vaticinium quàm Euangelium scribentem legens, doctusque à Philippo Diacono interpretationem, & in Christum fidem credidit, baptizatus est, & ingenti gaudio perfusus. Cujus Libri Actuum Apostolicorum lectione illustrissima fœmina Domna Deorum sacrificiis præfecta ad fidem Christianam traducta & in ea plenius erudita vestes pretiosas, gemmas, thesauros pauperibus elargita, pro Christo sanguinem vitamque profudit, vt habet Metaph. 26. Ianuarii. & Baron. Anno 293.

Paulina lectioni inhærens S. Aug.

S. Antonii gloria.

Vita S. Antonii stupori est B. Augustino.

§. Egregia hujus lectionis sacræ vtilitatem demonstrantia & de aliis & de se promit exempla Sanctus Augustinus libr. 8. Confess. cap. 6. *Potitiano Paulum Apostolum in mensa inuenienti & gratulatoriè miranti, cum indicassem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio Ægyptio Monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud seruos tuos, nos autem vsque in illam horam latebat. Quod ille vbi competit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide recta & Catholica Ecclesia. Pertendebat ille & loquebatur adhuc & nos intenti tacebamus. Vnde incidit vt diceret, nescio quando se & tres alios contubernales suos, nimirum apud Treuiros, cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exiisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic vt forte combinati spaciabantuur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum pariterque digressos: sed illos vagabundos irruisse in quandam casam, vbi habitabant quidam serui tui, spiritu pauperes, qualium est regnum*

Solitarii iuxta Treuiros.

regnum cœlorum, & inuenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonii. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia seculari seruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto & sobrio pudore, iratus sibi coniecit oculos in amicum, & ait illi; Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maiorne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat & mutabatur intus vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando & discreuit, decreuitque meliora: iamque tuus ait amico suo. Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tam mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia sua & sequendi te. Et ambo habebant sponsas. Quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ Virginitatem tibi.

Aulicus S. Antonii vitam legendo conuertitur.

Aulica vita splendida miseria & aureæ compedes.

Rumpe moras omnes, nocuit differre paratis. Luc. 14. v. 28.

§. Quantum autem eiusmodi commemoratione ad saniorem vitam sectandam permotus fuerit, ipsemet D. Augustinus statim capite septimo subjungit: Narrabat, ait, hæc Potitianus: Tu autem DOMINE inter verba eius retorquebas me ad meipsum auferens me à dorso meo vbi me posueram, dum nollem me attendere, & constituebas me ante faciem meam, vt viderem quam turpis essem, quàm distortus & sordidus, maculosus & vlcerosus. Et videbam & horrebam, & quo à me fugerem non erat. Et si conabar à me auertere aspectum, narrabat ille quod narrabat: & tu

Contraria iuxta se posita magis eluescunt.

Conscientia mentem exagitat.

& tu me rursus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, vt inuenirem iniquitatem meam & odissem. Noueram eam, sed dissimulabam & conniuebam & obliuiscebar. Tunc verò quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quod se totos tibi sanandos dederant, tanto execrabilius me comparatum eis oderam. Et ita rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehementer, cum Potitianus talia loqueretur. Terminato autem sermone & causa qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? Quibus sententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur, recusabat, & non se excusabat. Consumpta erant & conuicta argumenta omnia, remanserat muta trepidatio, & quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis quo tabescebat in mortem.

Amans virtutis osor vitii.

Lex carnis repugnat legi mentis Rom. 7.

§. Et addit cap. 8. *Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaueram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tàm vultu quàm mente turbatus, inuado ipsum, & exclamo, Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi, & non pudet nec saltem sequi?*

§. Quod verò ipse lectione S. Pauli prorsus & medullitus conuersus fuerit, recenset in eodem libr. 8. c. 12. *Vbi à fundo arcano alta consideratio contraxit & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et sub quadam fici arbore strauit me. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & crebro repetentis quasi pueri an puellæ nescio. Tolle lege, tolle lege. Statimq; mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrum nam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoq; impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de*

Antonio

Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit tanquam sibi diceretur quod legebatur; Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me, & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaq; concitus redii ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli: cùm inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei. Non in commessationicus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius. Ita pia lectio maximum Ecclesiæ Doctorem creauit.

§. S. Chrysanctus cum omne scriptorum genus diligenter conquireret, incidit in libros Euangeliorum, quibus accuratè perlectis, & à S. Carpophoro expositis, susceptam religionem Christianam martyrio decorauit. Ita in ejus vita Metaph. & Surius cap. 2. Octobr. 25. S. Dominicus miros progressus in virtute fecit collationum S. Patrum lectione, vt & B. P. N. Ignatius vitam Christi & Sanctorum prouolutando, religiosi Ordinis institutor effectus est. Petr. Ribad. libro 1. cap. 2. vitæ ejus.

CAP. CXXV.

QVINAM LIBRI POTISSIMVM Clericis euoluendi:

§. Diuinorum scriptorum volumina diligenter euoluant. *Tu*, inquit, S. Paulus 2. Tim. 3. v. 14. 15. 16. *verò permane in iis quæ didicisti* (Euangelium & alia) *& creditæ sunt tibi, sciens à quo* (me Paulo Apostolo) *didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum* (quæ salutaria, quæ noxia) *ad arguendum* (errorem, falsitatem, hæresin) *ad corrigendum* (malè cogitata, dicta, facta, consolatione, precatione, exhortatione, objurgatione) *ad erudiendum in iustitia* (fidei & operis) *vt perfectus sit homo Dei* (diuino obsequio deuotus) *ad omne opus bonum instructus* (ad se aliosq; iuuandos) *Si*, inquit, *hoc S. Chrys. loco Timotheo ista scribit, sancto Spiritu pleno, quanto magis nobis dicta putare debemus?*

S. Scripturæ lectio eiusq; vtilitas commẽdatur.

§. *Idem S. Chrys. hom. 48. in Matth. Audiamus igitur quicunq; Scripturarum lectionem negligimus, quantum damnum, quantam inopiam patiamur. Quando n. bona viuendi opera sciemus, qui etiam præcepta ipsa & instituta, quibus viuendum est, ignoramus?*

Damnosa S. litterarũ ignoratio.

§. *S. Hier. epist. 2. ad Nepot. c. 8. Diuinas Scripturas sæpius lege, imò nunquam de manibus tuis sacra deponatur lectio. Disce q̃ doceas, obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt possis exhortari in doctrina sana & contradicentes reuincere. Tit. 1. & epistola 14. ad Celantiam cap. 4. Sint ergo diuinæ Scripturæ semper in manibus tuis & iugiter in meditatione versentur. Ioannis 13. v. 17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Iacobi 4. v. 17. Scienti bonum facere & non facienti: peccatum est illi. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere & operibus obliuisci: sed ideo illa cognosce, vt facias, quicquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur Rom. 2. v. 13.*

Diuina scriptura diurna ac nocturna manu versanda.

p.13. *Latus quidem & immensus diuinæ legis campus extenditur, qui diuersis testimoniis veritatis velut cœlestibus quibusdam floribus vernus mera oblectatione legentis animum pascit, ac reficit. Quæ omnia semper cognoscere, secumq; reuoluere ingens ad conseruandam iustitiam beneficium est.* Ad quod Scripturę studium tota epist.103. hortatur Paulinum idem S. Hieron. Qui & epist.4. ad Rustic.c.5. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

§. Sanè Saluator Ioan. 5. v. 39. *Scrutamini*, inquit, *scripturas & illæ sunt quæ testimoniū perhibent de me.* S. Chrys. homil. 40. in Ioan. *Christus*, ait, *Iudæos ad scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquam diligentem relegauit. Non dixit: Legite Scripturas, sed scrutamini, diuina n. summa indigent diligentia, &c.* Quam Scripturæ non modo lectionem, sed & scrutationem in Thessalonicensib. laudat S. Luc. Act. 17. v. 11. *Nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, susceperunt verbum cum omni auditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.* Et eam vsurpandam quinq; superstitibus fratribus demortui & damnati diuitis Epulonis respondit Patriarcha Abraham Luc. 16. v. 19.

Quid à S. Scriptura legendum.

§. Præter S. Scripturas earundemq; Interpp. peruolutent decreta S. Pontificum, Concil. Canonum, libros de honesta clericorum vita, piorum hominū, de vitiis detestandis, complectēdisq; virtutib. tractatus, Ecclesiasticas historias, Sanctorum res gestas, & id genus monumenta alia. *S. Hier. ep. 10. ad Fur. c. 4. De Scripturis, inquit, sanctis habeto fixum versuum numerum; istud pensum Domino tuo redde. Nec ante membra quieti concedas quā calathū pectoris tui hoc subtegmine impleueris. Post Scripturas S. doctorum hominū tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota est.* Non necesse habes aurum in luto quærere. S. August. serm. 112. de Temp. *Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum verò legimus Deus nobiscum loquitur.*

Quis Deo intimus.

CAP. CXXVI.

SACRÆ CONCIONES DILIgenter audiendæ.

§. DOminicis diebus & Festis libenter, attente, reuerenter sacris interfint concionibus, ac potissimùm, si sodales, quod optandum, fuerint, iis cohortationib. quæ octauo die in proprio habentur oratorio; nam vt ait Saluator Ioannis 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verbum Dei audit.* Ex Deo esse dicitur, qui spiritu Dei & gratia est præditus, & ad cœlestem diuini Parentis viuit voluntatem recte credendo & piè operando.

Quis sit ex Deo.

Verbi diuini audiendi desiderium, æternæ salutis potiundæ indicium.

§. Quam cupidam diuini verbi auditionem inter alia prædestinationis & salutis argumenta serm. 1. in Septuages. collocat S. Bernard. & S. Chrysost. homil. 32. in Genes. *Quemadmodum*, inquit, *corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritalis doctrinæ manifestissimum est argumentum animæ benè habentis.*

Verbum Dei cibus animæ

Eadem est sententia S. August. serm. 66. de tempore. *Certissimè scitote*, inquit, *fratres charissimi, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima quæ assidue non pascitur verbo Dei. Et quo modo caro per famem & inopiam tenuis & sicca velut quoddam simulachrum efficitur: ita & anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua inuenitur.*

Gratia Dei ante concionem impetranda.

§. Ante concionem inuocandus est Deus, vt mentem nostram illuminet, voluntatem emolliat, commoueat, inflammet, quo verbum Dei fructuosius audiri, intelligi, retineri, expendi, & perfici à nobis possit. Ita precabatur Dauid in Psalm. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam*

in toto

in toto corde meo. Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas. Nihil, inquit, *S. Ioann. Chrysostomus homil. 3. de incompreh. Dei natura, fructus ex homilia capi potest, nisi oratio adiungatur: porro sermoni oratio debet anteire.* Sic Apostoli dicunt Act. 6. v. 4. *Nos in oratione ac sermonis doctrina perseuerabimus.*

Animi puritas & tranquillitas ante cõcionem comparanda.

§. Deinde & ante concionem perpurgandus animus à vitiis & perturbationibus, vt sit tanquam nitidissimum speculum, quod diuinas inspirationes, veritatis præcepta & persuasiones quasi imagines à diuino verbo per concionatorem illapsas subito, clarè perfecte in se recipiat.

Diuini verbi fames excitanda & acuenda.

§. Demum ante concionem vehemens in se desiderium & audiendi & perficiendi excitet, vt dicat cum Propheta Psalmo 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum quia mandata tua desiderabam.* Et cum Ezech. cap. 3. v. 2. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine isto* Os aperimus ait S. Gregor. homil. 10. in Ezech. *quando sensum ad intelligentiam sacri verbi præparamus, & cum ad Dominica præcepta cordis nostri desideria inhiant, vt de cibo vitæ aliquid sumant.*

In concionis auditione quid agendum.

§. In audienda ipsa concione habitus corporis vultusque decenter ad attentionem compositus sit & animus persuasissimum habeat Deum ipsum ad se per concionatorem loqui. Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit,* Marc. 13. v. 11. *Non vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.* Luc. 12. vers. 12. *Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere,* Ioannis 14. v. 26. *Paracletus Spiritus sanctus docebit vos omnia & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* Act. 2. v. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout sanctus Spiritus dabat eloqui illis.* S. Greg. Nyss. in encomio S. Ephrem, & in ejus vita Simeon Metaphra. tradunt à S. Ephrem visam in humeris sancti Basilii concionantis fulgentem columbam, quæ dexteram

ram ejus in aurem insusurrabat, quæ dicturus erat. Et vt habet Ioannes Diaconus l. 4. vitæ S. Gregorii cap. 6. *Paulus Diaconus familiarissimus eius super caput ipsius tractantis Spiritum sanctum in similitudine columbæ frequentissimè perspexit. Et cap. 70. Hinc & spiritus sanctus specie columbæ super scribentis Gregorii caput depingitur.*

§. Laudat ob hoc Thessalonicenses 1. epist. cap. 2. vers. 13. & pro iis Deum Apostolus. *Ideo*, inquit, *& nos agimus gratias Deo sine intermissione; quoniam cum accepisset à nobis verbum auditu Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*, id est, tàm reuerenter & honorificè tanta deuotione audistis & recepistis verbum Dei, vt probaretis esse Dei doctrinam, & ab ipso Deo auditi putaretur, vt S. Patres commentatores explanant.

Absoluta concione quid faciendum.

§. A concione præstandum quod monet S. Aug. conc. 1. in Psalm. 103. *Quæ audiuistis cogitate, quæ mandacastis ruminate, sic enim eritis munda animalia.* Sicut beata Virgo *conseruabat omnia verba conferens in corde suo* Luc. 2. v. 19. & 52. Ex quo fonte sui Euangelii initium hausit S. Lucas. *Beati ait Dominus Luc. 11. ver. 28. qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.*

CAP. CXXVII.

RITVS ET CEREMONIÆ ECCLESIÆ Clericis accuratè perdiscendæ, & piè obeundæ.

Quæ cæremoniarum vtilitates.

§. SAcras Cæremonias & externos ritus, qui diuino adhibentur officio, probè sciant, & decenter exerceant. 1. Sunt n. internæ pietatis testimonia. 2. Sunt diuinorum mysteriorum documenta. 3. Sunt spectatorum ad religionem excitamenta. 4. Sunt Ecclesiæ ornamenta, quibus ipsius disciplina, concordia, honestas conseruatur.

§. Atq; his de causis cæremonias ab Apostolis ipsis vsur-

vsurpatas & traditas esse docet S.Dionys. Areopag. de Eccles. hier. c. 1. à medio Concil. Trid. sess. 22. c. 5. Nec mirum, cum ab ipso liberatore nostro eas esse adhibitas ipsi viderint, *vt quod oculos in cœlum sustulerit Matt. 14. v. 19. Ioan. 11. v. 41. & elata voce clamarit Luc. 5. v. 8. & c. 23. v. 46. Ioan. 11. v. 43. & insufflauerit in discipulos Ioan. 20. v. 22. & deuatis manib. iis benedixerit. Luc. 24. v. 50.* Et etiam in vno curando surdo & muto quot cæremoniis vsus est? *Apprehendens eum, ait S. Marc. c. 7. v. 35. de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius & suspiciens in cœlum ingemuit, &c.*

Saluator cæremoniis vsus.

§. Quam v. S. Cæremoniarum obseruatio ipsi grata sit declarat Deus Eze. 44. v. 15. 16. *Sacerdotes a. & Leuitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel à me, ipsi accedent ad me vt ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo, vt offerant mihi adipẽ, & sanguinẽ, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur sanctuariũ meũ, & ipsi accedent ad mensam meã vt ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas. Gen. 26. v. 5. Benedicentur in semine tuo oẽs gentes terræ, eò q obedierit Abrahã voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea & cæremonias, legesq; seruauerit. 3. Reg. 2. v. 3. Et obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, vt custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptũ est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa quæ facis & quòcunq; te verteris. Omnia*, inquit *Apostolus 1. Cor. 14. v. 40. honeste & secundum ordinem fiant.*

Externorũ rituũ vsus Deo acceptus.

§. Existimant v. nostra tempestate Sectarii se posse è Catholicorũ manib. tanq; Herculis clauã extorquere Cæremonias vnico illo Saluatoris dicto Ioan. 4. v. 21. *Venit hora & nunc est, quãdo veri adoratores adorabunt Patrẽ in spiritu & veritate.* Sensus est: Præsto est tempus quo pij Deũ adorabunt nõ in falsitate, vt Samaritani, nõ in vmbra & figura vt Iudæi, sed in vero de Deo sensu & fide, in clarissima rerũ adumbratarũ luce, in Spiritus S. gratia, fide, spe, charitate, & qui ex his proficiscuntur

Nouantes errant, & in errorem mittũt cæci duces cæcorum.

actibus. Nouatores absolutè Spiritum interpretantur, vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantum spiritualem significat : Si autem hæc est adoratio in Spiritu, certè quando Paulus ad Eph. 3. adorabat dicens : *Huius rei gratia genua flecto ad Patrem*, in Spiritu non adorabat : genuum enim flexio corporis est, non animæ ; Nec etiam adoratio erat in spiritu illa Petri Actor. 9. quando submittens quoque genua orauit ; Nec illa Confessio erit in spiritu, de qua dicitur Rom. 10. *Ore confessio fit ad salutem* : Nec erat illa manuum impositio in Spiritu sancto Act. 8. vbi dicitur : *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Nec prædicatio Pauli erat in Spiritu, quia corporea res erat. Non igitur adoratio in spiritu excludit actus corporis : nam 1. Corinth. 12. operationes spiritus varias distinguit Paulus, quæ corporeæ sunt : vt interpretatio sermonum, opera virtutum, genera linguarum, gratia sanitatum, & ad Rom. 12. *siue ministerium in ministrando, qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate*, & multa alia ibi numerata 1. Cor. 12. *Psallam spiritu, psallam mente*, quæ omnia in spiritu sunt, & fiunt, & multa corporalia opera Paulus exhibuit in Euangelio prædicando, de quibus dicit ad Roman. 1. *Testis est mihi Deus, cui seruio in Spiritu meo in Euangelio.*

Hæreticorum interpretamentum refellitur.

§. Concludamus ergo non excludi opera externa per adorationem spiritus, quando ea fiunt, & procedunt ex interiori spiritu, fide, dilectione, & gratia. Eleemosynæ ergo, peregrinatio, jejunium, & reliqua, quæ ex fide, dilectione, pœnitentia procedunt in spiritu fiunt, & in spiritu adoramus, & seruimus Deo, quando hæc sic facimus.

CAP.

CAP. CXXVIII.

FESTI DIES PIO STVDIO ET STVdioſa pietate tranſigendi.

§. SOlennes ſacroſque dies præcipuo quodam religionis ſtudio celebrent, & impedimenta vt ſunt epulatio, ſæcularium negociorum tractatio & id genus alia, nauiter ſubmoueant, vt *vacent & videant, quoniam ſuauis eſt Dominus Pſalm.* 45.

A terrenis rebus ceſſatio ſit in cœleſtibus occupatio.

§. *S. Auguſtinus ſerm.* 251. *de tempore. Ideò à ſanctis Patribus noſtris conſtitutum eſt, & mandatum, vt in ſolennitatibus Sanctorum & maximè in Dominicis dieb. otium haberent, & à terreno negotio vacarent, vt paratiores & promptiores eſſent ad diuinum cultum, cum non haberent, quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentq; eo tempore terrenam ſolicitudinem, quo facilius Dei poſſint intendere voluntatem.*

Die ſacro quibus à rebus ceſſandũ & abſtinendum

§. Atque in primis tunc maximè vacandum à peccatis, à commeſſationibus, ebrietatibus, turpiloquiis, obtrectationibus & id genus aliis. Hinc S. Auguſtin. in Pſalm. 32. conc. 1. *Obſerua*, inquit, *diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtiq; tota die foderent, quam tota die ſaltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipſam requiem omnia faciens abſtine ab opere ſeruili. Omnis enim qui facit peccatum ſeruus eſt peccati* Ioannis 8. verſ. 34.

Quid feſto die agendũ.

§. *Conc. Turonienſ. ſub Arnulpho Imper. can.* 35. *Diebus Dominicis*, inquit, *& Sanctorum feſtis vigiliis & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum, & tantummodo Deo vacandum.*

Quibus de cauſis Sanctorum feſta inſtituerit Eccleſia.

S. Auguſtin. lib. 20. *contra Fauſtum cap.* 21. *Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur. Et ſermon.* 47. *de Sanctis, is idem*

S. Doctor, Quotiescunq; ait, Fratres charissimi S. Martyrum solẽnia celebramus, ita ipsis intercedentib. expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim S. martyrum in vẽritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur.

Dieb. festis agendæ Deo gratiæ pro beneficiis.

§. Idem S. Aug. l. 10. de Ciu. Dei c. 4. Deo beneficiorum eius, ait, solẽnitatibus festis, & diebus statutis dicamus sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.

Sacris dieb. expiandæ peccatorum sordes.

§. S. Leo serm. 3. de Quadrag. Per diem festum omnia, inquit, quæ animi puritatem & speculũ mentis obnubilant abstergenda sedulo, & quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quisq; conscientiam suam seq; ante se statuat proprii censura iudicij. Quo pertinet & illud S. Greg. l. 11. epistolar. ep. 3. ad Romanos ciues. Die Dominico à terreno labore cessandum est, atq; omnimodo orationib. insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Temperanter dieb. festis viuendum.

§. S. Aug. in Ps. 88. conc. 2. in fine. Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos qui præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, & benedictio Domini in æternum maneat super vos, fiat, fiat.

Quid sacris diebus expendendum

§. Hortatur S. Bern. ser. in SS. Apostolorum Petri & Pauli vigilia, vt in festiuitatib. Sanctorum tria vigilanter consideremus. 1. Auxilium Sancti agnoscentis & miserantis nostras miserias & orãtis pro nobis. 2. Exemplum eius non declinantis ad dexteram neq; ad sinistram, sed regiam viam tenentis in conuersatione sua. 3. Confusionem nostram, quod cum fuerit homo passibilis similis nobis, ex eodem luto formatus, non faciamus opera, quæ fecit, nec sequamur vestigia eius.

§. Deniq; dum dieb. festis Christiani conueniunt, è conspectu mutuo & fides crescit & lætitia maior oritur, vt habet S. Isid. l. 1. de Eccl. off. c. 35. Et S. Hier. in c. 4. ad Gal. Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus.

§. Ex his SS. Patrum sententiis dilucidum est, quis dierum

dierum festorum finis fructusq; sit, nimirum 1. fidei & lætitiæ spiritalis incrementum. 2. Conscientiæ emaculatio. 3. bonorum operum excitatio. 4. Memoria beneficiorum Dei, & gratiarum actio. 5. Sanctorum deprecationis pro nobis impetratio. 6. Eorundem imitatio. 7. Et meritorum communicatio.

CAP. CXXIX.

ANTE SOMNVM DISCVTIENda Conscientia.

§. PRiusquam nocturnam capiant quietem. 1. Deo gratias pro acceptis beneficiis agant. 2. actæ diei rationes à Conscientia exposcant. 3. de contractis noxis vehementer indoleant. 4. vitæ emendationem decernant. 5. precibus se Deo commendent. *Examinanda conscientiæ compendium.*

§. *Quæ dicitis in cordibus vestris*, ait S. Dauid Ps. 4. v. 5. *& in cubilibus vestris compungimini. In quem Ps. B. Hier. Quod in die peccando cogitatis, nocte expiate per lachrymas.* Et ibid. *D. Aug. Seipsam anima compungat, ne in die iudicii damnata torqueatur. Hoc eod. loco S. Chrys. Mala quæ cogitastis consilia, ea in cordib. vestris in tempore illius quietis punite, in ea animaduertite. Et si mala castiganda sunt consilia, multo magis profactis & dictis oportet angi animo. Hoc fiat singulis diebus, nec prius obdormiueris, O homo, quam mente versaueris; quæ à te interdiu perperam acta sunt.* De cogitatis, dictis, factis examinanda conscientia.

§. Hujus discussionis & examinationis fructum hom. 43. in Matth. exponit idem S. Chrys. *Lectum, air, atq; quietem peticurus hoc iudicium ineas. Nec res paruas contemne, sed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius euitabis delicta. Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri Iudicis tribunali lætus assistes. Hoc modo Paulus seipsum mundauit, ac ideo dicebat 1. Cor. 11. v. 31. Si nosmetipsos iudicauerimus, non vtiq; iudicaremur.* Verum propter eximiam huius piæ exercitationis vtilitatem vberius de illa differendum. *Quotidianus sui iudex non reformidat* Dei iudicium

CAP.

CAPVT CXXX.

DE EXAMINATIONIS CONSCIentiæ fructibus.

§. EX tribus capitibus diligens propriæ conſcientiæ examinatio commendari poteſt. 1. quod ea vſitata & valde probata fuerit probis & ſanctis hominibus, quorum ſanè mores cum nos delectent, veſtigia ſunt ſtudioſe perſequenda. 2. quod eadem homini vtiliſſima ſit & ſaluberrima, vt, quæ maxima ab illo incommoda auertat, & commoda conciliet. 3. quod denique longe gratiſſima ſit ipſi Deo, eſt enim præcipuum ſalutis noſtræ & perfectionis adjumentum, cujus ſalutis amantiſſimus eſt Deus.

PRIMA PARS.

Quid Synderiſis & naturale hominis iudiciũ.

§. Eſt quoddam à Deo naturæ noſtræ atque rectæ rationi inſitum generale judicium practicum, quo homo judicat bonum eſſe amandum & proſequendum, malum deteſtandum & fugiendum, atque id Synderiſis appellatur, de quo *S. Thom. 1. part. q. 79. art. 12. quod ſit habitus naturalis principiorum operabilium, quod & Baſilius in proœmio in Prou. naturale iudicatorium, & Damaſcen. lucem noſtri intellectus appellat*, de quo quidem accipiunt illud Pſalm. 4. v. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Origenes vocat animæ pædagogum in c. 2. ad Rom. vbi Apoſtolus vocat legem naturalem. Cum gentes*, inquit, *quæ legem non habent naturaliter* (lumine & inſtinctu naturæ) *ea quæ legis ſunt, faciunt* (aliqua, non cuncta, ad quod opus Dei gratia) *eiusmodi legem* (veterem) *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Secundum hanc legem & Deo nos debet tribuere obſequium noſtrum* Rom. 12. v. 2. rationabile ob-

obſequium veſtrum. *Hanc D. Iacobus c. 1. vocat inſitum verbum*, id eſt, interprete Oecum. *naturalem ſermonem, qui diſcernit melius à peiore*, à quo etiam rationales ſumus & dicimur. Si verò judicat Synderiſis: Omne bonum eſt amplectendum, orarè, paſcerè famelicos, docere rudes, &c. eſt bonum, ergo. Omne malum eſt deuitandum, furari, verberare inſontem, eſt malum: ergo.

§. Ex hoc generali judicio naſcitur particulare, quod vocatur conſcientia, quæ nihil aliud eſt quàm judicium intellectuale, de aliqua re ſingulari, quæ ſub actionem cadit, videlicet num facienda vel omittenda, num facta à nobis vel nõ facta, num benè vel malè facta. Quatenus primo eſt judicium de particulari agibili faciendo vel prætermittendo v. g. Omnis occaſio virtutis amplectenda eſt, peccati declinanda: hoc opus præbebit tibi occaſionem exercendæ virtutis aut vitii patrandi, ergo hoc ſectandum & illud fugiendum. Hæc concluſio eſt conſcientia, & hoc pacto ligat, aſtringit & continet hominem, ne quid tale faciat, aut ſoluit, dimittit & laxat, vt faciat. Ita dixit Apoſtolus ad Rom. 14. v. 12. *Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide, Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Agebat Apoſtolus de cibis lege velut immundis prohibitis, quos aliqui ſe putabant poſſe commedere cæremoniis iſtis per Chriſtum abrogatis, alii exiſtimabant ſibi non licere, Apóſtolus autem cum docuiſſet nullum cibum in Euangelio habendum immundum, ſed omnia eſſe munda mundis, addit, illum eſſe beatum in hoc negotio, qui cum putat ſibi licitum veſci, v. g. ſuilla, eum conſcientia non arguat, non condemnet, qui autem dijudicat, dubitat, hæſitat quaſi non liceret, & tamen ederet, condemnatus eſt, quia non ex fide, qua perſuaſum habuit ſibi licere, non ex con-

Vnde, & quid conſcientia.

Conſcientia ligans & ſoluens excuſans vel damnans.

Etiam errãs conſcientia obligat.

conſcientia bona dictante eſſe faciendum, omne autem quod ex tali fide & conſcientia non proficiſcitur peccatum eſt Prou.12.v.18. *Eſt qui promittit & quaſi gladio pungitur conſcientia* (quæ dictat non eſſe faciendũ quod promittit, vt V. Beda, Lyranus & Ianſen. exponunt. Hac ratione dicimus aliquid nos non poſſe facere q̃ ſit contra conſcientiam aut factum quod non ſit contra conſcientiam aut eſſe aut non eſſe nobis religioni.

Nil repugnante ingenio. Tunihil inuita dices faciesque Minerua, ait Lyricus.

§. 2. Quatenus eſt judicium de re à nobis geſta vel non geſta dicitur teſtificari, vel noxam vel innocentiam. Rom. 2. v. 16. *Teſtimonium reddente de illis conſcientia ipſorum.* 2. Cor. 1. v. 12. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ*, Geneſ. 43. v. 22. *Non eſt in conſcientia noſtra, quis poſuerit pecuniam in marſupiis noſtris. Quintilian. lib. 5. Orat. Inſt. Conſcientia mille teſtes: Ea nec vllus carnifex ſeuerius puniet, nec vlla tormenta melius produnt maleficium.* Duo teſtes vel noxæ vel innocentiæ hominis, Deus & conſcientia, id eſt, ſui ſcientiâ & certitudo, quod hæc vel illa in animo noſtro inſit.

§. 3. Quatenus eſt judicium de re vel bene vel male geſta dicitur excuſare vel accuſare, remordere vel tranquillare, affligere vel conſolari. Rom. 2. v. 16. *cogitationum inter ſe accuſantium vel defendentium.* Sap. 17. v. 10. *Præoccupant peßima redarguente conſcientia.* 1. Ioan. 3. v. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum.* Ierem. 2. v. 19. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Aug. lib. contra Secundinum Manichæum. c. 1. Senti de Auguſtino quod libet, ſola me conſcientia in oculis Dei non accuſet. Iuuen. ſatyr. 13. Extemplo quodcunque malum committitur ipſi diſplicet autori primum eſt hæc vltio q̃ ſe iudice nemo nocens abſoluitur.* Eccl. 2. v. 26. *Bono Deus dedit lætitiam, peccatori afflictionem. S. Chryſ. hom. 63. ad Antioch. Licet virtus in eius exercitatione aliquid habeat laboris, multa tamen implet conſcientiam delectatione, & tantam intrinſecus exhibet voluptatem, vt nullo ſermone exprimi poßit. Quid*

tibi

tibi de præsentibus iucundum videtur, nonne lauta mensa, & corporis sanitas, & diuitiæ? Sed hæc suauia, si illi voluptati comparentur, amara videntur. Plato dialog. 1. de iusto: Qui multas iniquitates in vita commiserit, ex ipso frequenter somno excitatus extimescit, & pessima in spe viuit. Qui autem nullius iniuriæ sibi conscius est, huic iucunda spes semper adest.

§. *Examinatio* itaq; conscientiæ est inuestigatio & disquisitio eorum, quæ recte aut perperam gessimus cogitatione, verbo, opere, omissione. Hanc Dauid Ps. 76. vocat exercitationem & quasi mentis expurgationem. *Exercitabar & scopebã spiritum meum, Apostolus* 1. *Corinth.* 11. *v.* 28. suiipsius probationem & judicium. *Probat seipsum homo. Etsi nosmetipsos iudicauerimus nõ vtiq; iudicaremur.*

§. Hæc a. justis hominib. vsitatissima fuit, vt superiore cap. demonstratum est, hic tamen plura astruenda. *S. Bonau. in regulis ad Nouitios* monet eos his verbis? *Stes in silentio, & examina teipsum, quomodo in oratione vel lectione, vel in seruitiis laborasti. Quod si te inueneris otiosum stetisse, aut dixisse illicita, timeas cum dolore cordis sciens q; oportebit tu reddere rationem villicationis tuæ. S. etiam Ephrem Syrus to. 3. serm. Ascet.* Diebus, *ait singulis vesperi & manè diligenter considera, quo pacto habeat se negotiatio tua ac mercimonii ratio. Et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui examina teipsum ac dicito: Putasne hodie in aliquo Deum exacerbaui? Nunquid verba otiosa protuli? Num per contemptum negligentiamq; peccaui? Num in re aliqua fratrem irritaui? Num alicuius famam detractionib. laceraui? &c. Deprehensisq; peccatis gemitum, dolorem, lachrymas funde. Et facto diluculo rursus eadem tecum meditare, & dicito: Quomodo putas, ista nox mihi præterit: Lucratus sum in ea mercimonium meũ? Nunquid improbæ ac sordidæ cogitationes inuaserunt me, atq; illis libẽter immoratus sum, &c.* Similiter *& S. Bern. l. de solit. vita: Mane præteritæ noctis factã temetipso exactionem: & venturæ diei, tu tibi indicito cautionem: Vespere diei præteritæ rationem exige: & su-*

Recte factorum omissio vel in iis negligentia discutienda.

Matth. 13 v. 45. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, &c. Luc 19. v. 13. Negotiamini dum venio.

& superuenientis noctis fac indictionem. Vsitatissima verò fuit, vt dixi, hæc consuetudo Sanctis, vnde B. Dorotheus doctrin. 11. Quo pacto per singulos dies nosipsos purgare, & propemodum expiare debeamus exactissimè docuerunt Maiores, & Patres nostri: nempè vt vesperi sedulò quisq; perquirat & inuestiget, quo modo pertransierit diem illum. Rursus manè examinet, quo modo exegerit noctem illam: & pœnitentiam agat, ac resipiscat coram Deo, si quo pacto, vt fieri potest, peccatum aliquod admiserit. B. Ioannes Climacus gradu 4. Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperè, lucrum ac detrimentum omnino computat. Ribadinera lib. 5. c. 1. de B. Ignatio. In horas singulas sese colligebat, & à reliquis animum in Deum reuocabat, conscientiamq; suam discutiebat diligentissimè. P. Horatius lib. 4. vitæ B. Francisci Xauerii c. 8. sæpius, ait, in die diligentius conscientiam suam excutiebat, & cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur in eo perfectæ vitæ carduem verti ratus. Quod beatissimi illi viri ab Apostolorum principe didicisse videntur, de quo S. Clemens epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini in fine: Instruebat Petrus discipulos actus vitæ suæ omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere, firmiter scire cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere & Sacerdotibus Dei manifestare. Propheta Dauid velut scopis euerrebat sedes animæ & assiduè peccatorum suorum memor erat. Iniquitatem, ait Psal. 50. v. 5. meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, id est, interprete Chrysost. hom. 2. in Psalm. 50. Etiam post acceptam à te veniam peccatum meum obliuione non contriui, verum malorum meorum, ac flagitii perpetrati simulachrum sine vlla intermissione contemplor. Atque & noctu & interdiu eius species mentis meæ oculis sese obiicit, & in conscientia mea velut in pictura sanies meã intueor. Sic ille, quod postea monuit Ecclesiasticus cap. 5. v. 5. de propitiato peccato noli esse sine metu, & assidue, vt eum ab occultis peccatis Deus mundaret precabatur cum lachrymis, quibus per singulas noctes lectum suum rigabat, Psal. 6. §. Ele-

Conscientia discussio magnum ad perfectionem adipiscendam adiumentũ

Horribiles peccatorum suorum quasi dæmonum in tabula depictas formas assiduè considerabat & dixit statarium Dauid.

§. Eleganter S. Augustᵘˢ. hom. 5. l. 50. hom. *Ascendat ait, homo aduersus se tribunal mentis suæ, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat.* Videtur S. Augustᵘˢ. id ab Apostolo mutuatus, qui Rom. 2. vers. 15. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium illis reddente conscientia eorum, & inter se cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, &c.* Ecce in humano corde erectum à Deo tribunal, & incisæ leges bonum præcipientes, malum vetantes, vbi rationem constituat judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes hominem vel accusantes vel defendentes. Ad hoc judicium relegatus à Deo Dauid contra se tulit sententiam 2. Reg. 12. vers. 5. 6. & Achab 3. Reg. 20. v. 38. ad cap. vsq; finem.

§. Sed & ante S. Augustᵘˢ. D. Basil. serm. de Inst. Monach. *Completo die omniq; opere cum corporis tum spiritus etiam absoluto præclarè fiet, si diligenter vnusquisq; antequam cubitum eat cum animo suo conscientiam suam exquirat, si quid cogitauerit, vel locutus fuerit eorum quæ non decent.* Et B. Chrys. hom. 2. in Ps. 50. *Annon codicem domi habes, in quo quotidianas rationes scribas? Habeto item codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequã veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, & reminiscere, & tecum reputa peccata tua, & dic apud teipsum: Nunquid hodierno die vel sermone vel opere vel cogitatione peccaui?* Et post pauca: *dicito in corde tuo & in anima tua: Expendimus diem, O anima, quid boni fecimus? aut quid mali operati sumus? ac gehennæ recordare, vt metu affectus bonum augeas, malum a. de medio tollas.* Sic sancti conscientiæ suæ maximam rationem habuere, sic suasere, vt *super custodiam nostram staremus & videremus, quid in nobis loqueretur Dominus, & quid respondere essemus de multis arguenti nos Deo* vt Habacuc. c. 2. v. 1. *ait: vt poneremus corda nostra super vias*

Sub noctem animi recessu excutiendi.

Codex accepti & expensi.

noſtras, diligenterq; recogitaremus facta noſtra, vt monet Deus Aggæi 1. *v.* 5. *&* 7.

§. Neque tam miror hoc feciſſe, hoc monuiſſe Sanctos, ſed miror hoc & docuiſſe & præſtitiſſe homines Ethnicos ſolo naturę & rationis lumine colluſtratos. *Virgil. in Epigrammate de viro bono.*

Vir bonus & ſapiens multisq; è millibus vnus.
Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad vnguem,
Cogitat & iuſto trutinæ ſe examine penſat.
Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longæ reputauerit acta diei.
Quæ prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non?
Cur iſti facto decus abfuit? aut ratio illi?
Quid mihi præteritum cur hæc ſententia ſedit.

Quid ſanius ab Ethnico ſuaderi, & rectius à Chriſtiano poſſet fieri?

§. Adjungatur & alius nimirum Seneca l. 3. de ira. c. 36. *Faciebat hoc Sextius vt conſummato die cum ad nocturnam quietem ſe reciperet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira & erit moderatior? quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem veniendum.* Inſpicit juſtus manticam ſuam: quia à fronte eſt, non cernit injuſtus: quia à tergo eſt. Cui placet, obliuiſcitur, cui dolet, meminit. Bono viro peccatum diſplicet, & ideo recordatur, malo viro peccatum adlubeſcit & idcirco eius memoriam deponit. Cadunt impii, cadunt & pii, ſed magno diſcrimine. Iuſti cadunt antrorſum, impii retrorſum, vt notauit Sanctus Gregorius homil. 9. in Ezech. Ezechiel & Paulus ceciderunt in faciem ſuam, turba Chriſtum comprehendere contendens cecidit retrorſum. Quid hoc ſignificat. Nimirum quod juſti in ea cadunt quę oculis cernunt, & proinde peccata ſua agnoſcunt, fatentur, corrigunt? *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper,* Pſ. 50. Pſal. 31. *Dixi confitebor*

fitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno, at via impiorum tenebrosa. Prou. 4. v. 19. *nesciunt vbi corruant*, non vident peccata sua, sed dissimulant, excusant. *Dixisti ait Deus Ier. 2. v. 55. Absq; peccato & innocens ego sum, & propterea auertatur furor tuus à me.*

Diligens cõ scientiæ cura & præsentis gratiæ, & æternæ prædestinationis indicium.

§. Neque tantum hoc iustorum & injustorum discrimen est; sed multo magis prædestinatorum & reproborum. Prædestinationis est argumentum, si homo puritati cordis valde studeat, reprobationis, si munditiam ejus non curat, non curat autem qui accuratam & sollicitam conscientiæ suæ rationem non ducit. *Elegit nos Deus ait Apostolus ad Ephes. 1. ver. 4. in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate.* Nunquid vt essemus puri tantum à mortiferis sceleribus? Nequaquam, sed etiam minutis & venialibus. Sicut enim nos ad æternam beatitudinem perducit, ita & prædestinauit, neminem autem eo perducit cum vllo peccato minuto, quin illud prius expiandum sit. *Nihil enim coinquinatum intrabit in illam*, Apocal. 21. ver. 27. ac proinde Dominus beatos pronunciat mundos corde, quod illi Deum sint visuri. Matth. 5. v. 8. Et sanè sicut oculus obcœcatus Solis lumen intueri nequit, sed nec ille qui puluere aspersus est, ita non solum mortiferis sceleribus alligatus, sed & minutis maculis notatus diuinam essentiam intueri non potest. Itaq; à Lare incipiamus, sæpe in nosipsos descendamus, & Ædibus in nostris quæ praua aut recta gerantur, consideremus, & vt finiamus cum S. Ioanne Climacho gradu 26. *Ad omnia post Deum, conscientia nostra, vt norma & regula vtamur.* Quo pertinet & illud Menandri: *Mortalia cunctis conscientia est Deus*, id est, instar aut vice Dei.

CAPVT CXXXI.

EXAMINIS QVOTIDIANI formula.

§. EXamen verò conſcientiæ, ne inconſiderate tractetur ac ſine fructu, videndum eſt quid ante, quid poſt, quid in ipſa examinatione facto opus ſit. In iis autem quæ præcedunt primum eſt illud, vt examinis natura cognoſcatur.

Quid conſcientiæ examinatio.

§. Eſt ergo examen conſcientiæ, vt & ante indicauimus, nihil aliud quàm vitę noſtræ actionumque ſingularum recognitio, æſtimatio & expenſio quædam ſiue collatio cum regula diuinorum præceptorum propriique inſtituti, vt quæ praua ſunt vel imperfecta corrigantur & abſoluantur, non ſecus atq; Pictores oculos identidem & manus referunt ad opus informatum. Vel eſt quædam quaſi collatio tabularum. Deo enim inſpectante rationemque expoſcente tabulas accepti expenſiq; conferimus, inſpicimusq; à Deo accepta bona vel naturæ vel gratiæ. quæ ille ſuæ gloriæ noſtris & proximorum vſibus voluit deſeruire, quam in rem & quam prudenter impenſa ſint, ecqua illis acceſſio per induſtriam noſtram, vel imminutio per ſocordiam ſit facta.

Ante examẽ animus ad ſe aduocandus

§. Alterum eſt, vt animum paulò ante tempus examinis colligamus, quo quietius in eam vnam curam toti incumbamus.

§. Tertio vt in ipſo ad examen acceſſu Dei præſentiam agnoſcentes eum cum ſumma animi demiſſione veneremur & adoremus.

§. Quarto loco ſequetur actio gratiarum de beneficiis acceptis, quæ ad hæc tria capita reuocari poſ-

ſunt

ſunt. Alia ſunt naturæ creatio ſcilicet, conſeruatio, & gubernatio. Alia ſunt gratiæ quorum caput eſt Chriſtus, & quæcunque ſunt Chriſti. Secundo loco ſunt Sacramenta per quæ quaſi per quoſdam riuos ad nos merita Chriſti Dei permanant. Tertio eſt gratia ipſa cum inenumerabilibus bonis quæ ſecum affert. Poſtremo eſt vocatio ad inculpatam ſanctamque vitam. Alia denique ſunt beneficia gloriæ, quod ſcilicet pias actiones noſtras Deus cum ipſi nos totos, infinitis nominibus debeamus, remunerare velit tanto præmio æternæ felicitatis, ipſius ſcilicet viſione, caritate, fruitione, tanto ante, id eſt, ab æternitate præparata. Ad hæc gratiarum actio breuis eſſe debet, ſed ſtudio & affectu plena in colloquii formam, in qua commemoranda ſunt propria & priuata beneficia, & quæ præſertim ab vltimo examine acceſſerint.

§. Nec hic exiſtimandum eſt ſine cauſa poſitum eſſe, vt conceſſa nobis cœlitùs dona ad memoriam reuocemus. Beneficiorum enim commemoratio eſt, quædam bonorum à Deo nobis creditorum recognitio atque enumeratio, in quorum adminiſtratione quam fideliter verſati ſimus inſpiciendum eſt, tum illud fit, vt cognito, quomodo Deus ſe nobiſcum geſſerit, quomodo ipſi cum Deo nos geramus paulo poſt recognoſcentes, tanto majore cum dolore & pudore, tenaces, viles, ingratosque mores noſtros cum infinita illa Dei beneficentia comparemus, quanto vnius contrarii vicinitate magis alterum eminet. Poſt gratiarum actionem ſequitur diuinæ opis & gratiæ imploratio dupliciter nobis neceſſariæ. & cognoſcenda errata & ad cor genda.

SECVNDA PARS.

§. Quæ ratio in ipso examine tenenda sit? Primam partem excipit hæc secunda, quæ vt propriè continet examen, ita operæ plurimum & tempus exigit, ad quinque autem capita pertinent ea, quæ sunt examinanda.

§. Primum caput continet illud tempus, quod ab vltimo examine intercessit, ejus temporis actiones singulæ percurrendæ sunt ordine, ne quid vagantes fallat. In actionibus verò singulis examinanda sunt diligenter cogitata, dicta & facta, quod si in eorum aliquo vitium fuerit deprehensum de eo statim dolendum est, vt morbo sine vlla mora, statim vt apparet, medicamentum adhibeat.

§. Caput secundum continet tentationes, sollicitationes ad malum, perturbationes. Primo enim capite pertractato videndum est attentius & separatim, vide & quæ fuerint hujusmodi molestiæ & affectus & in iis quomodo quisq; se gesserit.

§ Tum procedendum ad tertium caput quod virtutes complectitur, præstabitque eas omnes percurrere, quæ proprii instituti & muneris sunt, & erga Deum, & erga proximum, & erga nosipsos requiruntur inspiciendo, quomodo simus ad eas affecti vel parati, quomodo in earundem exercitatione versemur. Succedat his.

§. Quartum caput in quo benefacta & prætermissa reponuntur. Neque hic solum perquirendum erit, quid sit prætermissum ex iis quæ fuerint præscripta & necessaria, verum etiam ex iis, quæ quis cum virtute & fructu efficere potuisset, & quorum aliqua se præbuit occasio. Nam qui talentum Domino retulit sine lucro pœna non caruit. Hinc tandem ad

§. Quin-

§. Quintum & vltimum caput examen deſcendet, quod caput ſex haſce res continet 1. malas propenſiones. 2. Perturbationes & animi motus inſolitos. 3. Tentationes. 4. malos habitus & vitia. 5. Difficultates in virtutis exercitatione. 6. Impedimenta progreſſus, videndum erit quibuſnam iſtorum quiſque obnoxius ſit, & quibuſnam vexari ſoleat vel frequentius vel acerbius. Illud tamen obſeruandum eſt has res conſiderandas eſſe hic breuiter & curſim ſolum ad animi ſtatum explorandum, longam & accuratam tractationem reſeruandam eſſe meditationi, cui hæc inquiſitio materiam comparat. Nam Examen locum habet Exploratoris, qui hoſtes detegit. Meditatio Imperatoris, qui eoſdem aggreditur & domat. Vel Examen inſtar eſt canis, qui odore feras perueſtigat. Meditatio canis, qui eas aſſequitur curſu & dente comprehendit. Hæc rerum examinandarum quinq; capita, qui percurrerit fideliter, neque vnquam deſiderabit materiam temporis bene collocandi, neque vllam latebrarum animi ſui, aut vitæ ſpiritualis partem ignorabit.

TERTIA PARS.

Quid agendum poſt Examen?

§. Abſoluto Examine paulo ante finem temporis deſtinati tria reliqua ſunt facienda. Primum petenda eſt venia peccatorum, quæ reperimus, deinde proponenda eſt emendatio, & animus aduerſus vitia obfirmandus. Poſtremò memoriæ & Confeſſionis cauſa præcipua notanda ſunt breuiter. Is enim qui diligenter conficit tabulas, rationes ſemper habet expeditas.

Examen Conscientiæ.

Est { vitæ actionumque cognitio. Et collatio cum Dei præceptorum institutiq; ac propriæ vocationis regula.

Ejus finis vt { Praua corrigantur, Imperfecta absoluantur.

Ante Examen.

Colligendus animus.

In ipsius exordio Deus præsens cogitandus & summa cum reuerentia ac religione adorandus.

I. Gratiæ deinde DEO agendę pro beneficiis. {
- Naturę, quę sunt { Creatio, Conseruatio, Gubernatio.
- Gratię, quę sunt {
  1. Christus ejusq; { Merita, Actiones, Labores, Cruciatus, Mors.
  2. Sacramenta per quæ tanquam riuos merita Saluatoris ad nos permanant.
  3. Gratia ipsa cum innumerabilib. donis, Fide, Spe, Charitate, vocatione ad sanctum institutum, virtutibus, muneribus spiritualibus.
- Gloriæ, quæ est æterna beatitudo in Dei visione, amore & fruitione consistens, ad quam nos Deus propter Christum elegit ante mundi constitutionem.

II. Pe-

II.
Petendum à Deo lumen & gratia ad { cognoscenda / detestanda / corrigenda } peccata.

In Examine quod ab vltimo Examine inchoandum

1. Inquirendum per singulas horas in statim de defectu & vitio. { cogitata / dicta / facta / malè omissa } dolendo

2. Perquirendæ { Perturbationes, / Tentationes, / Sollicitationes ad malũ, & quomodo in iis se gesserit, / Inuestiganda tædia & eorum ortus causſæ, pericula.

3. Ponderandæ virtutes erga { Deum / Teipsum / Proximũ } considerando quomodo { ad eas simus affecti & parati, & in earum exercitatione diligentes.

4. Omissiones illorum rectè factorum { Quæ præscripta & mandata, / Quæ cum virtute fieri poterant, / Quorum se dedit occasio.

Videndum & expendendum cursim quidem sed seriò, quibusnam acrius, & sæpius & periculosius exagitemur { 1. Malis propensionibus, / 2. Animi perturbationibus, & Motibus insolitis, / 3. Communiorib. tentationibus, / 4. Malis habitibus vitiorum, / 5. Difficultatibus in vitiis superandis, virtutibus acquirendis, / 6. Progressus impedimentis.

Post Examen.

1. Petenda venia.
2. Proponenda emendatio.
3. Notanda memoria, quæ confessione expianda.
4. Oratio Dominica loco pœnitentiæ recitanda.
5. Aliqua de nobis pœna sumenda.

Iesu cor meum imbue cordis tui dulcedine,
Nihil velim, nil appetam, quam te tuamque gloriam.
Siue mori me Christe iubes, seu viuere mauis,
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

Iturus ad somnum aliquid tecum defer in memoria & cogitatione, ait S. Bernardus, in quo placidè obdormias, quod etiam somniare iuuet & expediat. Caue autem quantum potes, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati. Quieti & somno, ait Sanctus Ephrem de vita spiritali cap. 76. tantum tempus impende, quantum cogit ipsa necessitas: quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facile accendit.

Septem horas dormisse sat est, juueníque seníque.

CAPVT CXXXII.

DE PRECATIONIS CONCLAVI, & benedicta aqua.

Locus domi separatus. §. DOmi suæ aptum orationi locum habeant, vt Iudith. cap. 8. ver. 5. sic & precandi gratia secessum

sum quæsiuit Saluator Luc. 6. v. 12. *Exiit in montem & erat pernoctans in oratione Dei.* & cap. 9. v. 18. *Cum solus esset orans.* Ioannis 18. v. 1. 2. *frequenter introiuit in hortum cum discipulis*, precandi causſa, vt & tunc fecit. Suadetque Christus Dominus Matth. 6. v. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* S. Hieron. Græci & Syri addunt: *in propatulo siue manifesto*, cujus rei & exemplū Act. 10. v. 9. præbuit S. Petrus, *qui ascendit in superiora vt oraret*, aliique quam plurimi Sancti.

Locus domestica precationis sit decenter pieq; ornatus.

§. Quo in loco si altare erigere nequeant, saltem sacras imagines, quę pietatem prouocent, habeant; Et similiter aquam habeant benedictam, eamq; libenter præsertim domum ingredientes & egredientes ac nocturnam quietem capientes sublata in Deum mente vsurpent.

Aquæ benedictæ vsum docuere Apostoli.

§. Nam *aquæ consecrationem nobis sancti tradidere Apostoli*, vt ait S. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27. & B. Clemens discipulus S. Petri lib. 8. const. Apostol. c. 35. ponit ritum & ordinem consecrationis aquæ, & S. Dionysius S. Pauli discipulus lib. de Eccles. hier. lib. de Baptism. affirmat *aquam sacris inuocationibus consecrari.* Sicut ait S. Cyrillus Catech. 3. *cibi fiunt immundi inuocatione dæmonis, ita aqua simplex fit sancta inuocatione Dei.* Id docet & Apostolus 1. Tim. 4. v. 4. 5. *Omnis creatura Dei bona est. &c.*

Aqua Dei imploratione sanctificatur.

§. Cum autem Ecclesiæ promissio facta sit à Christo, vt quidquid in nomine ipsius petierit, impetratura sit, Ioannis 14. versic. 13. & cap. 16. ver. 23. efficaces esse preces quas aquæ adhibet, indubitatum est.

Quid in aqua consecratione precetur Deum Ecclesia.

§. Petit autem primo vt per diuini nominis inuocationem ejus aspersio præstet animæ & corporis sanita-

Minutaï cuſpas aqua benedicta pro affectu aſſer ſa emaculat

Minutas culpas aqua benedicta pio affectu aspersa emaculat.

sanitatem. Et rectè quod deleat venialia peccata cum motu reuerentiæ in Deum, aut res diuinas, docet Sanctus Thomas 4. sent. dist. 12. & 3. part. q. 65. art. 1. ad 6. & 9. c. 71. art. 2. ad 3. & q. 87. art. 3. & alii Theologi. S. Gregorius lib. 1. dialog. c. 10. auctor est, S. Fortunatum fractum hominis ex equo delapsi femur, solius aquæ benedictæ aspersione sanasse. Georgius Episcopus Alexandrinus in vita Sancti Ioannis Chrysostomi narrat eum aqua ab Episcopo benedicta semel atque iterum febre, dyssenteria, aliisque diuturnis morbis affectos curasse, Surius 27. Ianuarii.

Aqua benedicta pellit dæmones.

§. Secundo orat Ecclesia aqua consecrata, vt fugat Diabolum ejusque præstigias & machinationes. S. Epiphan. hæres. 30. memoriæ prodidit de Iosepho quodam comite Christiano, quod cum vellet templum S. Adriani instaurare in honorem Christi, ac Iudæi præstigiis & machinationibus suis opus impedirent, quo minus calcem per ignem conficere posset, ipse singulas fornaces aqua benedicta respersit, & præter opinionem incantamenta dissoluit, & ignis eruperit, & turbæ clamore edito, Vnus Deus, qui auxiliatur Christianis, secesserint. Theod. l. 5. hist. c. 21. Trip. l. 9. c. 33. Niceph. l. 12. c. 27. commemorant Marcellum Apameæ Episcopum aqua benedicta dæmonem fugasse, qui euersionem delubri Iouis impediebat. S. Macharius apud Palladium in historia Lausiaca cap. 10. fœminam quæ in equam videbatur mutata aspersione aquæ benedictæ pristinæ formæ restituit. V. Petrus Cluniacensis Abbas libr. 1. de miraculis c. 7. recenset moribundum vidisse, domum, vbi decumbebat, compleri dæmonibus, at famulus eius Stephanus fide plenus aquæ benedictæ vasculum corripiens, omnia illius habitaculi loca aspersit, illosque penitus fugauit. Refert Surius quod Anno 1563. puella à dæmone obsessa aquæ benedictæ potu liberata sit Idem

Surius

Surius 1. Decembris memorat homines 50. à dæmone obsessos, eo quod in festo SS. Petri & Pauli choreas duxissent, aqua benedicta ex Diaboli potestate ereptos.

§ 3. Precatur Ecclesia vt consecratæ aquæ vsus pellat morbos, pestilentem aut corrumpentem aërem, & quidquid inhabitantium incolumitati vel quieti noxium, afferat autē salubritatem. Aqua benedicta à S. Aphrate expulsas esse locustas in historia religiosa c. 8. narrat Theodoretus. V. Beda lib. 5. historiarum c. 4. scribit nobilissimam fœminam Comitissam grauissime & diutissime laborantem aqua benedicta mox ita conualuisse, vt ministraret mensæ, quemadmodum aliquando fecerat socrus Petri à Christo persanata Luc. 4. vers. 39. S. Bernardus in vita S. Malachiæ scribit ab eo per aquam benedictam phreneticam esse curatam. Hugo Cluniacensis Abbas ortum ex serpentis morsu grauem tumorem aqua benedicta depulit. Surius 29. April. Innumera sunt & verissima hujus rei experimenta & exempla, & nostro tempore præsertim in Indiis.

Aquæ consecratæ aspersio exitiosa propellit & auertit.

§. Quarto precatur Ecclesia, vt eo in loco adsit Spiritus sancti præsentia & eam beati Angeli custodiant & defendant.

Salutifera conciliat sacræ aquæ consperſio.

§. Hos aquæ benedictæ effectus & vim enarrat S. Clemens l. 8. Const. Apostol. c. 29. *Tribue Domine*, inquit, *ei vim sanandi & depellendi morbum, fugandi dæmones, idq; per Christum spem nostram. Alexander vero, quintus à S. Petro Pontifex & martyr epist. 1. can. 20. Aquam, de cons. dist. 3. Aquam*, inquit, *sale consperſam in populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi sanctificentur & purificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Et addit quod coinquinatos purget, sterilitatem auferat, cætera bona multiplicet, insidias Diaboli auertat, & à phantasmatis versutiis homines defendat.

CAP.

CAP. CXXXIII.

CHRISTVS DOMINVS ET APOSTOlus discupiunt, vt Ecclesiastici toto in religionem pectore incumbant.

§. SEdulam Deo pietatem virtutum omnium fundamentum, vt ait S. Ambr. l. 1. off. c. 27. perpetuumq; cultum adhibeant, cui vt rectius vacare possint, vanis ac profanis se curis expediant. Nemo ait Apostolus 2. ad Tim. c. 1. v. 4. & 5. militans Deo implicat se negotiis secularibus vt ei placeat cui se probauit: nam & qui certat in agone non coronatur, nisi legitime certauerit. & v. 12. Iuuenilia autem desideria fuge, sectare vero iustitiam, fidem, caritatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro. Vbi S. Chrys. Iuuenilia desideria non modo ea, quæ ad libidinem pertinent, sed quæq; ea-stigari conuenit dixit. Audiant senes quam sibi fugienda sunt iuuenilia omnia: siue enim quis iniurioſus sit, siue potentiæ studeat, siue pecuniarum aut corporum amore teneatur iuuenile studium est ac stolidum cordisq; necdum satis constantis sensus, parum firmi, & qui non altis radicibus fixus est, sed feratur incertus & vagus, certum documentum. Hæc ergo inquit fuge. Et Saluator Matth. 6. ver. 24. Nemo potest duobus Dominis seruire.

Quæ sint imprudentia & stulta ac iuuenilia desideria Clericis vitanda.

Ne bis pueri senes præsertim Clerici.

Pietas fructuosissima.

§. Et iterum Apostolus 1. ad Tim. 4. v. 7. & 8. Exerce te ipsum ad pietatem: Et Pietas ad omnia vtilis est. Pietas, id est verus Dei cultus inquit S. Augustin. epist. 51. ad Maced. ad omnia prodest, & quæ molestias huius vitæ auertat, aut leniat, & quæ ad illam vitam salutemq; perducat: vbi nec aliquid mali patiamur, & bono summo sempiternoq; fruamur. Rursum 1. ad Tim. 6. v. 6. Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Ad Tit. 1. v. 8. Exigit vt vir Ecclesiasticus sit ὅσιος, id est sanctus, pius, Dei reuerens. Leuit. cap. 21. v. 6. Sancti erunt Deo suo & non polluent nomen eius; incensum enim Domini,

mini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.

§. Quam verò à sæcularibus negotiis alieni esse, & se totos divino cultui mancipare debeant, docet S. Cyprianus epist. 66. ad Furnitanorum clerum & plebem: Grauiter, inquit, commoti sumus ego & collegæ mei, qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri, qui nobis assidebant, fratres carissimi, cum cognouissemus, q; Geminius Victor, frater noster, de testamentario excedens, Geminium Faustinum præsbyterum tutorem testamento suo nominauerit, cum iam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli diuino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atq; orationibus vacare debeant, scriptum est enim 2. Tim. 2. v. 4. Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus vt possit placere ei cui se probauit. Quod cum de omnibus dictum sit; quanto magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritalibus occupati ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ prius in lege tenuerunt, vt cum terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templo, & altari, & ministeriis diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet, sed aliis terram colentib. illa tantum Deum colerent, & ad victum atq; alimentum suum ab vndecim tribub. de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de authoritate & dispositione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare aut agere sæcularia cogerentur, Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur; vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis & negotiis sæcularib. alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquã decimas exfructibus accipientes ab altari & sacrificiis nõ recedant, sed die, ac nocte cœlestib. rebus, & spiritalib. seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt

Clerici ægrè tui.

Notet Sectarius clericatum, sacerdotium, altare sacrificium.

Clerici à ciuilibus negotiis abstinent.

Si Leuitæ V. Testamenti solum diuinis vacabãt ministeriis quanto magis N. Testamenti cum hic veritas, ibi vmbra?

Clerici aliis terram colentibus ipsi Deũ colant.

Cur temporalia Ecclesia ministris suppeditentur.

Perpetuò clericis diuino cultui vacandum.

Sacrificiū pro defunctis.

erunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. neq; enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt Sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum seruetur à nobis simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & ministros Dei altari eius, & Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias deuocet. Obseruari enim de cætero poterit, ne vltra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est fuerit vindicatum. Opto vos fratres carissimi semper bene valere.

Alieno malo sapere.

Benedicta sit sancta TRINITAS atq; indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Finis libri primi.

DE ECCLESIASTICORVM VITA, MORIBVS, OFFICIIS.

LIBER SECVNDVS.

EORVM A VITIIS CONTINENTIAM & animi explicans puritatem.

CAPVT I.

SACERDOTVM DIGNITAS.

APOSTOLVS VNO EPISCOPI NOMINE vtrumque Sacerdotem, maiorem & minorem, Antistitem, & Presbyterum complectitur, ac proinde ambobus eadem probitatis, & Sanctimoniæ documenta constituit.

Episcopus olim etiam vocatus Presbyter, & Presbyter Episcopus.

§. Id Sole clarius ex Epistolæ ad Philippenses exordio illo: *Paulus & Timotheus serui* IESV CHRISTI, *omnibus sanctis, qui sunt in* CHRISTO IESV, *qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* In quam Epistolam commentans *S. Ioan. Chrysost. Quid hoc?* ait *hom. 1.* *Erant-ne multi vnius ciuitatis Episcopi? Nequaquam, sed presbyteros ita vocauit. Tum enim subinde nominibus communicabant. Ita & Diaconi nomen commune est omnibus infra Sacerdotium Ordinibus. Neque enim in vna ciuitate aut Ecclesia*

plures erant Episcopi, sed vnus Episcopus cum pluribus presbyteris, & Diaconus dicebatur Episcopus. Propterea Timotheo scribens 2.ep.cap.4.v.5. dixit, Diaconatum tuum adimpleto quum esset Episcopus. Quoniam enim Episcopus erat, dicit ad eum 1. Timoth.5.v.22. Manus nemini cito imposueris. Et 1.Timoth.4. v.14. Quod datum est tibi cum impositione manuum presbyteris. Neque vero presbyteri manus imponebant Episcopo, & cat. Quemadmodum igitur dixi, & presbyteri olim vocabantur Episcopi & Diaconi Christi. Vnde & nunc plærique Episcopi scribunt, Conseniori & comministro. Cæterum vero seorsum suum cuique datum est nomen vel Episcopo vel Presbytero. Hæc S. Chrysost. Itaque vt S. Apostolus Paulus totum Philippensium Clerum sua Apostolica salute impertiret, nec cogeretur singulos numerare ordines, eos ad duo primaria genera reuocauit, Sacerdotum scilicet & Ministrorum.

§. Similem in modum *in 1. Epistola ad Timotheum cap.3.* de Episcopo cum tractasset, nullam presbyteri mentionem fecit, quid causæ? quia nomen illis commune erat, *& in Episcopo*, ait *S.Hieronymus Epistola 85.ad Euagrium, & presbyter continetur.* Idem S. Hieronymus *in 1.ad Timoth.cap.3. Quæritur*, inquit, *quur de Presbyteris nullam fecerit mentionem; sed eos in Episcoporum nomine comprehenderit: quia secundus imo pene vnus est gradus.* Verum *S. Ioannis Chrysostomi* verba *ex homil.11. in priorem Timotheicam* hic exscribamus. *Postquam*, ait, *de Episcopis dixit, eosque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quoitem abstinere necesse sit dictans, omisso interim presbyterorum ordine ad diaconos transit. Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum atque presbyterum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permissa est. Et quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc habent plus, quam presbyteri habere videntur.* Consentit & Ambrosio asscriptus in eundem locum commentarius: *Post Episcopum*, ait, *Diaconi ordinem subjicit.*

subijcit. Quare? nisi quia Episcopi & Presbyteri vna ordinatio est. Vterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus.

§. Et certè pleraque officia Episcopis & Presbyteris, excepta Ordinatione, Confirmatione, & quarundam rerum, & calicum, altarium, templorum Consecratione, communia sunt, vt nihil faciat Episcopus, quod similiter Presbyter non faciat, quum & alia illa munia, excepta sola ordinatione, quæ diuino iure Episcopatui annexa est, S. Pontif. auctoritate & concessu Presbyteris committi possunt. Quo sensu dixit & S. Hieronymus epist. 85. ad Euagrium. *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?*

Cum fere munia episcopis & sacerdotibus communia.

§. Neque male conuenit Episcopi nomen Presbytero. Ἐπίσκοπος enim idem est, quod Superintendens, & commemorata paulo ante Epistola docet S. Hieronym. & Augustin. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 19. Seu cústos & inspector maxime gregis sacri, & nõ solius Pontificis est, sed & Sacerdotis ad Dominici gregis curam aduigilare. Hinc S. Isidorus lib. 2. de officijs ecclesiasticis cap. 7. Presbyteris, inquit, *sicut episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim ecclesiis Christi, & in confectione eiusdem corporis & sanguinis, consortes cum episcopis sunt. S. militer & in doctrina populorum & in officio prædicandi. Sed solæ propter auctoritatem summo sacerdoti Clericorum ordinatio, & consecratio reseruata est, ne à multis ecclesiæ disciplina violata, concordiam solueret, scandala generaret.* Denique Petrus Damianus docet, *Episcopos non immerito cum presbyteris nomen tenere sacerdotis: quia sacerdos dicitur, qui sacra dat, siue qui Deo sacrificia offert, & hoc quidem omnibus maius est, illis commune est. Immolare Deo sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini & Sacerdotum, & quam illorum rerum consecratione augustius est & longe diuinius, cuius vtrique aqua potestas delata.*

Interpretatio nominis episcopi & sacerdotis cõgruit.

Episcopus & presbyter ambo sacerdotes nuncupantur.

(**)

CAPVT II.

PRESBYTERI VOCABVLO ET EPIscopum designat Apostolus, & idcirco etiam huic mandat, quod præcipit illi.

§. IDluculentissimis S. Scripturæ testimoniis confirmat epistola 85. ad Euagrium S. Hieron. quem audire operæ erit pretium. In actibus ait Apostolorum, ad vnius ecclesiæ sacerdotes, ità Paulus loquitur cap. 10. v. 28. Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, vt regeretis ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Audi & aliud testimonium Tit. 1. v. 1. Propter hoc reliqui te Cretæ, vt quæ deerant, corrigeres, & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut & ego tibi mandaui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum 1. epistola cap. 4. v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam, per impositionem manuum presbyterij. Sed & Petrus in 1. epist. c. 5. v. 1. Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est, particeps, regere gregem Christi, & inspitere non ex necessitate, sed voluntariè iuxta Deum, quod quidem græcè significantius dicitur, ἐπισκοποῦντες, id est superintendentes, vnde & nomen episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba euangelica, filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimū, qui de pectore saluatoris doctrinarū fluēta potauit: Presbyter electæ Dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate, epist. 2. & in alia epist. 3. Presbyter Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Quod autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet.

Cur ex presbyteris vnus sit electus vt episcopatum administret.

§. Com-

§. Communia ergo illis fuere nomina, quod & docet D. Beda *lib. 1. in Lucam cap.* 10. *Sicut duodecim Apostolos, aut formam episcoporum exhibere & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est. Tametsi primis ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur episcopi. Quorum vnum sapientia maturitatem alterum industriam curæ pastoralis significabat.* Sic & S. Clemens epistola ad Iacobum fratrem Domini, S. Anaclet. epistola 2. Leo epistola 88.

§. Eandem in sententiam it *Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas 22. q. 183. art. 6. ad 1. De presbytero, ait, & episcopo dupliciter loqui possumus, vno modo quantum ad nomen, & sic olim non distinguebantur episcopi & presbyteri. Vno modo quantum ad nomen, & sic olim non distinguebantur episcopi & presbyteri. Vnde & Apostolus communiter vtitur nomine presbyterorum, quantum ad vtrosque cum dicit 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. Et similiter etiam nomine episcoporum. Vnde dicit Actor. 20. Presbyteris Ephesinæ ecclesiæ loquens: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sed secundum rem, semper inter eos fuit distinctio, etiam tempore Apostolorum. Postea tamen ad schisma vitandum, necessarium fuit, vt etiam nomina distinguerentur, vt scilicet maiores dicerentur episcopi, minores autem presbyteri.*

§. Duæ autem potissimum sunt causæ, cur Episcopi Presbyteri, & Presbyteri Episcopi olim nominabantur. 1. quia in ordine summo, qui est sacerdotij, presbyter par est Episcopo, hoc est in potestate consecrandi Eucharistiam, sacrificandi, & à peccatis soluendi, impar tamen in potestate ordinandi & consecrandi Ecclesiæ ministros, & iurisdictionis. Altera causa est, quia olim communi consilio, labore, & spiritu presbyterorũ regebantur Ecclesiæ, Act. 15. v. 6. *Conuenerunt*

Apostoli & Seniores (presbyteri) *videre de verbo hoc.* Munia tamen eorum semper distincta fuerunt.

§. Certum ergo & indubitatum nobis esse debet, quod quæ virtutis documenta aut Presbyteris, aut Episcopis tradit Apostolus, in vtrosque rectissimè conueniant, & vtrisque pariter dare voluerit. Eapropter *S. Ioannes Chrysostomus homil. 11. in cap. 3. prioris Timotheicæ. Postquam*, ait, *de Episcopis dixit, eosque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necessum sit, dictans, omisso interim presbyterorum ordine, ad diaconos transit. Cur id, quæso? Quia scilicet inter presbyterum & episcopum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permissa est. Et quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur.*

Cui 1. Tim 3. vt salutaria monita & præcepta.

§. Contra vero arbitratur censetq; in huius loci cómentario B. Theodoret. hæc salutaria Apostoli mandata potissimum Presbyteris data ac deinceps episcopis. *Etiamsi*, inquit, *presbyteris has leges constituit diuinus Apostolus, clarum est, quod has leges oportet primos seruare episcopos, vt qui sunt maiorem dignitatem assecuti.* Nobis satis est demonstrasse vtrisque pariter ista S. Pauli dogmata quadrare.

CAPVT III.

EPISCOPATVS PRESBYTERATV excellentior est.

QVIA nomina, pleraque officia, & hæc Sancti Pauli decreta & monita Episcopis & Presbyteris communia esse docuimus, ne supera infera, & cœlum terræ miscere videamur, operæ erit pretium ostendere, Episcopatum ordinis, potestatis, iurisdictionis

ctionis ac dignitatis gradu Sacerdotio antecellere. Atque istud inficiabitur nemo, nisi sectariis maluerit, quam Catholicis annumerari. *Aerius*, ait *Sanctus Augustinus libro de hæresibus capite 53. cum esset presbyter doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari dicebat presbyterum ab Episcopo nulla debere differentia discerni.* Quem etiam errorem & occasionem erroris, hoc est superbiam, vanam gloriolam, & fastuosam elationem Aërio tribuit *Sanctus Epiphanius hæresi 75. Quid*, inquit *Aerius, est Episcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo, vnus est enim ordo, & vnus honor, & vna dignitas.* Vbi & Sanctus Epiphanius: *Dicere*, inquit, *Episcopum ipsum & presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo Patrum generator est, patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum vero non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres aut Doctores.* Ergo iure diuino Episcopus Presbytero maior est ordinis potestate: quia potest consecrare Sacerdotes, at Presbyter presbyterum nunquam creauit.

Impius Aerius sacerdotium Episcopatui exæquauit.

§. Idem docet *Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 4. & cā. 7. Si quis dixerit episcopos no esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Et Concilium Antiochenum cap. 10. Ancyranum can. 12. *Damasus epist. 3. Est & Episcopus iurisdictione maior presbytero. Vt enim in veteri lege erat Summus Pontifex, minores sacerdotes & Leuitæ; ita in noua lege est Episcopus, presbyteri & Diaconi, & penes pontificem erat iurisdictio, non penes cœtum iuniorum sacerdotum. Deuteronom. 17. vers. 12.* Sanctus Dionysius capite 4. Ecclesiæ Hierarch. Anacletus epistol. 2. Augustinus in Psalm. 44. Leo epistola 88. Beda in capite decimo Lucæ. Isidorus libro secundo, de diuinis officiis, docent Episcopos tenere locum Apostolorum; Presbyteros vero septuaginta discipulorum.

Episcopus presbyteri iudex.

§. Demum Episcopum Presbyterorum principem esse, & iudicem affirmat *Apostolus* 1.*Tim.*5.*v.*19. *Aduersus presbyterum accusationẽ noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Alexandriæ* ait *S.Hiero.epist.*85.*ad Euagrium, à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam & Dionysium episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciant.*

In hierarchia ecclesiastica prælationis & subiectionis species.

§. Ordinata, salutaris, & seruanda illa *S. Ignatij epistola, ad Smyrnenses* præceptio: *Omnes episcopum sequimini, vt Christus Patrem, & presbyterorum Collegium vt Apostolos, Diaconos reuereamini, vt ex Dei præcepto ministrantes. Omnia vero decenti ordine perficiantur in Christo. Laici diaconis subijciantur, diaconi presbyteris, presbyteri episcopo, episcopus Christo, vt ipse Patri.*

CAPVT IV.

RECTE VIVENDI MANDATA ET institutaEpiscopis & Presbyteris ab Apostolo tradita, & Diaconis, aliisque inferioribus ordinibus sunt imposita.

§. DVbitationem nec habet, nec habere potest, S. Apostolum maiori iure à Presbyteris & Episcopis postulare, quod exigit à Diaconis, cum exactiori virtutis exercendæ studio obstricti teneantur, nec illud in controuersia est, quin ad normam virtutis Pontificibus & Sacerdotibus ab Apostolo præscriptã eius ipsius iudicio inculpatam prorsus vitam ducere debeant Diaconi. Vnde & ait: 1. *Diaconos similiter*, hoc est tales esse oportet, quales suis coloribus depinxi Episcopum, & Presbyterum.

§. Sic illud *similiter* & interpretatur optimus Sancti Pauli

ti Pauli interpres *Ioannes Chrysostomus hom.11.in 1.Tim. 3.v.8. Diaconos vero eadem, ait, habere monuit, vt scilicet irreprehensibiles sint, pudici, hospitales, modesti, non litigiosi, non auari, non bilingues, hoc est, non simulatores, non dolosi: His profecto verbis irreprehensibiles esse debere significat.*

§. Eadem in sententia est S. Hieronym. eandem ab his desiderari vitæ integritatem, quæ postulatur ab illis. *Qui episcopatum desiderat, inquit epistola 1.ad Heliodorum cap.8. bonum opus desiderat. Scimus ista: sed iũge quod sequitur: Oportet autem huiusmodi irreprehensibilem esse, & cæteris, quæ de eo sequuntur explicitis, non minorem in tertio gradu adhibuit diligentiam dicens. Diaconos similiter pudicos &c.* Idem *S.Hieronymus in 1.Tim.3.v.8. Diaconos similiter, irreprehensibiles ait, vt episcopi eligantur.* Rursus idem *B.Hieron. exponens epistolam Titianam cap.2.v.15. Nemo te contemnat.* Et habetur 8.9.1.cap.21. *Qualis demum quod idem, à diaconis exigat vitæ sanctitatem atque postulauit ab episcopis & presbyteris ostendit dicens 1.Timoth.3.v.9.10. Habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et *v.13. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam, quæ est in* CHRISTO IESV. Quibus verbis requirit à Diaconis Apostolus, vt cum recta fide vitæ sanctitatem coniungant; Vt mores illorum aliis probentur, nec grauiore noxa sint infames. Et in futurum affirmat, vt recto & fideli ministerio, 1.ad sacerdotii gradũ perueniant Ambros. 2. vel ad maiorem spiritualium donorum profectum Chrysost. 3. vel ad præstantissimum æternæ gloriæ locum, etiamsi hic parum honorati fuerint Theod.4. & magnam in suis functionibus exequendis libertatem.

Quid sit bonum gradũ acquirere apud Apostolum.

§. Et profecto Apostoli primos constituturi, ordinaturi, & consecraturi Diaconos nunquid aliquid minus ab illis exegerunt, quam à Presbyteris postulassent vel Episcopis? *Considerate,* inquiunt, *Act.6.v.3.* er-

Quales voluerunt esse Apostoli diaconos.

go fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Ecce viros testatos & probatos, ac incorruptæ existimationis & famæ, plenos diuino Spiritu (quem qui habent, sceleribus careant, virtutibus abundent necesse est) eximia etiam sapientia præditos, vt suo recte fungantur officio ad diaconorum munia cooptari voluerunt Apostoli. Quare illorum septem Diaconorum Princeps S. Stephanus commendatur à S. Luca, quod plenus fuerit Spiritu S. & gratia, fortitudine, sapientia, dicendi libertate, charitate erga interfectores, & Angelica coruscans forma. Odoratus fuit hæc vir sacra religione & eximia doctrina præstãs in Decretis à se collectis Gratianus, nimirum hæc Apostolica præcepta & documẽta esse omnibus omninò clericis communia, vnde & quæ videntur Episcopis & presbyteris dici, & aliis Ecclesiasticis accommodat, verum disertè & clarè affirmare supersedit, quia potiùs in sacris canonibus, quam diuinis scripturis versatus fuit. Poterit ergo pius Lector ea decreta pleraq; omnia vt ad omnes ecclesiasticos pariter spectantia vsurpare, & ex iis suam aliorumq; vitam emendare. Qui & ex his, quæ hactenus docuimus intelliget, non solum esse ordinis & dignitatis discrimen inter Laicos & Clericos, quod malè negauit Lutherus l. de abroganda Missa priuata, par. 1. sed etiam esse permagnã inter ipsos clericos sacræ ordinationis & gradus differentiam. Quod de minoribus præsertim ordinibus inficiatus est *Ioan. Caluin. l. 4. Instit. c. 19. §. 27. Primitiuæ Ecclesiæ*, ait, *incogniti fuerunt & multis postea annis excogitati.* Erras vel inscitia quod antiquos Patres non legeris, vel nequitia quòd veritatem malignè cælaueris. Audi ergo non me, sed S. Ignatium D. Ioann. Apostoli discipulum epistolã suam ad Antiochenos hoc pacto concludentem: *Saluto sanctam*

Error Caluini.

tum presbyterum vestrum, Saluto sanctos diaconos, saluto subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas. Qui plura velit, legat Catholicis oculitùs dilectum, & in sectariorum oculis sudem Cardinalem nostrum Robertum Bellar. l. 1. de clericis c. 12. Nos ad Institutum reuertamur. Cum ergo Apostolus, quæ ad vitæ sanctimoniam pertinentia præscribit Episcopis, mandet Presbyteris, & quæ imperat Presbyteris, præcipiat Episcopis, & vtrisque iniungat, quæ Diaconis & inferioribus ordinibus & his prorsus commendet, quæ & illis, manifesta & liquida est determinatio hæc & conclusio. Quæcunque mandata siue de vitiis fugiendis, siue de sectandis virtutibus, quasi præter cæteros & separatim videtur Apostolus dare aut Episcopis, aut Presbyteris, aut Diaconis, eadem generatim & communiter vniuersis dat Clericis.

Quatuor antegressorum capitum conclusio.

CAPVT V.

SYNOPSIS ET ECCLESIASTICÆ vitæ breuiarium.

Tabula in qua ab Apostolo Ecclesiasticæ vitæ imago est elegantissimè depicta.

SIVE vt ait Sanctus Hieronymus epistola 83. ad Oceanum capite quarto. *Vbi quasi speculum Sacerdoty proponitur. Iam in potestate & conscientia singulorum est, quales se ibi aspiciant: vt vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem possint.*

De

De Clericorum vitiositate & virtute, hac prosequenda, illa fugienda.

§ 1. *Non* sint scelere aliquo cooperti, sed omni crimine vacantes. 2. *Non* sint accusabiles, sed laudabiles. 3. *Non* sint mediocriter tantum boni, sed virtutibus clari & præcellentes. 4. *Non* sint culpa sua & vitio despicabiles & contempti sed honestate & merito suo venerandi & honorabiles. 5. *Non* sint siniſtræ & aduersæ famæ, sed bonæ & præclaræ. 6. *Non* sint prauæ & accusantis conscientiæ, sed defendentis & incorruptæ.

De Superbia & Humilitate.

§ 1. *Non* sint superbi, insolentes, elati, sed humiles, modesti, sui cognoscentes. 2. *Non* sint contumaces, proterui sibi placentes, & aliorum contemptores, sed submissi, tractabiles, sibi displicentes, & benevoli ac æqui proximorum æstimatores. 3. *Non* sint vani honoris aucupes sed contemptores. 4. *Nec* tamen in rebus pro Dei gloria, sua alienaque salute gerendis sint pusillo & deiecto animo, sed magno & excelso.

De auaritia & liberalitate.

§ 1. Non sint alieni appetentes, & sui nimium tenaces, parci, inhumani, sordidi, lucris inhiantes, opibus incubantes, sed largi, benefici, optimè semper de aliis merentes. 2. Non sint diuitiarum admiratores, coaceruatores, anxij custodes, sed benigni distributores, victu cultuque corporis contenti. 3. Non sint ab hospitibus peregrinis, egenis abhorrentes, sed eorum amantes, studiosi ac hospitales. 4. Non sint iniusti & iniurij, sed iusti, & qui vnicuique quod suum est, tribuant.

buant. 5. Neque tamen sint prodigi, vt in res vanas, superfluas, indecoras, pecunias profundant, sed Dei ac honestatis ergo, quibus, quando, & quantum oportet, rectè largiantur.

De luxuria & castitate.

§ 1. Non sint impuri, & libidinosi, sed casti, pudici, honesti. 2. Non sint impudentes & lasciui, sed verecundi, & bene morati. 3. Non sint leuiculi, vani, & dissoluti, sed vultu, habitu, decenter compositi, maturi, graues, ac cõstantes. 4. Non sint bigami, sed summum monogami. 5. Non sint tantum corpore, sermone, aspectu casti & puri, sed & cogitatione.

De ira & mansuetudine.

§ 1. Non sint ad iracundiam, pugnam, iniuriam, violentiam, procliues & faciles, sed sedati, mites, tranquilli. 2. Non sint mordaces, maledici, obtrectatores, sed qui & benè sentiant, & benè loquantur de proximis. 3. Non sint litigiosi, cõtrouersi, morosi, sed moderati, iucundi, affabiles. 4. Vindictam læsi non appetant, sed amanter condonent.

De intemperantia & cibi potusque moderatione.

§. Non sint commessatores, potatores, & vinolenti, sed temperato cibo vtantur, & potu, nec multo vino sint dediti, sed pauco contenti.

De inuidia & charitate.

Non sint maleuoli & inuidi, sed probitatis & bonorum hominum amantes.

De

De Acedia & sedula pietate.

§ 1. Non sint impii, sed sancti, ac Dei summopere reuerentes. 2. Non sint otiosi, socordes, ignaui, sed diligentes, peruigiles, attenti. 3. Non sint in familia sua piè, honestè, vtiliter gubernanda negligentes, sed prouidi, peruigiles, accurati.

De inscientia & scientia.

§ 1. Non sint imprudentes & stupidi, sed scientes & circumspecti. 2. Non sint in Dei & Ecclesiæ negotiis imperiti & inexercitati, sed qui eorum vsum habeant & peritiam. 3. Non sint rudes & ineruditi, sed doctrina exculti, sed humanis diuinisque literis perpoliti, vt alios instituere, exhortari & consolari possint.

De conuersatione cum proximis.

§ 1. Non sint malo merito suo despicabiles, sed bono merito suo venerabiles. 2. Nulli prauitatis dent exempla, sed omnibus virtutis documenta. 3. Non sint fraudulenti & simulatores, vt aliud loquantur, aliud sentiant, sed sinceri & veraces. 4. Attendant sibi & lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, & in perficienda virtute toti sint, vt eorum profectus omnibus sit manifestus. hoc enim pacto & sibi & aliis erunt salutiferi. 5. Prudenter, benignè, castè agant cum hominibus secundum cuiusque ætatem, statum, sexum, ac necessitatem, omnibus

bus omnia fiant, non mentientes astu, sed compatientes affectu, vt omnes lucrifaciant, & non perdant.

Hæc documenta & Apostoli præcepta clericis data potissimum ex priore & posteriore Timotheica, & Titiana epistolis desumpta sunt, & sequentibus capitibus demonstrabuntur, de quibus *Sanctus Gregorius Nazianzenus Apolog.* 1. *Quotusquisque est*, inquit, *qui si ad amussim eam regulamque seipsum exigat, quam Paulus de Episcopis & presbyteris fixit, nempe vt sobrij & prudentes sint, non temulenti, non percussores, sed docendi periti, irreprehensibiles, atque huiusmodi, vt nullæ eos improborum calumniæ attingere queant, non sese à normæ rectitudine permultum abesse comperiet?* Ego quantumuis puer ad Sanctam Religionem vocatus hoc clarissimè video, & vt Lector meam deprecetur culpam vehementer rogo.

CAPVT VI.

CVR AB ECCLESIASTICIS VIris tantam virtutis absolutionem postulet Apostolus.

§. EXPEDITA & in promptu est responsio: Propter amplissimam clericalis præsertim sacerdotalis status & ordinis maiestatem, de qua audire nonnullos Sanctos Patres pretium erit operæ. *Sanctus Clemens libro septimo, Constit. Apostol. capite trigesimo secundo. Episcope constitue presbyteros homines pios, iustos, mites, non cupidos, veritatis studiosos, probatos, sanctos, non acceptores personarum, qui valeant*

valeant docere sermonem veritatis, rectè procedentes in placitis Domini. Vtinam tales omnes sint, sed quando non sunt, canino dente rodendi non sunt. Vnde parcendum malorum etiam clericorum famæ propter status dignitatem. *S. Hieronym. epistola 1. ad Heliodorum cap. 7. Absit à me, vt de Clericis quicquam siniſtrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cœlorum habentes, quodam modo ante iudicij diem iudicant: qui sponsam Domini sobria castitate conseruant.* Sanctus non audet, non dico gladium, sed nec linguam stringere in Christum Domini, quod impius, vt faciat omnes angulos perscrutatur, sed tanto cautiùs & honestiùs viuendum Ecclesiasticis, ne calumniatoribus ansam porrigant. Audiamus porro non suæ, sed Ecclesiasticæ dignitatis causam apud Imperatorem Clericis parùm æquum, perorantem.

§. *S. Gregorius Magnus* Sacerdotij amplitudinem declarat *lib. 4. epist. 31. & habetur* 11. q. 1. *cap.* 40. Sacerdotibus ad Mauritium Augustum, *Sacerdotibus*, inquit, *non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur: sed excellenti consideratione propter eum cuius serui sunt, eis ità dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs aliquando sacerdotes Dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad deos: id est, sacerdotes,* Exod. 22. v. 8. *Et rursum scriptum est: Diis non detrahes.* Ibid. v. 28. *scilicet sacerdotibus & propheta dit, Malach. 2. v. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Ecclesiastica quoque testatur historia: *quia cum piæ memoriæ Constantino Principi oblata in scripto accusationes contra episcopos fuissent: libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant, episcopos conuocans in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis à vero Deo constituti: Ite, & inter vos causas no-*

Sacerdotes; quia Dei serui, reuerēdi.

Sacerdotes quidam terrestres angeli atq; adeo dij

Egregium Magni Constantini factum.

sas nostras discutite: quia dignum non est, vt nos iudicemus deos. Ante eum pagani in Republ. principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Ista B. Gregor. Præclarum illud Magni Constantini factum narrant Ruff. lib. 1. eccles. hist. cap. 2. Theodoret. l. 1. c. 11. Niceph. l. 8. c. 16. Trip. l. 1.

Sacerdotes Regibus præstantiores.

§. Ioannes Chrysost. lib. 3. de sacerdotio. Sacerdotium regno tanto est excellentius, quantum spiritus & carnis interuallum est. Etenim sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in cœlestium rerum classem ordinemque referendum est. Atque id per quam merito: quippe non mortalis quisque, non angelus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus, etiamnum in carne manentibus auctor fuit, vt angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret. Nam dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubescri, etiamne te inter mortales versari atque in terra consistere censes? annon potius cœlestigio in cœlos transfereris, annon omnem carnis cogitationem abiiciens nudo animo, mente pure circumspicis quæ in cœlo sunt? O miraculum, o Dei benignitatem: qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. Hoc ergo mysterium omnium maxime horrendum verendumque. Nam si quis consideret, quantum id sit mysterium, vt is scilicet, qui homo ipse sit, carne ac sanguine etiamnum constans, iique inuolutus beatæ atque immortali naturæ illi proprior fieri queat: tum probe intelliget, quanto sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit. Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur iis commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque

Sacerdotes instar Angelorum puri & sancti sint.

Idem omnino Christus qui ad Dei Patris dexteram assidet in sacrificio & communione præsens est.

Cœlestia dispensant sacerdotes, quod nec Angelis concessit.

Ex Christi corporis consecratione, & peccatorum remittendorum potestate summa sacerdotum amplitudo & dignitas.

Angelis, neque Archangelis datam esse voluit : neque enim ad illos dictum est. Matthæi 16. vers. 19. & cap. 18. vers. 18. Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cœlo, & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cœlo. Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit, vsque adeo, vt quæcunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem DEVS superne rata habeat, ac seruorum sententiam DOMINVS confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à DEO concessam? Quorumcunque enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quanam, obsecro, potestas hac vna maior esse potest? Paterominifariam potestatem filio dedit; cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo filio illis traditam. Insania manifesta despicere tantum istum principatum, sine quo neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si quis non potest in regnum cœlorum ingredi, nisi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit. Ioannis tertio, versiculo quinto. Et qui non manducat carnem DOMINI, & sanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur. Ioannis sexto, versiculo 53. Omnia autem hæc haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam sacerdotum, qui fiet vt citra illarum opem, aut gehennæ ignem euitare quis possit, aut repositæ in cœlo coronæ præmia assequi? Per hos ipsos CHRISTVM induimus, vna cum DEI filio sepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur: quo nomine sacerdotes merito non modo plus vereri debemus, quam vel principes, vel reges, verumetiam maiori honore, quam parentes proprios honestare. Parentes enim nos in præsentem, sacerdotes in vitam æternam generant.

Suam Christus potestatem cum sacerdotibus communicauit.

Sine sacerdotibus non est salus.

Parentibus magis honorandi sacerdotes.

Nunc & alios fide dignissimos sacerdotalis maiestatis testes producamus. Sanctus Ignatius epistola ad Smirnenses scripsit. Sacerdotium summam esse bonorum, qui in hominibus constant. S. Ephrem tomo 1. serm. de Sacerdotio ex-

tio exclamat: *Sacerdotium esse miraculum stupendum, potestatem ineffabilem, venerandum mysterium, cœlum attingere, cum angelis versari.* Vbi & addit præstantiam sacerdotii, non minus sacerdotum scelere, quemadmodum nec auri, nec margaritarum pretio quicquam officit luti, sordiumque contactus. Quod & his verbis docet Sanctus Chrysostomus homil. quarta. de verbis Isaiæ capite sexto. *Vidi* DOMINVM: *Cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum qui re bona male vtitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verum non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimen est sacerdotii, sed malum animi.* *Non reprehendum sacerdotium ob quorundã vitia sacerdotum.*

Sancto Isidoro Pelusiotæ libro 2. epistola 20. *videtur sacerdotium medium quid inter humanam diuinamque naturam. Procopio Gazao, in cap. 30. Exodi.* excedere omne humanum fastigium. *Sanctus Gregorius Nazianzenus Apolog. 1. Mediatorem inter Deum & hominem agere, vt opinor, sacerdotis munus est. Philo lib. 2. de Monarchia* tradit, sacerdotem esse situm in quodam diuinæ humanæque naturæ confinio. *Sanctus Gregorius Nyssenus libro de vita Mosis,* probat ex diuina Scriptura, Sacerdotium non rem humanam esse, sed diuinam. *Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione prima,* vbi dixisset, Sacerdotem veritatis propugnatorem esse, ad altare supernum sacrificia transmittere, cum CHRISTO Sacerdotio fungi, atque alia subdit: Et *vt quod maius est dicam,* DEVS *erit, aliosque deos efficiet.* *Sacerdotium proxime accedit ad Deũ.*

CAPVT VII.

PRIMA ECCLESIASTICORVM Dignitas, quod intimi sint coniunctissimique Dei ac Christi Domini ministri.

§. ESse Dei famulum, quæ quãtaq; honoris sit amplitudo, declarat illa Dei promissio. *Isaiæ 61. v. 6. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis.* Et *Ioelis 1. v. 9. Periit Sacrificium & Libatio de domo Domini. Luxerunt sacerdotes ministri Domini.* & *cap. 2. v. 17. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini.*

Honorũ ergo appellatur quia Dei seruus in Scriptura.

§. Esse vel fuisse seruum Domini præclarissimus est Principum & Regum in Scriptura titulus, quo & sibi longe gratissimos ornat Deus. *Genes. 26. v. 24. Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Num. 12. v. 7. 8. Seruus meus Moyses fidelissimus. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Num. 14. v. 24. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam. Iosue 1. v. 7. 2. Reg. 3. v. 18. In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israel. 3. Reg. 11. v. 13. 32. 34.* Ter repetitur propter seruum meum Dauid. Et *cap. 14. v. 8. Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui secutus est me in toto corde suo.*

Deiseruitus, maxima libertas.

§. De hac *sanctus Augustin. comment. in Psal. 99. v. 1. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia: libera, inquit seruitus est apud Dominũ, libera seruitus vbi non necessitas, sed caritas seruit: simul es seruus, & liber. Seruus, qa factus es, liber, quia amaris à Deo, à quo factus es: imo etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es. Seruus es Domini, libertus es Domini, non te sic quæras manumitti, vt recedas à domo manumissoris tui.*

§. San-

§. Sancto Augustino familiaris *S. Hieronym. commentario suo in Titianam epistolam ab initio.* Hæc seruitus non est illa, de qua ipse Apostol. ait: *Rom. 8. v. 15. Nec enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater: verum nobilis seruitus, de qua & Dauid ad Deum loquitur: Psal. 115. vers. 16. Ego seruus tuus & filius Ancillæ tuæ.* Et *Beata Maria ad Angelum: Lucæ 1. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Hanc seruitutem habuit & Moyses, de quo Dominus ad Iesum filium Naue: Iosuæ 1. v. 2. Moyses,* inquit, *famulus meus mortuus est.* Et in alio loco. *Deut. 34. v. 5. Mortuus est Moyses famulus Domini in terra Moab per verbum Domini. Absit quippe vt spiritum seruitutis Moysen & Mariam in timore, & non in dilectione Dei habuisse credamus. Nec mirum quamuis sanctos homines, tamen Dei seruos nobiliter appellari, cum per Esaiam prophetam Pater loquatur ad Filium c. 48. 49. secundum 70. Magnum tibi est vocari te puerum meum, Id est, seruum meum. Vnde & Abdias propheta, qui interpretatur seruus Domini, ex famulatu Dei nomẽ accepit. Si moueat quempiam, Dominum Saluatorem, qui vniuersitatis est conditor, seruum Dei dici: non mouebitur, si ipsum ad Apostolos audiet loquentem: Matth. 20. v. 27. 28. qui voluerit inter vos esse maior, sit omnium seruus. Et filius hominis venit, non vt ministraretur sibi, sed vt ministraret, quod ne docere tantum verbis videretur, monstrauit exemplo. Ioan. 13. v. 4. 5. Assumpto quippe linteo, accinxit se, & aqua peluim replens, discipulorum pedes lauit. 1. Philip. 2. v. 7. Non est itaque impium credere eum qui formam serui assumpserat, hæc fecisse, quæ serui sunt, vt paternæ voluntati seruisse dicatur, cum seruis suis ipse seruierit. Hæc autem seruitus charitatis est, per quam nobis inuicem seruire præcipimur. Galat. 5. v. 13. Et ipse Apostolus cum esset liber ex omnibus, omnium se seruum fecit. 1. Cor. 9. v. 19. Et in alio loco: 2. Corinth. 4. 5. Vester,* inquit, *seruus propter Christum. Seruus Dei ille est, qui non est seruus peccati. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. Apostolus igitur, qui peccati non fuit seruus, recte Dei*

Duplex Dei seruitus ex metu & amore. Honestissima & clarissima Dei seruitus.

Quis Dei seruus.

Patris vocatur seruus & Christi. Porro quod ait ibidem Tit.1. v.1. Apostolus autem Iesu Christi, tale mihi videtur, quale si dixisset: præfectus prætorio Augusti Cæsaris, Magister exercitus Tiberii Imperatoris. Vt enim iudices sæculi huius quo nobiliores esse videantur, ex Regibus quibus seruiunt, & ex dignitate qua intumescunt vocabula sortiuntur: ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, Apostolum se Christi titulo prænotauit, vt ex ipsa lecturos nominis autoritate terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos; nec non quod paulo ante scriptum posuimus, ad Roman. cap.1.v.1. Seruus Iesu Christi, non differt ab eo si dixisset, seruus sapientiæ, seruus iustitiæ, seruus sanctificationis, seruus redemptionis: Christus quippe factus est nobis à Deo patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, 1.Cor.1.v.30.

§. Seruire Deo regnare est, & tanto præstantius regnum, quãto seruitus hæc familiarior, qualis est clericorum. Proximè coram Deo assistere, eique famulari, vt maximum bonum prædicatur. *Tobiæ 12.v.15. Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Nabuchodonosor Rex Regio sanguine natos & Principum fatu editos, maculæ ac vitii expertes, forma decoros, omni sapientia & disciplina eruditos pueros, sibi in palatio assistere & ministrare voluit. Daniel.1.v.3. *Si quis mihi ministrauerit*, ait Dominus *Ioann.cap.12.v.26. Honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est.*

§. Et tamen, ô væcordia, multos honorificentissimæ Dei pudet seruituris. Incedunt sericati, gladiati, torquati, annulati, cincinnati, armillati, lobbati, plumati. Cur? ne agnoscantur Clerici, ne videantur esse serui Dei. Sed qui Dei erubescunt seruitutem, cœlestem à Domino non præstolentur mercedem.

CAPVT

CAPVT VIII.

ALTERA ECCLESIASTICORVM DIgnitas, quod Clerici sunt pars & hæreditas Domini; & vicissim Dominus est pars & hæreditas illorum.

Qui de sorte Dei.

§. HOc *bene docet sanctus Hieronymus epistola 2. ad Nepotianum capit. quinto.* Κλῆρος, *græcè sors, latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est, qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.*

Beatus quē Deus vt peculium possidet.

§. Nec quicquam siue in præsenti, siue in futuro sæculo felicius illo est homine, quam quem possidet DEVS, & qui DEVM possidet, *Psal. trigesimo secundo, versic. vndecimo. 12. Beata gens, cuius est* DOMINVS DEVS, *populus quem elegit in hæreditatem sibi.* Terque quaterque felix is populus, & quisque singillatim in hoc populo, qui vniuersorum Dominum, vt suum Deum agnoscit, suspicit, veneratur, quem proinde vicissim Deus vt suum populum & hæreditatem, possidet, excolit, custodit, ac ingentibus beneficiis cumulat. Nonne talis est piorum Ecclesiasticorum populus! Vtique si quis alius. Id significat DEVS Moysi. *Numeror. tertio, versiculo quarto, & 45. Tolles Leuitas mihi, erunt que Leuitæ mei, ego Dominus. Numerorum decimo octauo, versiculo vigesimo. Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Quod & repetit DEVS Deuteronom. decimo, versiculo nono. & Deuteronom. 18. vers. 1. 2.

Ecclesiastici populus Domini.

Quid causæ vt alimenta sacrę dentur hominibus.

Cur autem id Deus constituerit causa est, vt soluti curis externis, liberius Deo eiusq; cultui vacarent, quemadmodum declarat religiosissimus rex Ezechias *Paralip.31. v.4.* de quo ibi Scriptura : *Præcepit ẽt populo habitantium Ierusalem, vt darent partes sacerdotibus & Leuitis, vt possent vacare legi Dei.* (Non commessationibus, non libidinibus, non corradendis pecuniis, & id genus vitiosis actionibus.)

Quæ opera suscipienda Ecclesiastici

§. Hanc partem suam, quam nacti sunt, si eius pretium agnoscerent, Ecclesiastici exornarent, & præilla nihil appeterent. Id nos docet *S. Augustinus suo in Psal. 32. Comment.* Vbi ait; *Vnde beati erimus, Deum possidendo, Quid ergo ? Nos possidebimus eum, & ille nos non possidebit ? Vnde ergo Isaias cap.26.v.17.(secundum 70.) Domine posside nos ? Possidet ergo & possidetur, & totum propter nos, vt nos beati simus.*

CAPVT IX.

TERTIA ECCLESIASTICORVM Dignitas. Clerici sunt Apostolorum Ecclesiæ Principum successores, & eiusdem Ecclesiæ sponsæ Christi custodes.

§. ITA docemur *Isaiæ 62.v.6. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes tota die & tota nocte non tacebunt. Sanctus Hieronymus in cap.1 prioris Corinthiacæ. Quia sacerdotes,* inquit, *& suo & Apostolorum loco funguntur, propter hoc etiam Ecclesiarum Apostoli nominantur.* Quanquam sanctus Clemens Epistola ad Jacobum fratrem Domini. Beatus Anacletus epistola 2. ad vniuersos Italiæ Episcopos cap.2. & epistol.3. cap.1. S. Leo epistol.50. docent Episcopos esse Apostolorum successores, Presbyteros 72. Discipulorum, sed & hæc maxima dignitas est, numerari inter eximios Christi liberatoris discipulos.

CAPVT

CAPVT X.

ECCLESIASTICI SVNT ALIORUM Iudices.

§. VT Sacerdotum iudicio acquiescatur non sine grauissimi supplicij comminatione mandat Deus Deut.17.v.8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicū intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies que ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæres que ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferet malum de Israel: cunctus que populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Et rursum *Deut.21.v.5. Accedent sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur.* Quo nomine Iosaphati Regis pia prudētia & prudens laudatur pietas. 2. *Paralip.19.v.8. In Ierusalem quoque constituit Iosophat Leuitas, & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent, habitatoribus eius. Ezech.44.v.23. & 24. Et populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostēdent eis. Et cum fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis & iudicabunt leges meas, & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, & sabbata mea sanctificabunt.* *Veteris testamenti sacerdotes, iudices*

Sacerdotes etiam nouæ legis Iudices creauit Sal- *Noui testa-*

mentis sacerdotes iudices.

uator, vt ex Euangelio probat *sancta synodus Tridentin. sessione 14. cap. 1.* cum ait: *Dominus sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et capite quinto. Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ* CHRISTI *fideles ceciderint; quo pro potestate clauium, remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. Et capite sexto affirmat, quod absolutio sacerdotis sit instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronuntiatur.*

Sacerdotes vice Christi iudicant.

Quod medicina ignorat non curat.

§. Stupet hanc sacerdotum dignitatem *Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia quinta de verbis Isaiæ, Vidi* DOMINVM. *Sacerdotium*, ait, *principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt isthæc omnia, verisque floscul is leuiora. Omnis enim, inquit, gloria flos graminis, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit rex à sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus est: tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec vltra potestatem hanc præterea quicquam habet authoritatis. Verum sacerdoti thronus in*

Sacerdos cælestis iudex.

cœlis

cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotijs pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum rex: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem authoritatem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat.

Prisci sacerdotes etiam in ciuilibus controuersijs iudices.

§. Ex quibus manifestum est Sacerdotes veteres fuisse iudices, non tantum in causis sacris, sed etiam ciuilibus, imo & in causa homicidii, hoc enim significat Deus, cum ait, *Deut.17.v.8.* inter sanguinem & sanguinem, hoc est inter homicidium & homicidiũ, an fuerit voluntarium, vel inuoluntarium, ideoq; morte puniendum, vel non puniendũ. *Inter causam & causam*, nũ iusta sit vel iniusta. *Inter lepram vel non leprã*, an sit lepra mũda nõ arcens â sacris, vel imũnda à sacris prohibẽs. Quod idẽ liquet, *Deu.21.v.5.* vbi de occulto homicidio agens Moses. *Accedant*, ait, *ad sacerdotes*, &c. *& ad verbum eorũ omne negotium, & quicquid mũdum vel immundũ est, iudicetur.* Et *Ezech.44.v.24. Cũ fuerit controuersia, stabũt in iudicijs meis, & iudicabũt.* Quin & hoc eod. loco *Deu.17.v.12* expresse dicit. *Qui superbierit nolẽs obedire sacerdotis imperio &c. morietur. Philo l.3.* de vita Mosis docet. Mosen ex cõsilio sacerdotũ, q de more ei assidebãt, dãnasse ad mortẽ hominẽ q ligna in sabbato collegerat. Nũ.15.v.35.

In noua etiã lege ciuiles lites dãudicarunt sacerdotes.

§. Neq; noui testam. sacerdotes tm̃ de spiritalib. causis, sed ẽt prophanis iudicarunt, vt planũ est ex *S. Clem. l.2.const. Apost.c.49.50.51. qui & ep.1. ad Iacob. frat. Domini. Si qui*, inquit, *fratres negotia habẽt inter se, apud cognitores sæculine iudicent, sed apud presbyteros ecclesiæ quicquid est illud, dirimatur, & omnimodo obediant statutis eorum. Quod & S. Alexand. Papa ostendit ep.1. Quæcunq;*, inquit, *contentiones inter Christianos ortæ fuerint ad ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur, & si obedire noluerint, quousq; obediant, à liminib. S. Eccles. excludantur.* §. I-

Egregium Constantini Imperat facinus.

§. Idem simul & facto & decreto probat Constantinus Magnus, qui vt est apud *Ruff. lib. 1. hist. c. 2.* *In eo*, inquit, *Concilio Nicæno admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis Episcopi conuenissent, & (vt fieri solet) diuersis ex causis inter se iurgia quædam detulissent, interpellabatur frequenter à singulis, offerebanturque libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc quam ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns quod per huiusmodi iurgia causa summi negotij frustraretur, diem certum statuit, qua vnusquisque episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret, & quum resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes sinu suo continens, nec in eis quid contineretur, aspiciens, ait ad episcopos; Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est, vt homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit, & ideo his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent absque vlla animorum contentione distinguite. Cum hæc dixisset omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simultatio sacerdotum.*

Sacerdos iudicat Imperatorem, non vero sacerdotem Imperator.

Ad Ecclesiasticum tribunal prouocatio.

§. De quo eodem Constantino Imperatore *Tripartita historia cap. 9. Indicium maximum reuerentiæ pij Principis circa religionem fuit, quia vbique administrantium sententias imperfectas esse voluit, & ad episcopos per appellationem refugiendum esse sanciuit, si qui vellent ciuiles iudices refutare: firmam vero illorum iudicans sententiam, potioremque iudicum aliorum; tanquam ab Imperatore prolatam ab omnibus obseruandam.* Id & postea lege Cæsarea Theodosii Imperatoris 11. q. 1. cap. Quicunque, quam ibidem confirmauit Carolus Magnus cap. volumus, stabilitum est, nimirum vt quisque, siue reus, siue actor, possit, relicto tri-

cto tribunali sæculari etiam post litem contestatam adire iudicem Ecclesiasticum.

§. Quo iudicis munere inter fideles suos functi sunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis Episcopus, vt scribit in eius vita S. Gregorius Nissenus, & S. Ambrosius vt constat. lib. 2. offic. 29. vbi etiam Imperatorum iniusta iudicia irritasse se dicit S. August. vt manifestum est de opere Monachor. c. 26. Synesius, vt patet epist. 57. & 58. *Iudices Episcopi.*

§. Sed crescente nimis numero Christianorum & litium, Episcopi hoc iudicium ad iudices sæculares, sed Christianos reiecerunt; idque ex doctrina & institutione S. Petri, qui ad Clementem, & in eo ad quosuis Episcopos ita loquitur epist. 1. Clementis iam citata. *Nec enim iudicem, inquit, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinatum vult Christus ne præfocatus præsentibus non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis.* *Cur sæcularium rerum iudicium ab Ecclesiasticis reiectum.*

CAPVT XI.

SACERDOTES REGIA MAIESTATE AUGUSTIORES.

§. MAGNAM semper cum regno coniunctionem habuit sacerdotium. Vnde & non semel Tullius rebus sacris præfectum vocat *sacrorum regem.* Primi Ægyptij ex omni Philosophorum numero deligebant sacerdotes, & ex sacerdotibus regem. Hinc Mercurium Trimegistum, id est, ter maximum appellarunt; propterea quod simul maximus esset, & Philosophus, & Sacerdos, & rex. Et apud *Virgilium 3. Aeneidos: Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos. Melchisedech & rex Salem fuit & sacerdos Dei altissimi, Genes. 14. v. 18. Hebr. 7. v. 1.* Secundum cuius ordinem *Christus rex regum* *Et bene conueniunt, & in una sede morantur summa sacerdotis simul ac Regis Maiestas.*

gum, & Dominus dominantium. Apoc. 19. vers. 16. Est sacerdos in æternum. Psal. 109. v. 4. Heb. 5. v. 6. Moses dux & simul sacerdos fuit. Psal. 98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Heli simul iudex fuit & sacerdos. 1. Reg. 2. Machabæi & duces populi, ac iuxta fuere sacerdotes. Hinc & regno sacerdotium copulatur. Exodi 19. v. 6. Eritis mihi in regnum sacerdotale, 1. Pet. 2. v. 9. Vos genus electum, regale sacerdotium. Apoc. 1. v. 6. Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo. Vnde & præcipua auctoritate & dignitate excellentes, licet sacerdotio initiati non sint, sacerdotes nominantur, vt Jureconsulti sacerdotes iustitiæ, & 1. Reg. 8. v. 18. Filij autem Dauid sacerdotes erant, non officio, cum essent de tribu Juda, sed dignitate, cum essent regis filii, erant etiam primores regni.

Doctores in lege pariter & sacerdotes.

§. Hinc apud antiquiores Hebræos penes sacerdotes summa fuit rerũ, & cum Reges habere cœperunt, hi subiecti fuere summo Pontifici, qui suo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium Sanhedrin septuaginta duorum seniorum, cuius erat de Lege, Rege, atque Propheta iudicare.

Reges in lege sacerdotibus subditi.

§. Et apud Gentiles communi ac naturali consensu cuncta sacerdotum arbitrio regebantur, etiam quæ ad politicum spectarent imperium, quocirca & illos doctissimos ac sapientissimos esse volebant. Id de Æthiopibus testatur Strabo l. 17. De Ægyptiis Ælianus l. 14. v. hist. c. 34. De Persis eorumq; Magis Euseb. Cæs. in Chronico, & Agathias l. 2. De Athenensibus & Areopagitis Josephus libro 14. Antiqu. Judic. cap. 16. De Gallis & Druidis Cæsar. lbro 6. Debello Gallico. De Romanis & eorum auguribus Cicer. l. 2. de legib. Recte itaq; Socrat. apud Xenoph. l. de factis & dictis Socratis ait: *Quod ab omnibus gentibus obseruatum est, id non nisi à Deo sancitum esse dicendum est.* Ita & Christus rex simul & sacerdos in Ecclesia regale constituit sacerdotium, 1. Pet. 2. & omne iudicium quod à patre acceperat,

rat, Joan. 5. transfudit in suos, cum eos misit sicut à patre missus fuerat, Ioan. 20.

Sacerdotes regibus antecellunt.

§. Sunt reges itaq; sacerdotes, quin & regibus digniores, ita vt sacris initiato dicat Deus, quod Jer. vati & sacerdoti c 1. v. 10 *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes & regna* Sed & *Dauid Ps* 44. *v* 17. cõpellat & alloquitur vel ecclesiam vel eius sponsum Christum. *Pro patribus tuis* (patriarchis & prophetis) *nati sunt tibi filii* (Apostoli, & Apostolici sacerdotes) *Constitues eos principes super omnem terram.* Et si idem regius vates de quibus libet iustis recte pronunicarit, *Ps* 138. *v.* 17. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*, quanto id dicitur magis de iustis sacerdotibus.

Reges sacerdotum exosculantur manus & eorũ se precibus commendant.

§. *S. Ambros. l. de dignitate sacerdotali c. 2. Si regum fulgori compares & principum diademati longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cũ videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se cõmuniri.* Eadem in sententia est *S. Chrysost. homil. 5. de verbis Isaiæ. Vidi Dominum.* Deus, inquit, *regale caput sacerdotis manibus subiecit nos erudiens, quod hic princeps sit illo maior: siquidem id quod minus est, benedictionem accepit ab eo quod præstantius est. Hebr. 7. Et vbique in veteri lege à sacerdotibus inungebantur reges illisque subiecti erant.* 2. Paralip. 26. ver. 16. ad 21. Osias rex à sacerdotibus & Leuitis, & à sacrificando prohibetur, & templo expellitur. Idem *S. Chrysost. homil.* 83 *in Machab & 60 ad Antioch.* ad Diaconum oratione conuersa. *Siue quis dux militiæ*, inquit, *siue præfectus, siue princeps diademate coronatus, indigne accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes Sanctus Hieronymus* 12. *quæstione prima, capite septimo, Duo sunt: Clerici sunt reges, id est, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite: hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni,*

Etiam Diaconus Rege dignior.

regni, quod à Christo exspectatur. Qua sententia ostendit S.Hieron. quod probi clerici reges sint, tum quia suis imperant cupiditatibus, & vt alij hoc præstent sua hortatione & exemplo perficiunt, tum quia spirituale per virtutes regnum indepti sint, tum quia non dubia spe cœleste regnum præstolentur. *S.Clemens l.2. Constitut. Apostolicar.c.34. Quanto anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius.* Et *S.Ioann.Chrysost.lib.3.de sacerdot. & hom.4.& 5.de verbis Isa. Vidi Dominum. Sacerdotium regno tanto est excellentius quantum spiritus & carnis interuallum esse potest.*

§. Et quidem Imperatoriam Maiestatem sacerdotali inferiorem esse Magnus agnouit Constantin.Monarcha, de quo *Ruffinus lib.1.cap.2. quod, cum in Concilio 1. Nicæno accusatorii libelli ab Episcopis ipsi offerrerentur, susceptit à singulis quos simul omnes sinu suo continens, nec in eis quid cõtineretur, aspiciens, ait ad episcopos: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate iudicium, & vestra iurgia, quæque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati est dii, & conueniens nõ est, vt homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. Et ideo his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum contentione distinguite. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simultatio sacerdotum.* Qui idem Imperator, vt etiam habet *Theodoretus lib. 1. Ecclesiastica historia cap. 11. Simul omnes probatos in medium coram omnibus inflammauit, iureiurando dato, nihil esse quicquam illorum à se lectum. Non n. inquit, sacerdotum exorbitationes vulgo innotescere oportet, ne illis offensi, ad delinquendum reddantur audaciores. Aiunt, & hoc adiecisse. Se si forte oculis conspexisset suis Episcopum alienum torum labefactantem, obtecturum paludamento*

Sacerdos recte iudicat Imperatorẽ, non sacerdotem Imperator.

Verenda Patrum tegenda non deridenda Gen 9 Sacerdotum vitia alios prouocant ad audenda grauia.

mento sceleratum facinus, ne cui forte cernentium illud visum noceret. Hac monitione tantoque honore sacerdotibus habito; hortatus est, vt suum quisque ouile capesceret.

CAPVT XII.

SACERDOTES SPIRITALES genitores.

§. PResbyteri sunt parentes & plusquam parentes, qui per aquam & Spiritum sanctum nos in Dei filios regenerãt, Christo induunt, diuino pane & verbo nutriunt, pestiferos animi morbos propulsant, sanitatem restituunt, ex Dei offensa eripiunt, cœli aditum patefaciunt, æternæ felicitatis consortes efficiunt, vt ait Chrysost. lib. 3. de sacerdotio. Matth. 9. v. 2. Confide fili, remittuntur tibi peccata.

Christus beatissimus pater noster.

§. Talis Pater Christus, Ioan. 13. v. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quo ego vado, vos nos non potestis venire. Et cap. 15. v. 16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis; & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.

Apostolus Pater.

§. Talis pater S. Paul. 1. Cor. 4. v. 14. 15. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Corinthios à se ad Christum conuersos nominat filios, & non modo filios; sed filios charissimos, quos non sibi, sed Christo, non sua, sed Christi virtute procreauit, vt ipse sit amantissimus illorum pater, alii autem institutores quasi pædagogi. Et Galat. 4. v. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ego vos per Euangelium Christo genui; & Judaismo rursus infectos enitor Christo iterum parere, vt ille reformetur in vobis, & ab eo non à lege gratiam, iustitiã,

salutem præstolamini. *Vide*, hic ait *Sanctus Chrysostomus* commotum, vide turbatum. Fratres mei rogo vos, filioli mei quos iterum parturio. Matrem refert de liberis trepidantem: donec formetur CHRISTVS *in vobis*. Vides paterna viscera, vides anxietatem Apostolo dignam: vides qualem emittit eiulatum, multo tristiorem, quam solet esse parturientium. Corrupistis, inquit, imaginem, perdidistis generositatem, formam immutastis, opus est vt renascamini, vtque refingamini. Et tamen filios voco fœtus imperfectos & abortiuos. Verum hunc in modum non loquitur, sed aliter: parcit enim illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere, quemadmodum eruditi medici eos qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex interuallo curant, ne desponentes animum pereant. Sic & hic beatus. Nam & hi parturientis dolores hoc sunt acriores, quo maior erat affectus charitatis, & peccatum erat haud quaquam vulgare. Hoc enim semper dixi nec dicere desinam, quod pusilla quæpiam transgressio ingens detrimentum parere solet. Quod quidem & tunc accidit. Siquidem ab exiguis ortum initiis malum, totam Ecclesiam peruaserat, totamque faciem ac formam vitiauerat. Vellẽ esse præsens apud vos nunc, & mutare vocem meã. Considera mihi sibi non temperantẽ, considera feruentẽ, considera nõ potentẽ talia ferre. Talis nimirũ res est charitas. Vt nõ contentus est verbis, sed insuper quærit præsentiam. Vt, inquit, immutem vocem meam. Hoc est, vt vertam eam in ploratum, vt moueam lachrymas, quo simul omnes ad lamenta pertrahã. Per epistolam enim non licebat ostendere lachrymas, neq; complorationẽ. Et hinc ardet præsentiã desiderans. Quoniã confundor in vobis. Non enim, inquit, habeo q̃ dicam, non habeo, quod cogitem. Vnde hoc, vt qui prius ad ipsum cælorum culmen ascenderatis, partim ob pericula fidei causa tolerata, partim ob signa quæ per fidem edidistis, nunc adeo repente ad tantam vilitatem deductisitis, vt ad circumcisionem & sabbata pertrahamini, & Iudaizantibus adhæreatis? Ob id etiam initio dixerat: Miror quod tam cito transferimini. Et dicit: Confundor in vobis, perinde quasi dixisset: Quid dicam? quid

Materna Apostoli viscera.

Apostolus peritissimus Medicus.

Paruus initio error fit magnus in fine.

Acerba lacryma etiã lapides ad fletum & lamẽtationem cogunt.

quid loquar? quid cogitabo? perplexus sum, vnde & plorem necesse est: quod quidem in rebus perplexis faciũt etiam Prophetæ: Est autem & hæc non leuis curandi ratio, si non solum consulas, verumetiam lamenteris. Nam hoc & Milesiis loquens dicebat: Triennium cum lacrymis admonere vos non cessaui. Idem hic dicit, vt immutem vocem meam. Siquidem quoties rebus perplexis ac desperatis de repentè obortis vincimur, deinceps ad lacrymas vertimur.

Laudatur & à S. Greg. Mag. materna D. Pauli caritas.

§. Prædicat & hunc eundem in S. Paulo paternum, aut potius maternum affectum *S. Greg. l. 30. Moral. cap. 21. Prædicatores sancti nunc in lacrymis seminant, vt segetem postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi ceruæ in dolore partus sunt: vt spirituali prole postmodum sint fœcundi. Vt enim vnum de multis loquar: video Paulum quasi quandam ceruam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim: Filioli mei quos iterum parturio: donec formetur Christus in vobis: vellem esse apud vos modo: & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Ecce mutare vult vocem in partu suo: vt prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris. Vult mutare vocem: quia quos iam prædicando præparat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc ceruapariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur dicens: O insensati Galatæ quis vos fascinauit, & sic stulti estis: vt cum spiritu caperitis, nunc carne consummamini? Vel certè currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? Qualis in huius ceruæ partu rugitus fuit? quamdiu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit: & quando partus ad malitiæ vterum rediisse cognouit. Consideremus quid doloris habuerit: quid laboris quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare.* Ceruarum partus difficillimus est vt non solum *S. Iob. 39. v. 1. & 3. Numquid nosti tempus partus ibi, cum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti? Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Et ibid. *S. Greg.* testantur, sed etiam id docet Aristot. & Plinius.

S. Timothe⁹ spiritalis & legitimus S. Pauli filius

§. Rursum Apostolus 1. *Timot. 1. v. 2. Timotheo dilecto filio in fide.* Timotheo dilecto [germano, vero, ingenuo] filio in fide [per meam prædicationem genito, & meæ doctrinæ ac virtutis paternæ æmulo] quo nomine & illum commendat *Philip. 2. v. 19. 20. 21. 22. 23. Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me cito mittere ad vos: vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincerè affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum seruiuit in Euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt.* Seruiuit Sancto Paulo quasi parenti filius, & alacriter & strenuè Euangelio propagando seruiuit. 2. *Timoth 1. v. 2. Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.* Et *cap. 2. v. 1. Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in* Christo Jesv: *Titiana 1. v. 4. Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, & pax à Deo patre, &* Christo Jesv *saluatore nostro.* Vocat Titum germanum suum filium, non carne, sed fide & spiritu genitum, quæ fides sit Catholica, & ipsi, & Tito, tanquam fratribus communis.

S. Timoth. Ianu.

D. Pauli cāritas vere paterna à S. Hieron prædicatur.

§. Precatur & Philemonem, *v. 10. Apostolus. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo.* Sanctus Hieronymus *in commentario huius epistolæ & sententiæ*, celsitatem Paulini animi & stupendam laudat charitatem: *Admirandum*, inquit, *de magnanimitate Apostoli, & in Christum mente feruentis. Tenetur in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, & non sentit iniuriam, non dolore cruciatur, nihil nouit aliud nisi de Christi Euangelio cogitare. Sciebat seruum, sciebat fugitiuum, sciebat aliquando raptorem ad Christi fidem esse conuersum. Grandis laboris est talem hominem in eo perseuerare quod cœpit. Idcirco filium suum, & filium vinculorum & ministrum Euangelii in vinculis constituti, inculcat*

qu replicat, vt Philemon ille prudenter & dispensatorie tantum in præfatione laudatus, non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. Quod autem ait: Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe: hoc est, quod paulo ante dixi, viscera significare internum cordis affectum, & plenam ex animo voluntatem, cum totum quicquid in nobis est, suscipitur à rogato: Alias autem omnes liberi, viscera sunt parentum.

§. Talis pater Sanctus Joannes Apostolus, 1. *Ioannis 2. vers. 1. Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem,* IESVM CHRISTVM *iustum. v. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. vers. 18. Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit: vers. 28. Et nunc filioli manete in eo: vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Et *cap 3 vers. 7. Filioli, nemo vos seducat. vers. 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Et *capite quarto, versiculo quarto. Vos ex* DEO *estis filioli, & vicistis eum, quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo.*

S. Ioan. Apost. fiel. fidelissimus pater.

§. Tales Patres Sanctæ Ecclesiæ Doctores, Episcopi, Sacerdotes, Sacræ Scripturæ Tractatores, de quibus *sanctus Augustinus libro 3. Hypog. Tunc à nobis limes fidei sanæ defenditur, quando termini quos posuere sancti patres, non transferuntur à nobis, imo obseruantur, & defensantur.* Et *libro primo contra Iulianum Pelag. capite secundo. Ecce quo te introduxi, conuentus Sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solum filii, sed & patres Ecclesiæ sunt. Ex illo numero sunt, de quibus prædictum est. Psalm. 44. versiculo 17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filii regenerati sunt, vt hæc docerent, eius patres facti sunt, vt docerent.* Et *libro 2. contra Iulian. Pelag. versus finem. Talibus post Apostolos sancta Eccle-*

Doctores & episcopi sacerdotes spirituales patres. S. Patrum & sentiens doctrina nititur euangelio.

Ecclesiæ SS. Apostolorum & Patrum doctrina inharens falsa, sectariorum dogmata refu-

toribus creuit. Ideo prophanas voces vestræ nouitatis expauit, & cauta ac sobria ex admonitione Apostolica, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & mens eius currumperetur à castitate, quæ est in Christo, Catholicæ fidei virginitati insidias vestri dogmatis surrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcauit, obtruit, abiecit.

Patres spirituales honorandi.

§. Quam vero hi spiritales parentes obseruandi, colendique sint, docet S. Ioannes Chrysostom. homil. 10. in priorem ad Thessal. epist. explanans Apostoli verba c. 5. v. 12 13. *Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.* Sacerdotem, ait, *multa grauat difficultas. Primum quidem voluntarijs præesse debet, & à quibus principatus sui gratiam referat. Hoc autem non potest statim contingere. Qui enim alios arguit & increpat, qualis tandem sit, omnino amissa gratia exosus redditur. Eodem modo habebit, & qui adhortatur alios, & admonet, & ad bona prouocat. Si dixero itaque, pecunias tuas in egenos effundito, inuisum quid, & molestum dica. Si dixero, iram castigato, furorem extinguito, aliquam concupiscentiam sedato, vel modicam delitiarum portionem amputato, omnia grauia & inuisa. Et si desidem castigauero, aut extra Ecclesiam eiecero, aut à communibus precationibus abarcuero, dolebit, non ideo quod ex istis eiectus est, sed propter communem ac vulgarem turpitudinem. Nam & ea quoque morbi huius intensio & vehementia est, vt à spiritualibus prohibiti, non ideo doleamus quod tantis bonis priuamur, sed quod videntium contemptui & turpitudini exponimur. Non horrescimus, non formidamus rem ipsam. Quapropter Paulus de istis sursum ac deorsum multa versat ac disputat. Et Christus quidem eos tanta coactione subegit, vt dixerit Matthæi 23. vsicul. 2. In cathedra Moysi collocarunt se Scribæ & Pharisæi, quæcunque igitur seruanda vobis præceperint, seruate, secundum opera vero eorum nolite facere. Et rursus cum leprosum curasset, dixit Matt. 8. v. 4. Vade, ostende teipsum sacerdoti, & offer munus tuum, quod*

Difficile sacerdotum munus.

Ingratus monitor nihil proficit.

um,quod Moyses præcepit, in testimonium illis. Et tu tamen ad eos dicis Matt.23 v.15. Facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos. Propterea,inquit,dixi,quæ faciunt,nolite facere. Omnem itaq; prætextum & excusationem ademit subdito. Paulus vero etiam Tim.scribens 1.epist.5.v.17.dixit: Qui bene præsunt seniores duplo honore digni habeantur. Et ad Hebr.quoque scribens c.13.v.17.dixit: Obedite iis qui vobis præsunt,& obtemperate illis.Et hic rursus 1.Thes.5.v.12.Rogamus autem vos fratres,vt agnoscatis eos,qui laborant inter vos, & in Domino vobis præsunt. Quoniam enim dixerat,alius alium ædificet,ne putarent inde se in præceptoriam authoritatem euectos,subiunxit: veruntamen videte, quod & vobis præceperim vt alius alium ædificet. Non potest enim doctor omnia dicere. Eos,inquit,qui laborant inter vos,& vobis præsunt in Domino, admonentq; vos. Et quomodo,inquit non absordum est quod facis? Siquidem homo de sensionem tui erga hominem aliquem egerit, omnia facis, omnem illi gratiam habes, & quum hic erga Deum partes tuas tueatur,nihil gratiæ rependis? Et quomodo, inquis,partes meas tuetur? Quia pro te orat, quia spiritali dono,quod per baptismum est,tibi ministrat, inuisit te, adhortatur & admonet,mediis noctibus,si vocaueris, venit. Et hinc nihil aliud reportat, nisi vnum hoc, quod ori tuo obnoxius est, & blasphemiis tuis maledici sibi patitur. Qua necessitate coactus est? An bene vel malè fecit? Tu quidem & vxorem habes & delitiaris, & vitam mauis lucrosam, sacerdos vero ad hoc munus seipsum accommodauit,non aliud ipsi vitæ genus est, sed circa Ecclesiastica versatur. Et habeatis eos,inquit,in summo pretio, per dilectionem,propter opus eorum: pacem habete cum illis. Vides quomodo cognouerit quibus pusillanimitatibus obnoxii sint tales? Non simpliciter dixit, diligite, sed in summo,inquit,pretio per dilectionem eos habete, velut filii patres. Per eos namque nati estis generatione æterna, per eos regnum adepti estis, per manus eorum omnia fiunt, per eos cælorum vobis portæ reserantur. Nemo dissideat, nemo contra tendat.

Sacerdotum beneficia.

Ingratitudo plebis.

Sacerdotis officium est tractare Ecclesiastica.

Sacerdotes patres.

Christum amans qualiscunq; eius sacerdotem amat.

Qui Christum diligit, qualis tandem sacerdos sit, ipsum quoque diliget, quoniam per eum tremenda mysteria consequutus est. Dic mihi si cupidus visendi regias auro multo splendentes, & lapidum pretiosorum splendore vndique coruscantes, inuenires eum qui claues haberet, is autem rogatus abs te confestim illas reseraret, introque te mitteret, an non illum præ omnibus honorares? an non æquè vt oculos tuos diligeres? an non adamares? Hic tibi cœlum aperuit, & illum nec amplecteris? Si vxorem habes, an non eum qui illam tibi conciliauit omnium maxime amas? Ita, si Christum amas, si amas regnum cœlorum, agnosce eosper quos illud habes. Quapropter dicit, propter opus ipsorum, pacem habete cum illis.

CAPVT XIII.

SACERDOTES INTER DIVINVM *Numen, & humanum genus intercessores.*

Sacerdos Mediator inter Deum & homines.

§. SVNT orbis totius præsertim Christiani Legati ad Deum, & Dei vicissim ad homines. *Sanctus Greg. Nazianz. Apol. 1. Mediatorem inter Deum & homines agere sacerdotis munus est. S. Ephrem de sacerdotio. Sacerdotium,* ait, *audacter è terra sursum in cœlum volitans, ascendit ad Deum, donec ipsum contueatur inuisibilem; procidensque ante excelsum Thronum instanter pro seruis orat Dominum, lacrymas & gemitus conseruorum deportans, proprioque similiter Domino feruentem deprecationem simul & pœnitentiam offerens, misericordiam & indulgentiam à Rege misericorde postulans, vt Spiritus sanctus pariter descendat, sanctificetque dona in terris proposita: cumque oblata fuerint tremenda mysteria, macularum purificationem accipiunt. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum sacerdotum! O quam magnam in se continet profunditatem formidabile, admirabile sacerdotium!*

Sacerdos pro cumbens ante Deum, orans, gemēs, lacrymans, dolens, sacrificans misericordiā & veniam imperrat.

Sacerdotii dignitas.

§. Hinc

§. Hinc recte *Hormisda Pontifex distinct.61.capit. Non negamus. Emendatiorem conuenit esse populo, quem necesse est orare pro populo. Sanctus Thomas 3.part.quæst.22.artic.1.cap. Proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum & populum, in quantum scilicet diuina populo tradit (vnde dicitur sacerdos quasi sacra dans) secundum illud Malach. 2. vers. 7. Legem requirunt ex ore eius. Et iterum, In quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Exodi 32.v.11.14. Leuit.9.vers.7. Numer.16.vers.47.& 48. Iudith.4.vers.9.10. Ioel.2.vers.17.18. Hebr.5.vers.1. 2.*

CAPVT XIV.

QVA SACERDOTES RATIONE sint Angeli?

§. SVNT Angeli Sacerdotes non natura, sed officio. *Malachiæ 2.v.7. Apoc.2.v.8 12.18.& cap.3.v.1.7.14. 1. Corinth.11.vers.10. Sanctus Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Timoth. An ignoras quid sit sacerdos? Angelus vtique Domini est. Non ex seipso loquitur, si despicis non illum despicis, sed Deum qui illum ordinauit Sanctus Thomas 3.parte, quæst. 22. art.1.ad 1. Sacerdos in quantum est medius inter Deum & populum Angeli nomen habet.*

§. Sed & vita, moribus, atque officio Angeli esse debent. 1. Angeli semper vident faciem patris, qui in cœlis est. *Matth.18.vers.10.* & ipsi DEVM, in cuius conspectu assidue versantur, in oculis ferant. 2. Angeli castissimi sunt, ob quam puritatem & beati illis comparantur *Matth.22.v.30.* & illi sunt in S. ordinibus perpetuam castitatem professi. 3. Angeli non vtuntur visibili illo cibo & potu, sed diuino qui sub sensum non cadit. *Tob.12.v.19.* Et ipsi moderatissimo saltem vtantur non ad intemperantiam, sed necessitatem. 4. Angeli nihil caducum possidere cupiunt. *Tob.12.* 5. Sed illorum the- *Quibus mu- niis sacerdotes Angelis similes.*

saurus est Deus, qui idē Deus & pars & hæreditas Clericorum esse debet. 5. Angeli sapientissimi sunt, 2. Reg. 14. v. 20. decet & Clericos diuinæ legis peritos esse, Malach. 2. v. 7. Tit. 1. v. 9. 6. Angeli promptissimi sunt ad diuinum obsequium eumque Dominum suum assiduè collaudant. Ps. 102. Isa. 6. Apoc. 5. Et his dicitur Ps. 133. v. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis Domini Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* 7. Angelus idem est, quod nuncius & sacerdos sicut & beatus spiritus diuina hominibus nunciat. Hinc *S. Dionys. de cæsti Hierarchia. Nihil*, ait, *vt reor, absurdum est, si sacerdotem hominem, Theologia quoque angelum vocat, qui pro viribus Angelicæ proprietati dicendo participat, atque ad Angelorum similitudinem (vt homini possibile est) per nunciandi officium nititur.* Quin & Angelis præstant sacerdotes absoluendi & consecrandi potestate Chrys. l. 3. de sacerd.

CAPVT XV.

SACERDOTES MIRABILI MODO Saluatoris generatores.

§. SVNT quasi quidam CHRISTI Domini parentes, nam 1. illū diuino modo in Eucharistia pariunt. 2. Salutifera prædicatione eundem animis auditorum, vt ibi per fidem habitet, ingignunt: sic Apostol. Christum tanquam fœtum in Galatiarum animis conformare ostendit, cum *c. 4. v. 19.* ita ad illos scribit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. S. Greg.* hom. 3. Euang. *Quasi parit Dominum*, ait, *qui eum cordi audientis infundit, & mater eius prædicādo efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. Ioā. 14. v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

mus. 3. Diuinæ legis obedentia & vitæ sanctimonia, spectatorum pectoribus Christum ingenerant Mat.12. v.50. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

CAPVT XVI.

MAXIMA EST SACERDOTIBVS CVM Deipara Virgine similitudo.

§. MVNVS Sacerdotij tale ac tantum est, vt cum materna sanctissimæ Virginis MARIÆ dignitate sit comparabile. 1. Deipara corpori Christi formando purissimum sanguinem suppeditauit, Sacerdos panem & vinum in CHRISTI corpus & sanguinem conuertit. 2. Illa in vtero, hic in altari. 3. Ibi sine mora facta est incarnatio, hic sine cunctatione transsubstantiatio. 4. Ibi virtute Spiritus sancti & Virginis ministerio generatus est CHRISTVS Deus & homo, hic paracleti ope, & Sacerdotis voce producitur idem Christus verus Deus verus homo. 5. Illa octo verbis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Lucæ 1. v. 38.* Christum traxit in vterum suum. Hic quinque illis arcanis verbis Christum deducit in manus suas. *Mat. 26. v. 26. Hoc est n. corpus meum.* 6. Illa attraxit infantulum passibilem, mortalem. Hic virum perfectum adducit immortalem, beatissimum. 7. Illa semel, hic quotidie. 8. Illa Christum non distribuit. Hic omnibus petentibus impertit. 9. Hic largitur Spiritum sanctum; ligat & soluit peccatores, cœlum claudit & aperit, quod illi concessum non fuit. *Innocent 3. de panitentia & remiss. cap. Noua quædam. Licet beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis; non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cælorum commisit.*

CAPVT

CAPVT XVII.

SACERDOTES CHRISTO DOMINO suppares.

§. CLERICI ac potissimum Sacerdotes comparari possunt cum Christo Domino, qui & omni fariam potestatem à patre acceptam illis tradidit, vtait S. Chrys. l. 3. de sacerd. & Melchisedech sacerdos Dei altiss. Gen. 14. v. 19. Assimulatus est filio Dei. Heb. 7. v. 3. Vnde & Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchised.* Quis, inquit, S. Cypr. epist. 63. ad Cæcilium, *magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilic. corpus & sanguinem.* Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Ea scil. caritate, dignitate, authoritate, docendi, gubernandi, peccata condonandi, sacrificandi potestate.

§. S. Thom. 3. part. q. 22. art. 4. c. *Sacerdos nouæ legis*, ait, *in persona Christi operatur*, secundum illud, 2. Cor. 2. v. 10. *Nã & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* Et ad Gal. 4. v. 14. *Sicut angelum Dei suscepistis me, sicut Christum Iesum.*

CAPVT XVIII.

DIVINITATIS PARTICIpes sacerdotes.

§. CLERICI ac maxime sacerdotes sunt terrestres quidam dii. Innocent. 3. de Hæreticis c. cum ex iniuncto. *Dominus*, inquit, *in lege præcepit Exod. 22. v. 28. Diis non detrahes, sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam & officii dignitatem deorum nomine nuncupantur.* Nimirum quia vices Dei in terra obeunt, & munia Deo propria gerunt:

gerunt: nam solus Deus perficere potuit, vt nasceretur Deus ex homine, & Sacerdos facit vt Deus homo nouo & recenti modo adsit in Eucharistia. *Sanctus Ambrosius lib.1.de pœnitentia cap.2. Munus Spiritus sancti est officium sacerdotis, ius autem Spiritus sancti in soluendis, ligandisque criminibus est. Ioannis 20.v.23.* Solus Deus potest remittere peccata, quã potestatem concessit sacerdotibus. *Deus*, ait Dauid Psal.81.v.1. *Stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat, id est*, Deus supremus iudex semper præsens assistit in Judicum conuentu, à quo inuisibili maiestate præsente, dum populi causas iudicant, & ipsi iudicantur: Et qui honoratiores iudices & dii, quam sacerdotes qui de spiritualibus, cœlestibus, & sempiterna salute iudicium faciunt, sententiamque dicunt?

§. Sunt & alia honorificentissima sacerdotum munia & epitheta, quæ eximiam illorũ dignitatem mirificè commendant. Vt apud *S. Prosperum lib.2.de vita contemplatiua cap.2. Sacerdotibus propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui, pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo. Qui velut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduersionis à populo: qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fideles populi duces, veritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso visu terribiles; vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium, primi phalanges inuisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia: ipsi columnæ firmissimæ, quibus in* CHRISTO *fundatis*

Assiduissimi pro plebe deprecatores.

Diuinæ præceptionis interpretes.

Ecclesiæ fundatores.

Christianorum antesignani.

Veritatis pugnatores.

Falsitatis expugnatores.

Oppressorum liberatores. Spiritales parentes. Exercitus Catholici ductores. Sanctitatis exemplaria. Ecclesiæ ornamenta & columnæ.

Cæli ostia.

Dispensatores mysteriorum Dei.

Diuino voatu electi.

Speculatores.

Morum censores.

Ab immundo quis mundabitur? Eccles 34. v. 4.

Summorum titulorum congeruntio.

fundatis innititur omnis multitudo credentium : ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per omnes quos qui credunt in CHRISTVM, ingrediuntur ad CHRISTVM : ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt regni cœlorum : ipsi etiam dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum. Hi sunt, qui non ambiendo, sed spiritaliter viuendo sacerdotium meruerunt ; quique non fauoris humani suffragio, sed diuino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus adplaudunt : quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus : qui non excellentiam suam cogitant prouecti, sed sarcinam ; nec gloriantur de officij dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. Tales diuina Scriptura speculatores appellat, qui speculantur actus omnium ; & qualiter vnusquisque cum suis in domo, qualiter in ciuitate cum ciuibus viuat, intentione religiosæ curiositatis explorant. Quos bonos probauerint, honorando confirmant : quos deprehenderint vitiosos, arguentes emendant ; aut, si emendari noluerint, æquanimiter portant, habituri vberrimum fructum, aut de sua districtione, si correcti profecerint, aut de sua patientia, etiamsi illi, quos sustinent, emendari noluerint. Et apud Sanctum Augustinum sermone trigesimo sexto, tomo decimo, ad Presbyteros, inter sermones ad Eremi fratres. Fratres Charissimi, oportet manum mundam esse, quæ polluti vasis debet maculas purgare ; ne polluta deterius possit inquinare, cum sordida sordidum tractat. Propterea, Sacerdotes altissimi DEI, vobis dicitur : Mundamini, qui fertis vasa DOMINI. Vos enim estis, qui vasa DOMINI ferre debetis, quibus datum est nosse mysterium regni DEI. Vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio Paradysi positum, patroni, & rectores Ecclesiæ, Angelorum, & Paradysi ciues, Prophetarum filij, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores. Mundamini ergo, vt dignè cum patribus

tribus posſitis ferre vaſa DOMINI: *vaſa non ſolum aurea, & argentea, ſed etiam illa, pro quibus redimendis mori* DOMINVS *dignatus eſt. Propterea attendat Charitas veſtra, quales eſſe debetis, vt dignè vaſa* DOMINI *portare poſsitis, ait enim Apoſtolus: Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, tanquam* DEI *diſpenſatorem, & cætera. Hæc non ſolum ego Epiſcopus ſeruare debeo, ſed & vos vna mecum Sacerdotes,* DEO *auxiliante, ſeruare debetis. Per omnia ſine crimine, ſicut Epiſcopum, ita iubet eſſe Presbyterum, id eſt, irreprehenſibilem; vt non quærat vxores, non diuitiæ, non honorem, & cætera.* Et *Diuus Gregorius Nazianzenus Epiſtola ad Epiſcopos. O Sacerdotes* DEI, *incruenta ſacrificia mittentes! O illuſtres animarum cuſtodes! O magni* DEI *figmentum in manibus veſtris geſtantes!* O DEVM *hominibus conciliantes! O mundi fundamenta, vitæ lumina, Chriſtianæ fidei columnæ, immortales vitæ Doctores, Chriſtiferi.*

§. Poſſet & Sacerdotium commendari à neceſſitate: quia vt ait *Ariſtoteles libro ſexto Politicorum. Oportet in ciuitate aliquos eſſe curam deorum habentes. Et Tullius libro primo, de natura deorum. Pietate,* inquit, *aduerſus deos ſublata, fides etiam & ſocietas generis humani, & vna excellentiſsima virtus, iuſtitia tollatur neceſſe eſt.*

§. Et ab antiquitate laudari poſſet, quod ab exordio mundi fuerint, vt *Abel ſacrificauit, Geneſis quarto, verſiculo quarto. Eius filius Seth cœpit inuocare nomen* DOMINI (publico ſcilcet ritu.) *Ibidem verſiculo vigeſimo ſexto. Noe obtulit holocauſta, Geneſis octauo, verſiculo vigeſimo. Melchiſedech panem & vinum, Geneſis decimo quarto, verſic. decimo octauo.* Sed ſatis multa ſacerdotii præconia allata ſunt.

Publicum & priuatum crimen vitandum.

§. Igitur ob præcellentiſsimam clericalis ordinis, & maxime ſacerdotalis dignitatẽ & amplitudinẽ, eximiã etiam & ſingularem in Clericis probitatem & ſanctitudinem deſiderat Apoſtolus. *Sanctus Ambroſius de dignitate*

gnitate sacerdotali capite tertio. Nihil excellentius in hoc seculo sacerdotibus; si nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, & cætera. Sanctus Isidorus Pelusiota libro secundo, epistola 205. Tantum inter sacerdotem, & quemlibet priuum virum interesse debet, quantum inter cœlum & terram discriminis est. Scitè enim *Sanctus Bernardus libro secundo, de considerat. capite septimo. Monstrosa res, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens authoritas, & nutans stabilitas. Et Sanctus Ambrosius libro decimo, epist. 82. Quid,* ait, *interesset inter populum & sacerdotem, si iisdem astringerentur legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia.* De hac igitur Ecclesiasticorum integritate & virtute Apostolorum sequentibus capitibus mandantem audiamus.

CAPVT XIX.

HANC SACERDOTII DIGNITATEM suspicientes, & ea se indignos existimantes latebras fugamque quæsiuere, quamuis sanctissimi, doctissimique, ac proinde ad sacerdotij munus aptissimi fuerint.

§. SIc Abbas Isaac ne presbyter ordinaretur in Ægyptum fugit, & inter dumeta se abscondit. In vitis Patrum parte secunda. §. vigesimo primo. Angelus ad Sanctum Franciscum missus; cum phiala lucida in manu limpidissimo liquore plena dixit:
B. Francisc. Vide, FRANCISCE, quicunque vult fieri Sacerdos, & Sacramenta administrare, ita purus esse debet in

anima,

anima ſicut liquor iſte, noluit vir ſanctus fieri Sacerdos, qui tantam animæ ſuæ non putavit eſſe puritatem libr. 1. Chronic. S. Franciſc. part. 1. cap. 41. S. Gregor. Magnus ad Pontificatum electus, infirmitatis ſuę conſcius fugam iniit, & inter ſyluarum ſaltus & cauernarum latibula, fulgidæ columnæ indicio agnitus capitur, trahitur, & Pontifex conſecratur Ioannes Diaconus in vita eius lib. 1. cap. 44. Baron. tom. 8. Anno 590. S. Ephrem Syrus cum intellexiſſet ſe ad Epiſcopatum electum tantiſper furorem ſimulauit, donec alius electus eſſet, Sozom. lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 15. Nilammo Sanctiſſimus Eremita, vt idem narrat Sozomenus libr. 8. Eccl. hiſt. cap. 19. ne conſecraretur Epiſcopus Hierapoleos mortem à Domino impetrauit, vt & S. Goaris Presbyter incurabilem morbum, cum à Sigeberto Rege ad Treuirenſem Epiſcopatum vocaretur. In vita ejus Iulii apud Surium.

Mors Epiſcopatui antelata.

§. *S. Auguſtinus notus ob virtutem & doctrinam, cum adhuc laicus eſſet ab eis tantum Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinebat præſentiam, manu iecta à populo Epiſcopo ordinandus infertur, qui vbertim lachrymatus eſt conſiderans, quam magna ſuæ vitæ pericula de gubernatione Eccleſiæ impenderent. Ita Poſſidius in eius vita cap. 4.*

§. Ad S. Auguſtinum D. Ambroſii vitam ſcripſit Paulinus Presbyter, narratque, quod vocatus ad Epiſcopatum Mediolenſem miris artibus ſuos ſuffragatores eludere conatus ſit, ſed cum nihil profeciſſet clandeſtina fuga bis elapſus eſt, & ex ea retractus ordinationem inuitè admiſit.

§. S. Ammonius Eremita ad Epiſcopalem conſecrationem adducendus, cum diſſuadere non poſſet, dexteram ſibi auriculam amputauit, & cum adhuc inſtarent, linguam quoque ſibi reciſſurũ eſſe adjurauit, & ita eum reliquerunt. Iſta Nicephorus lib. 11. Eccl. hiſt. cap. 37. Socrates libr. 4 cap. 23. Palladius hiſtor.

Lausiacæ cap. 12. Cujus Amonis animam, vt est apud Niceph. lib. 8. hist. Eccles. c. 41. Magnus Antonius in cœlum deduci vidit diuinis eam virtutibus comitantibus, veneratione q; & stipatione multa, atq; ineffabili quodam hymnorum carmine prosequentibus. Quapropter & qui sacerdotium vel inuitè, vel aliorum judicio, vel etiam Christo fruendi desiderio & amore susceperunt, magno studio & religione se ad illud compararunt, & ad sacrificium piè sancteq; obeundum nihil prætermiserunt.

Nemo repente fit summus.

§. Ob amplissimam sacerdotii majestatem longa & diligenti ad id opus esse præparatione docens Sanctus Gerg. Nazianz. Apolog. 1. *Quis*, inquit, *ille est, qui veritatis antistitem ac propugnatorem vnius dieculæ spatio velut simulachrum ex argilla fingit, illum, inquam, qui cum Angelorum classe atq; ordine futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad supernum altare sacrificia transmittet, simulq; cum Christo sacerdotio fungetur, qui figmentum instaurabit, imaginem q; creatori sistet, & superno mundo opificem aget, vt quod maius est dicam, Deos erit, aliosq; Deos efficiet? Scio, cuius ministri sumus, & vbi siti, & quo mittentes. Scio, quæ Dei sublimitas, quæ humana infirmitas, ac rursus potentia. Cœlum excelsum, terra profunda atq; depressa. Quis eo ascendet peccato prouolutus? quis terrena caligine carnisq; crassitie adhuc obuolutus tota mente totam illam mentem purè perspiciet, rebusq; stabilibus & oculos fugientibus inter instabiles oculisq; subiectas miscebitur? cùm vix etiam ipsum summi boni simulachrum quisquam in hac vita quamlibet accuratè purgatus cernere queat, non aliter atq; ii qui Solem in aquis intuentur.*

Sacerdotalis muneris amplitudo.

Sacerdos & Christus simul sacrificio & officio funguntur.

Sacerdos Deus Deos efficit.

Iob. 36 v. 25 Deũ vnusquisque intuetur procul.

§. Salutare est proinde S. Gregor. consilium lib. 7. epist. 110. & habetur 1. q. 1. c. 27. *Non est putanda. Quisquis sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc, quod est subiturus, onere metiatur, vt si impar est abstineat, & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat.*

Sacerdotium iturus, q id virium & facultatũ habeat, consideret.

§. Quo-

§. Quomodo autem vires suas, periclitari & expendere debeat, idem docet D. Gregor. in Pastor. sui præfatione dicens: *Cum rerum necessitas exposcit: pensandum valde est, ad culmen quisq; regiminis qualiter veniat: atque ad hoc ritè perueniens qualiter viuat: & benè viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat: aut peruentioni vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut vitam præsumptio extollat.* *Qua ratione animi robur explorandū.*

§. *Qui secus faciunt eorum temeritatem merito deplorat idem summus sanctusq; Pontifex Gregorius lib. 7. epist. 114. & habetur dist. 61. can. 1. Sacerdotale. Quidam instinctu inanis gloriæ illecti, ex laico repente habitu sacerdotii honorem accipiunt, & (quod dicere pudet, & graue tacere est) regendi rectores, & qui docendi sunt, doctores, nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est: Et, quo vel ipsi gradiuntur, ignari sunt. Quod quam prauum, quamue sit temerarium, sæculari etiam ordine, & disciplina monstratur. Nam dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debent, qui ad Episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere: huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores abstineant, ne cœca honoris ambitio, & ipsis in pœnam sit, & aliis pestifera erroris semina iaciat; quippe qui non didicerunt quod ipsi doceant.*

§. Qua de re S. Hieronym. in cap. 3. Isaiæ v. 6. *Vestimentum tibi est? Quanti*, inquit, *panes non habentes, & vestimentum cum ipsi esuriant, & nudi sint, nec habeant spirituales cibos, neq; Christi tunicam integrā reseruarint, aliis & alimoniā & vestimenta promittunt: & pleni vulneribus medicos esse se iactant. Nec seruant illud Mosaicum: Prouide alium quem mittas* Exod. 4. v. 13. *Aliudq; mandatum Eccles. 7. v. 6.*

Ne quæras iudex fieri ne forte non possis auferre iniquitates.

CAP. XX.

MERITO CLERICI HONORE afficiendi.

Honorandi & iuuandi clerici & præſertim Sacerdotes.

§. EX his paulò ante commemoratis, meridiana luce clarius eſt, qualis quantusq; honor cum clericis aliis, tum præſertim Sacerdotibus habendus ſit. *In tota anima tua time Dominum*, inquit Eccl. c. 7. v. 31. *& Sacerdotes illius ſanctifica*, hoc eſt, admirare, ſuſpice, in veneratione habe tanquam ſanctos, & Deo conſecratos, hinc & Apoſtolus 1. Tim. 5. v. 17. *Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Quem duplicem honorem *Ambr. & Haymo* interpretantur reuerentiam & alimoniam, vt iis & obedientia præſtetur, & neceſſaria vitæ miniſtrentur, vt non contriſtentur indigentia, & gaudeant ſuorum obedientia. *S. Chryſoſt. Theod. & Theoph. duplici honore*, inquiunt, *id eſt multiplici, liberali & abundanti ſuſtentationis ſubſidio remunerentur.* Et S. Auguſtin. hunc in modum exponit. *Boni diſpenſatores & fideles non ſolum honore ſublimi præueniri debent, ſed & terreno, vt non contriſtentur indigentia ſumptuum, & gaudeant obedientia ſpiritalium.*

Sacerdotum immunitas.

§. S. Chryſoſt. homil. 65. in Geneſ. *Mandatum*, ait, *poſuit Ioſeph Ægyptiis vt ita tributum penderent Pharaoni excepta Sacerdotum terra* Geneſ. 47. v. 26. *Audiant qui nunc viuunt, quantam olim Sacerdotum idolorum curam habuerint, & diſcant, vt ſaltem parem habeant honorem iis, quibus omne Dei miniſterium creditur, & Sacerdotio inſigniti ſunt.* Artaxerxes Rex Perſarum, 1. Eſdræ. 7. omnes ad Dei cultum impenſas liberaliſſimè tribuit, & Sacerdotib. ac Leuitis immunitatem conceſſit. Alexander Magnus quamuis iratiſſimus Ieroſolymam raperetur, viſum tamen Iaddum Pontificem Sacerdotibus ac Leuitis comitatum ex equo deſiliens ſupplex veneratus

eſt,

est, in templo regia dona obtulit, & multis priuilegiis Iudæorum gentem ornauit, vt fusè narrat Iosephus 11. Iudaicarum Antiquit. libro cap. 8. Et Ioannes Zonaras tom. 3. Annal. Attila tyrannus S. Leoni Pontifici obuiam factus mitem se ac pacificum præbuit. Proinde rectè *S. Ignatius Antiochenus Episcopus & martyr, ait Epistola ad Smyrnenses: Honorate sacerdotium secundum Christum, & post hoc honorare oportet etiam regē. Sacerdotium enim summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt, quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ, & solum naturā principem sacerdotum Dei.*

Supremus honor sacerdotii.

§. Atq; vt hoc de Sacerdotum honore pręclare censuit *S. Ignat. B. Ioannis Apostoli discipulus*, ita & optime judicauit *B. Clemens, & S. Petri successor & S. Pauli discipulus, lib. 2. Apostolicar. constit. cap.* 33. Si de parentibus secundum carnem ait Scriptura *Exod.* 20. *v.* 12. *Leu.* 20. *v.* 9. *Matt.* 15. v. 4. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene sit tibi: qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur: quanto magis de patribus spiritalibus verbis Dei moneamur, honore & caritate eos prosequi, vt beneficos & ad Deum legatos, qui nos per aquam Deo regenerauerunt Spiritu sancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt, monitis stabiliuerunt, corpore salutari, & pretioso sanguine nos dignati sunt, nobisq; peccata remiserunt, & sacrosanctæ Eucharistiæ participes fecerunt, ac promissionis Dei consortes, ac Christi hæredes constituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes omni eos genere honorum afficite: siquidem hi potestatem vitæ ac mortis a Deo acceperunt, in iudicandis iis, qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis sempiterni, & iis, qui se ad rectè viuendum conuertunt, absoluendis & viuificandis.*

Sacerdotes spiritales parentes.

§. Vnde & graue supplicium sæpè sumpsit Deus de Sacerdotum Vexatoribus, vt de Maria Num. 12. v. 9. murmurantem contra Moysen, quam percussit le-

Haud impune sacerdotes despiciuntur.

pra, de Dathan & Abiron ſeditionem commouentes aduerſus Moſen & Aaron, quos viuos ſubitus terræ hiatus abſorbuit Num. 16. v. 31. & eorum complices vorax ignis abſumpſit. Ibidem v. 47. Hinc *S. Ioann. Chryſ. libr. 3. de ſacerdotio. Qui noui*, inquit, *teſtamenti Sacerdotes deſpiciũt, magis mihi rei quã* Dathan *& Abiron videtur, dignique maiori ſupplicio. Quoniam & illi etſi indebitum honorem vſurpare voluerunt, tamen magnam habuerunt miniſterii ipſius exiſtimationẽ, cuius ſe velle fieri participes vel temeritate docuerunt. Hi verò quanto huic officio multum honoris acceſſit, & in gloriam promouit altiſſimam, tanto ex aduerſo, quam Dathan & Abiron atq; auſu maiore delinquunt. Neq; n. æquale peccatum eſt, indebitum honorem velle peruadere, & q; tam magnũ eſt audere deſpicere, ſed tanto grauius eſt iſtud illo quantũ diſtat inter ambitum & deſpectum.* Hactenus B. Chryſoſt.

§. Oſias Rex volens Sacerdotum munus offerendo incenſum ſibi vſurpare lepra diuinitus percuſſus eſt 2. Paral. 26. v. 16. vſq; ad 22. 2. Machab. 4. v. 24. 34. 38. Sed & Menelaus necatus eſt. Ibidem c. 13. v. 4. ad v. 9. Menelai viri nequiſſimi & ſummum ſacerdotium ambientis inſtinctu Andronicus Regis Antiochi Præfectus Oniam optimum Iudæorum Pontificem contra iuſiurandum dolo interfecit. *At Rex accenſus animo Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iußit circumduci, & in eodem loco in quo in oniam impietatem commiſerat, ſacrilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam.* Præcipit Deus Pſ. 104. v. 15. ne ſibi ſacra vnctione dedicati injuria violẽtur. *Nolite*, inquit, *tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et Deut. 17. v. 12. legem tulit Dominus: *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, &c.* B. Greg. Turonicus l. 5. hiſt. Franc. c. 36. *& ex eo* Baron. *Anno Dom.* 183. *Funeſta*, inquit, *morte ex hac vita abreptus eſt* Nantinus *Comes Engolimenſis, qui cum in ſancta loca Deiq; miniſtros multa ma'a patraſſet à dyſentoria morbo corripitur.* §. S. An-

§. S. Antonius Abbas ipsos Presbyteros ac Sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse, solitusq; eisdem caput submittere, benedictionem captare; & pro magno beneficio ducere, si accepissent. Profecto sanctus vir haudquaquã tanti benedictionẽ Sacerdotalem fecisset, nisi per eam sanctiorem se fore cognouisset. Benedici à Sacerdote voluit, vt benedici à Deo mereretur; non in sola vitæ suæ integritate confidens, sed aliunde spiritualia sibi subsidia comparans. Athanasius in vita eiusdem Sancti Antonii. *Sacerdotũ cultor Magnus Antoninus. Sacerdotũ benedictio expetenda.*

§. Similiter B. Franciscus maximo semper honore Sacerdotes prosecutus est. Dicere solitum tradunt: Si cui Sanctorum è cœlo in terram lapso, & cum illo simul fortè Sacerdoti occurrisset, prius se Sacerdotis manibus osculum daturum, deinde reuerentiam facturum sancto: plus deberi illi significans, qui Christi & Apostolorum vicem in terris gereret, quàm illi, qui iam cum Christo regnare nosset. *Sacerdotũ admirator D. Francis.*

§, Neque propter virtutum præstantiam boni, sed propter officii dignitatem etiam honorandi sunt mali. Idcircò ait S. Ambr. *non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum. Et, si merita spectes, Eliam consideres: Petri quoque merita spectato, vel Pauli; quia acceptum à Domino Iesu hoc nobis mysterium tradiderunt.* Rectè & Nicolaus Papa ad Michaelem Imperat. vt habetur 1. quæst. 1. c. 87. *Non quales Sacerdotes Domini sint, sed quid de Domino loquãtur, est vobis magnopere præuidendum: nec in Vicariis S. Petri Apostoli vobis est attendendum, quid sint; sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec illos inferiores dicetis Scribis & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi; de quibus Dominus præcepit, dicens: Matth. 23. v. 1. 2. 3. Quæcunq; dixerint vobis facite, &c. Ergo Imperator considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant; quanto potius qui super cathedram Petri residet esse existimes obediendũ.* Et Leo Papa IX. contra Michaelem Constantinop. cap. 34. *Quicunq; Sacerdotes, etsi dispares sint merito, pares tamen sunt officio; nec potest denegari pro merito, quod* *Honorandi & improbi Sacerdotes. Sacerdotũ auctoritas suspicienda.*

debetur officio. Alioqui non staret sacerdotium, si maius aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum : essentque pene tot Sacerdotia quot homines.

Externa S. Trinitatis [illegible]tra indi[illegible]sit.

§. Quod improbi Clerici propter Sancti sui muneris gestionem summoperè honorandi sint docet S. Chrysostom. hom. 85. in Ioannem. Est inenarrabilis spiritus gratia, & multiplex donum. Hoc autem fit, vt intelligas Patris, & Filii & Spiritus sancti vnum donum, & vnam esse potestatem: quæ enim Patris propria, eadem & Filii esse & Spiritus sancti videntur. Quomodo ergo: Nemo venit ad filium, inquit Ioannis 6. v. 44. nisi Pater traxerit eum? Sed hoc filii esse ostenditur. Ego, inquit, Ioannis 14. v. 6. sum via, nemo venit ad Patrem, nisi per me. Vide & hoc idem Spiritus esse. Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto 1. Cor. 12. v. 3. Et iterum Apostolos aliquando à Patre, aliquando à Filio, aliquando à Spiritu sancto datos Ecclesiæ, & diuisiones gratiarum Patris, & Filii, & Spiritus videmus esse communes, 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. Omnia ergo faciamus, vt Spiritum sanctum habere possimus: & qui eius gratiam assecuti sunt, eos quantauis reuerentia colamus. Magna enim dignitas Sacerdotum: Quorumcunq; remiseritis, inquit Ioannis 20. v. 23, remissa sunt peccata. Quamobrem Paulus dicebat. Hebr. 13. vers. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, vt maximum habeatis honorem. Tu enim rem tuam curas, quam si bene ordinaris, nulla tibi alia solicitudo impendet. Sacerdos si vitam disposuerit, tuam autem non diligenter curauerit, cum impiis in gehennam detrudetur: & nonnunquam non propriis actionibus, sed nostris damnatur, nisi omnia quæ ad se spectant efficiat. Cum igitur periculi magnitudinem videatis multa eos benevolentia prosequamini: quod & Paulus significauit, dicens Hebr. 13. v. 17. Ipsi peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: idcirco maximè colendi sunt. Quod si [illegible] vestra bene disponetis. Quoad enim bono & [illegible] est gubernator, etiam nautæ securi sunt: si inuisus

Sacerdos su[illegible]mum & sa[illegible]uis diligens [illegible]Deum ne [illegible]diligens da[illegible]nabitur.

Studium de[illegible]diam efficiat.

hâ

bis esse cœperit, & molestè ferre, neq; itidem vigilare, neq; artem exercere poterit, & inuitus molestus q;, multis eos malis afficiet: ita & Sacerdos, si debitum à nobis cultum sibi præstari viderit, rectè nos gubernare poterit: si afficietis morte manus eius debilitantes, simul vobiscum fluctibus, etiam si maximi animi sit obiicietis. Intelligè quid de Iudæis inquit Christus Matt. 23. v. 2. Super cathedram Mosi sedebunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite. Nunc non est dicendum, super cathedram Mosi, sed super cathedram Christi sederunt Sacerdotes. Eius enim acceperunt doctrinam. Quare Paulus inquit, 2. Cor. 5. v. 20. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Christo exhortante per nos. Nonne videtis seculi principibus omnes subesse, & sæpè genere, vita, & prudentia potioribus deteriores præponi? Nihilominus principis, qui eos præposuit, reuerentiam, nihil, quales illi sint, cogitant. Quod si homo aliquem constituerit, tantus subit metus: si Deus quem constituit despicimus, maledicimus, innumeris afficimus contumeliis: & cum fratres nostros iudicare prohibeamur, Matth. 7. v. 1. Rom. 2. v. 1. contra Sacerdotes linguam acuimus. Quanam hac digna excusatione, cum in oculo trabem non videmus, festucã in proximi oculo acrius censemus? Matt. 7. v. 3. Nescis grauius te tibi iudicium præscribere, cum ita alium iudicas? Hæc dico, non quod indignos ad sacerdotium assumi probem, sed miserescens, & lachrymans. Non enim propterea à subditis iudicandi sunt, etiamsi malè & vitiosè viuant. Tu autem si tibi consules, nihil in his quæ illis commissa sunt offendes. Nam si asinam loqui fecit, & per vatem benedictiones spiritales largitus est, & in muto ore, & lingua immunda Balaam, propter offendentes Iudæos operatus est: Num. 22. v. 28. & c. 23. Num. 8. & seqq. multò magis propter vos fideles, etiamsi praui sint sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet spiritum sanctum: neq; enim pura mens propterea propriam puritatem amittit, sed gratia omnia operatur. Omnia, inquit, vos, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas. Quicquid enim conatur Sacerdos

Sacerdotes in Christi solio residēt.

Aptum exemplum.

DEVS per malos operatur sacerdotes.

cerdos solius Dei donum est; & vbi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Neq; hoc dico, vt pigrius viuamus, sed ne pigrè, qui vobis præpositi sunt, viuentibus, vos his commissi aliquando mala vobis comparetis. Et quid Sacerdotes dico? Neq; Angelus, neq; Archangelus quicquam in his quæ à Deo data sunt efficere potest: sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet, neque enim iustum est, propter alicuius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi. Quibus omnibus consideratis, & Deum timeamus, & eius sacerdotes maiorem in modum veneremur, vt & nostris operibus, & illis honore exhibito à Deo multam accipiamus remunerationem, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto in secula seculorum, Amen.

Sacerdotes S. Trinitatis instrumentum.

CAPVT XX.

ECCLESIASTICVS PVBLICO AC notorio vacare debet crimine.

Immane sacrilegium indignos ac ineptos promouere ad sanctos ordines.

§. CLerici non sint grauiore flagitio vel scelere cõtaminati, non tristiore nota insigniti aut aliqua infamia aspersi. Tit. 1. v. 6. 7. *Si quis sine crimine est. Oportet sine crimine esse, sicut Dei dispensatorẽ*, 1. Tim. 3. v. 10. *Diaconi ministrent nullum crimen habentes.* Nam vt ait Dominus Matth. 5. v. 13. *Si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Et rursum Matth. 6. v. 23. *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ, quantæ erunt.*

Quale crimẽ à S. ordinib reiciendũ.

§. Apostolus 1. Timoth. 5. v. 22. *Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.* S. Hieron. in cap. 58. Isaiæ. *Non enim*, inquit, *peccatum leue mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus* Matth. 7. v. 6. *& ordinationem clericatus, nequaquam sanctis & in lege Dei doctissimis, sed affectis suis tribuere, & vilium officiorum mini-*

ministris, quodq; his dedecorosius est; muliercularum precibus. In quo considerandа loquentis in se Christi Apostoli sapientia, qui vt ordinationis periculum demonstraret, iunxit tormenta peccantium: Neq; communicaueris peccatis alienis. Sicut ergo in ordinationibus malorum particeps est peccatorum, qui tales constituit, sic in ordinatione Sanctorum particeps est eorum iustitiæ, qui bonos elegit.

§. Sanctus Hieronymus in Comment. cap. 1. Epistolæ Titianæ rursum suggillat eos, qui indignos ad sacros promouent Ordines vel beneficia & dignitates Ecclesiasticas. *Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est: potuit vtiq; successores principatus, filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesia erigere columnas: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt.*

§. Sed ad Apostolum vetantem quemque inconsideratè subitò, temerè sine diligenti vitæ doctrinæq; exploratione ordinari reuertamur. S. Chrysostomus hom. 16. in 1. Timoth. *Quid*, inquit, *sibi vult cito? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed vbi consideratio diuturna præcesserit, exactissimaq; discussio, huic imponito manus. Neque enim ea res periculo caret, eorum enim quæ ille peccauerit, tu quoq; pœnam dabis.*

§. Illustre huius rei, quod non nisi sapientia & virtute egregius sit ordinandus, exemplum dabo, quod habet S. Antoninus in summa p. 3. t. 20. c. 2. §. 1. & mutuatus est *ex prato spiritali Ioannis Moschi. cap. 194. & est*

apud

apud Baron. tom. 6. Annal. Anno 461. numer. 6. Cum descendisset, ait Abbas Amos Ierosolymam & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, vt adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo: cœpitq; Patriarcha dicere Patribus: Orate pro me Patres, nam magnum onus & intolerabile mihi iniunctum est; Sacerdotiiq; dignitas me terret immodice. Petri n. & Pauli & similiũ est, regere rationabiles animas. Ego infelix peccator sum. Plus autem, quam cætera, timeo ordinationum sarcinam: nam inueni scriptum, q; beatissimus & æqualis Angelis Papa Leo per quadraginta dies perseuerauerit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigiliis, & orationibus insistens petensq; ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisq; diebus quadraginta apparuit ei Petrus Apostolus, dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi peccata, præterquam impositionis manuũ: hoc enim à te solum requiritur siue bene siue fortassis aliter egeris.

Apostolicũ munus curam gerere animarum.

§. Quod autem hic dicitur, quædam peccata dimissa, quædam non, intelligatur quoad pœnam, non quo ad culpam: impium enim esset dimidiam à Deo veniam sperare, cujus perfecta sunt opera. S. Thomas part. 3. q. 86. artic. 3. Illis ergo remanebat S. Leo delictorum pœnis obligatus, quæ illi perpetrassent, qui ab eo indigni ad ordines promoti fuissent. Leone quis sanctior, atq; prudentior, vt tantum periculum liber transiliat?

Ordinandus diu multumq; probandus.

§. Nulla igitur ratione criminosum ad S. Ordines admittit Apostolus. Hinc & Hormisda Pontifex epistola ad Hispan. Episcopos, & habetur distinct. 61. cap. 2. In Sacerdotibus eligendis vel ordinandis curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Vacare debet culpa paratus in alium dicere. S. Ioannes Chrysostomus hom. 2. in Titianam epistola 11. Sine crimine, hoc est, ait, si vita illius omnis immunis à culpa, si mores eius nemo carpere poterit.

S. Aug.

§. S. Auguſt. tract. 41. in Ioannem, & habetur diſt. 81. cap. 1. *Apoſtolus Paulus*, ait, *quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicunq; ordinandus eſt ad præpoſituram Eccleſiæ non ait: Si quis ſine peccato eſt: hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: Si quis ſine crimine eſt. Sicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium & cætera huiuſmodi.* Et rurſum *lib. 1. contra Epiſtolas Pelag. c. 14. Nullus* ait *S. Auguſt. in Eccleſia rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus. Si quis ſine peccato: vbi ait, ſi quis ſine crimine eſt. Aut ſi dixiſſet nullum peccatum habentes, vbi ait nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato a. in hac vita neminem dixerim.* Criminoſus Clericus 1. de honeſtamentum eſt Deo, 2. ſui gradus & ordinis labes ac cœnũ. 3. Eccleſiæ dedecus. 4. familiæ probrum. 5. populi offendiculum. 6. dæmonis ludibrium. 7. ſempiterni ignis nutrimentum. *Quale crimen è ſacris ordinib. reiiciendũ*

§. Cur verò ſine grauioris culpæ macula debeant eſſe Presbyteri, prægnantes cauſas affert S. Auguſtin. ſerm. 37. *ad fratres Eremi, inquiens, O Sacerdotes, ſi anima cuiuslibet iuſti ſedes eſt Dei, Sap. 7. v. 27. multo magis ſedes, & templum Dei vos eſſe debetis mundum & immaculatum. 1. Corinth. 3. v. 16. & cap. 6. verſ. 19. Si ſepulchrum eius glorioſum eſt. Iſa. 11. v. 10. in quo corpus eius iacuit exanime, glorioſiora & digniora eſſe debent corpora veſtra, quæ, qui à mortuis ſuſcitatus eſt, quotidie inhabitare dignatur. Si beatus eſt venter, qui nouem menſib, Chriſtũ portauit Luc. 11. v. 27. & beata debent eſſe corda veſtra, in quib. ſibi hoſpitium quotidie eligit filius Dei. Si beata vbera, quæ paruulus ſuxit Luc. 11. v. 27. ita debet eſſe os beatum, quod carnem eius ſumit, & ſanguinem ſugit. Carnes ergo veſtras cum timore eius configite, Pſal. 118. v. 120. & vobis diligenter prouidete; ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo filium Dei, contra Dominum loquatur: & ne manus, quæ intingũtur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccati. Iſa. 1. v. 15.*

CAP.

CAP. XXI.

CLAM ET OCCVLTE SCELERIbus abstinendum Clericis.

§. NEque solum à publicis flagitiis se contineant, sed etiam *à clandestinis abdicantes occulta dedecoris*, 2. Corinth. 4. vers. 2. *& non communicantes operibus infructuosis tenebrarum, quæ enim à quibusdam in occulto fiunt, turpe est & dicere.* Ephes. vers. 11. & 12. *Nam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos* Prouerb. 15. v. 3. *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Hebr. 4. vers. 13. *Nihil est*, ait S. Ambrosius libr. 1. offic. cap. 26. *quod magis ad vitam honestam proficiat, quam vt credamus eum Iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.* Cicero lib. 3. offic. *Satis*, inquit, *si modo in Philosophia aliquid profecerimus, persuasum esse debet, si omnes Deos hominesq; cælare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.*

Cogitatus Dei præsentis aspectus à latentib. & tectis flagitiis abstterret

CAP. XXII.

NON MODO MORTIFERA SED etiam minuta peccata, quantum fieri potest, Clericis deuitanda.

§. CVm ab Ecclesiasticis requirat Apostolus, vt non solùm non palàm probrosam vel occultè sceleratam, sed prorsus inculpatam ducant vitam. 1. Tim. 3. v. 2. *Oportet irreprehensibilem esse.* Et quod est Tit. 1. v. 2. *Oportet*

7. *Oportet sine crimine esse*, id est, *sine accusatione, hoc enim magis ἀνέγκλητον sonat*, teste S.Hier. l. 1. aduersus Pelag. c.8.Proinde S. Isidorus Pelusiota l. 1. epist.156. *Augusta quidem ac veneranda res, accessuq; difficilis, sacerdotium est, & sine vlla reprehensionis labe consectanda. Plutarchus l. de Iside & Orisde: Idolorum sacerdotes candidis tantum vestib. vsos memorat, ideò quod Diis immortalibus omnia pura mundaq; conueniant.*

§. Nec sinit Apostolus, vt Clerici familia alicujus insimuletur luxus & turpitudinis Tit. 1. v. 6. Consequens est, vt Ecclesiastici publicè ac priuatim ea deuitent peccata, quæ etsi lethifera non sint, sinistram tamen opinionem generant, & prudentibus probisque omnibus non immeritò displicent. Qualia sunt sui ipsius jactatio, alienæ existimationis imminutio, aculeata jocatio, mordax cauillatio, facti alicujus crimination & exprobratio, de rebus parum honestis narratio, liberior ac lætior cũ mulierculis collocutio, manifesta assentatio, vndique sui honoris ac lucelli captatio, frequens sine prægnante causa è templo ablentia, sub diuinis officiis sermocinatio, inambulatio, risus, leuitas, confessionis, communionis, vel sacrificationis diuturnior intermissio, indecorus habitus, notabilis intemperantia, loquacitas & id genus alia, de quib. Apostolus 1. Cor. 10. v. 32. *Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego in omnibus per omnia placere, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Et Phil. 2. v. 15. *Sitis sine querela & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Et 1. Thessal. 5. v. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos. S. Ambr. lib. 10. epist. 82. ad Vercell. Ecclesiam. Non*, inquit, *mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauendum, non solum, ne grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem.* Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de Refor. *Clerici in sortem Domini vocati, leuia etiam delicta, quæ in ipsis*

Honestam existimationem & exilia peccata sæpè minuunt.

ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Illud etiam meminerint Clerici quod ait Poëta: *Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus, vt ait S. Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 18. iuxta ordinem meritorum: & sæpè quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.*

Nævus in egregio corpore facilius animaduertitur.

§. Et *Hilarius Papa 75. quæst. 1. c. 4. Nulli. Meminimus,* inquit, *quod timere debemus, qualiter Deus comminetur negligentiæ Sacerdotum: siquidem maiore reatu delinquit, qui potiori honore fruitur: & grauiora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium.* Et S. *Leo epistola 84. ad Anastasium, & habetur dist. 23. c. 2. Omnium Sacerdotum tàm excellens est electio, vt hæc quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.* Et S. *Hieron. ad 3. cap. Micheæ,* & habetur 1. quæst. 1. caus. 44. Hi quoscunque. *Reuera,* ait, *qui ad hoc eliguntur, vt cæteris præsint, sicut præordinantur dignitate, sic præeminere debent sanctitate. Alioquin cur cæteris præferuntur, qui nulla meritorum gratia à cæteris assumuntur?* Nunc ad ea peccata, quæ Ecclesiasticis fugienda sunt, singillatim explananda accedamus.

CAP. XXIII.

SVPERBIA LONGE A CLERICIS absit.

Superbiæ incommoda.

§. *SVperbiam, quæ est peruersæ celsitudinis appetitus, & malæ voluntatis initium,* vt docet S. *August. lib. 14. de ciu. Dei cap. 13.* virtutum expultrix & meritorum extinctio Matth. 6. v. 2. 5. 16. Matth. 6. v. 2. *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* v. 5. *Et cum oratis, non eritis, sicut*

sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam. v.16. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim faces suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Omnis peccati initium & Deo hominibusq; odiosum. Eccle. 10. v. 7. *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. v.15. Quoniam initium omnis peccati est superbia qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem*, vt exitialem pestem omni contentione fugiant. Oportet enim ex Apostoli sententia Tit. 1. v. 7. *Clericum superbum non esse. S. Hier. l.1. aduersus Pelag. c.8.* vertit, *non proteruum*, alii *contumacem, nõ sui sensus tenacem, non præfractum, non durum, non asperum, &c.* Et 1. Tim. 3. v. 6. Suadet & præcipit Sacerdotio *non initiandum Neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*, hoc est, teste S. Chrysost. hom. 10. in hanc epist. *ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.*

S. Ioannes Climachus gradu 22. Superbus vt dæmonis sequitur peccatum, ita nec eius effugit supplicium. De Neophyto D. 48. tota.

§. Cujus dæmonis ob animi elationem sempiternis suppliciis addicti exemplo & suos ab arrogantia discipulos deterret Saluator Lucæ 10. versic. 17.18.19. 20. *Reuersi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis vers. 18, 19. 20. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Laudat diuinum patrem, quod Christianæ religionis mysteria ab inflatis illis & insolentibus abdiderit Matth. 11. vers. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et se efferenti regni cœlestis intercluſionẽ & ad inferos vsq; dejectionem

comminatur Matth. 11. ver. 23. c. 18. v. 3. *Et tu Capharnaum, numquid vsq; in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes.* Matth. 18. v. 3. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 23. v. 12. *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.*

Superbia malorum iliau.

§. De hoc crimine ita Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 15. in Matth. *Profecto mala maxima, & quæ toti ferè orbi intulere perniciem de superbia mentis exorta sunt: quandoquidem ille, qui talis certè ante non fuerat, per hoc Diabolus effectus est: quod etiam Paulus significando dicebat* 1. Timoth. 3. *ne in superbiam elatus in iudicium incidat & in laqueum Diaboli. Et primus ille homo his à Diabolo spebus inflatus, postquam se arroganter extulerat, cecidit in mortem. Dominum enim se credens futurum, etiam quod habebat, amisit. Hoc enim ei & Dominus exprobrans & stultitiæ eius insultans ait: Ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis. Cæteriq; postea hinc ad impietatis præcipitia deuiarunt.*

Adamus superbia lapsus.

§. Quocirca filium suum hortabatur S. Tobias c. 4. v. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Iterum B. Chrysost. hom. 8. in Ioannem. *Nihil, ait, tam alienum à diuino amore hominem reddit, nihil tam facilè in gehennam intrudit, quam superbiæ insania, sub qua omnis vita nostra immunda est, quamuis pudicitia, virginitate, ieunio, orationibus, eleemosyna, quamuis omni denique virtute præstemus. Immundus, inquit, apud Deum omnis superbus.*

Superbia labes & pernicies virtutum.

§. Dauid Rex nullum cum superbo homine commercium habere voluit Psal. 100. v. 5. 7. *Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam. Non habitabit in medio domus meæ, qui fecit superbiam,* & Christus Dauidis imò & Dei filius in domo sua, in Ecclesia ferat superbum clericum & cum illo cœleste sui corporis & sanguinis inibit conuiuium? Non faciet. *Quia abominatio est Domino omnis arrogans. Prouerb. 16. ver. 5. Quæ conuentio*

Christi

Christi ad Belial 2. Cor. 6. v. 15. *Superbus vero & sibi Dæmon & inimicus est, vt ait B. Ioannes Climachus gradu 22.*

CAP. XXIV.

OMNEM SVPERBIÆ MODVM ac speciē abhorreant Ecclesiastici,

§. HOc scelus scelerumq; omnium semen & caput vitent corde, ore, opere, habitu, his enim quatuor modis committitur superbia, vt docet *S. Bernard. serm. 3. ex paruis sermonibus dum magnifice de se sentit & loquitur homo, dum facto & splendido ornatu, vt magnus & glorioſus habeatur procurat.*

Mentis arrogantia.

§. 1. Aduersus animi tumorem est istud Apostoli Rom. 11. v. 20: *Noli altum sapere, sed time. Et Rom. 12. v. 16. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Philip. 2. v. 3. In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*, monetque Timotheum 2. *ep. 3. sui amantes homines, elatos, superbos, deutet: nam qui communicauerit superbo induet superbiam. Eccl. 13. v. 1. Et Isa. 5. v. 21. væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsis prudentes. Matt. 11. v. 29. Discite à me* inquit Dominus, *quia mitis sum & humilis corde.*

Verborum iactatio.

§. 2. Contra sermonis arrogantiam, quæ jactantia dicitur, & est inanis ac stulta de seipso prædicatio est istud Apostoli monitum 2. Cor. 16. v. 17. 18. *Qui gloriatur in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat Philip. 2. v. 3. Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam. Psalm. 11. v. 3. 4. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa & linguam magniloquam. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt* (id est faciunt) *quis noster Dominus est? Prou. 27. v. 2. Laudet te alienus & non os tuum, extraneus & non labia tua. S. Amb. Comm. in Luc. ad c. 22. & habetur 6. quæst. 1. cap. 10. Imitare Petrum. §. Sciamus neminem iactare*

Impii fiducia in lingua

se debere. *Nam si Petrus lapsus est, quia dixit: Et si alii scandalizati fuerint, ego non scandalizabor* Matth. 26. vers. 33. *Quis alius iure de se præsumat?* Denique & Dauid, quia dixerat Psalm. 29. *Ego dixi in mea abundantia non mouebor in æternum*, eam sibi jactantiam obfuisse profitetur dicens: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Morum factorumque insolentia.

§. 3. Aduersus actionis fastum est illud Apostoli, Rom. 12. v. 10. *Caritate fraternitatis inuicem diligentes. Honore inuicem præuenientes.* Ephes. 5. vers. 21. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Hanc operis superbiam in Scribis & Pharisæis reprehendit Saluator Matth. 6. quod nimirum in apertis & propatulis locis, idcirco precarentur, jejunarent, eleemosynas largirentur, vt viderentur & ab aliis honorarentur. Et Mat. 23. versic. 5. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominib. dilatant enim phylactiria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, rabbi.* Psalm. 110. v. 9. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.*

Vestitus ostentatio.

§. 4. Aduersus vestium cultusque corporis splendorem & superbiam agit Apostolus 1. Timoth. 2. v. 9. *Non in veste pretiosa.* Et Dominus Matth. 11. vers. 8, *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt, vbi*, inquit S. Bernard. loco proximè citando *abundat superbia.* Et Marci 12. v. 38. *Cauete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare*: damnationis & exitii causam cujusdam hominis dat idem Dominus Luc. 16. quod cum *diues esset, indutus fuerit purpura & bysso, epulatus quotidiè splendidè*, nec pauperem Lazarum miseratus.

§. S. Bernardus epistola 42. ad *Henricum Senonensem Archiepiscopum* post initium: *Honorificabitis ministerium vestrum non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus boni.*

Quam

Quam multi aliter ? Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. Quibus si ego rememorem illud Apostolicum: Non in veste pretiosa, vereor ne indignentur, dum nimirum indignum ducunt in se assumptam sententiam, quam prius in viliorem sexum & ordinem, prolatam fuisse recognouerint. Quasi verò non eodem vtantur Medici ferro secandis regibus, quo & popularibus hominibus. Attamen si indignantur pari cum mulierculis non quidem à me sed ab Apostolo feriri sentẽtia, dedignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa. Verum tu, Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo aut Deo? Si mundo, cur Sacerdos? si Deo, cur, qualis populus, talis & Sacerdos.

CAP. XXV.

AMBITIONE CLERICI careant.

§. AMbitionem immoderatum potentiæ, honoris, dignitatis appetitum summoperè detestentur. Nemo ait *Apostolus Hebr. 5. ver. 4. Sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit.* (1. non seipse extulit, non sibi gloriam arrogauit) *vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum Psalm. 2, vers. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit Psalm. 109. v. 4. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Et 1. Tim. 3. v. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus ait* S. *Hieron. epist. 83. ad Oceanum cap. 4. non dignitatem, laborem non delitias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

Quid ambitio.

Christus non nisi diuino vocatu Pontificatum suscepit.

Episcopatus & qualibet Ecclesiastica dignitas, non priuati sed communis boni caussa suscipienda.

§. De qua Apostoli sententia & B. Aug. l. 19. de ciu. Dei c. 19. *Exponere, inquit, voluit quid sit Episcopatus: quia nomen est operis non honoris, inde ductum, quod eis quibus præficitur, superintendat, curam eorum scilicet gerens, vt intelli-*

gat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.

§. *Hoc ipsum & docet S. Gregor. Nazianz. in Apologet.* 1. Hic, ait, *spiritalis omnis præfecturæ finis est, nimirum primata vtilitate neglecta commodis aliorum inseruire. Nunc præposterè ambitorum honorum scopus est; alienam posthabere vtilitatem, propriam accurare. De qua re Ezech.* 34

CAP. XXVI.

RATIONES EVITANDÆ ambitionis.

§. HAnc pestiferam luem & honorum contentionem, vt euadant, ejus pericula & damna perpendant 1. siquidem fidei obex est Ioannis 5. v. 44. *Quo modo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* 2. fidei confessionis ad salutem necessariæ impedimentum est. Ioannis 12. v. 42. 43. *Veruntamen & ex principibus multi crediderant in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur: dilexerunt enim hominum gloriam magis, quam gloriam Dei.* 3. præceps in hæresin prolapsio. S. Augustin. lib. de Pastoribus cap. 8. *Diuersis locis sunt diuersæ Sectæ, sed vna mater superbiæ omnes genuit. S. Gregor. lib.* 20. *Moral. cap.* 11. *Hæreticos in cunctis erroribus suis manus gloriæ appetitus possidet, eosq; honoris ambitus captiuos tenet.* 4. Est & ambitio spei ac fiduciæ debilitatio & abiectio, quid enim ambitiosus speret à Deo superbis resistente 1. Pet. 5. v. 5. Iac. 4. v. 6. nisi supplicium? 5. Est diuinæ humanæq; dilectionis extinctio: siquidem *Caritas non est ambitiosa* 1. Corinth. 13. v. 5, ac deinceps meritorum ac cœlestium præmiorum, quæ à caritate pendent, occasus.

Hæreseos genitrix superbia.

Ambitio malorum mare.

§. Breuiter multa complectitur S. Bern. serm. 6. in Psalm.

Ps. 90. *Qui habitat: Ambitio,* inquit, *subtile malum, secretũ virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutũ ærugo, tinea sanctitatis, excœcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Sanctus Leo distinctione 47. can. 7. *Virum catholicum & præcipuè Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente sacra Scriptura Eccles. 18. v. 30. Post concupiscentias tuas non eas. Mens enim potentiæ auida nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Denique, qui se exaltat humiliabitur Matth. 23. ver. 12. Luc. 14. v. 11. & cap. 18. v. 14. & quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Lucæ. 16. v. 15. Sanctus Chrysostomus homilia 35. in Matth. operis imperfecti, & habetur distinct. 40. c. 13. Multi Sacerdotes. Quicunq; desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Dei computabitur, qui de primatu tractauerit: nec vnusquisq; eorum festinet, quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniam non qui fuerit maior in honore inter homines, ille est iustior: sed qui fuerit iustior, ille maior.*

CAP. XXVII.

AMBITIO CLERICORVM insidiatrix.

§. AMbitio omnibus quidem insidiatur, sed potissimum Ecclesiasticis, quibus proinde illa diligentius cauenda. *Christus,* ait Sanctus Augustinus in Psalm. 1. *noluit terrenum regnum cum superbia Ioannis. 6. v. 15. Quæ ideo cathedra pestilentiæ rectè intelligitur: quia non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus late peruulgatus & omnes aut penè omnes inuoluens.*

Si ferè omnes titillat ambitio, quanto magis Eccleſiaſticos, quibus ex altiori dignitatis gradu ambitionis porrigitur anſa ? Proinde Eugenio ſuo S. Pontifici ſcriplit Sanctus Bernardus libr. 2. de conſid. *Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.*

Alio um vitiorum domitores ab ambitione expugnantur.

§. Et Sanctus Ambroſius libr. 4. in Lucam cap. 4. *Hoc ipſo pernitioſior ambitio, quod blanda quadam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos.* O *ambitio* exclamat Sanctus Bernardus libro 3. de conſ. cap. 1. *ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places ? Nil acerbius cruciat, nil moleſtius inquietat, nil tamen apud miſeros mortales celebrius negotio eius. Annon limina Apoſtolorum, plus iam ambitio, quam deuotio terit ? Quomodo Eccleſiam Catholicam penè totam hoc virus infecit ?*

Ambitio ambitioſorum eculeus.

§. Hoc vitium primum Iudæorum Pontificem Aaronem contaminauit Numer. 12. 1. turpificauit & Leuitas Coroitas & ipſorum gregales, quos & viuos dehiſcens Dei imperio terra dimiſit ad inferos. Num. 16 Alligauit & ſacrilegio Iaſonem Menelaum Lyſimacyum viros ſcleratiſſimos, qui pecunia ſummum Sacerdotium à Syriæ Regibus compararunt 2. Mach. 4. Ariſtobulus & Hyrcanus filii Alexandri Iudæorum Regis de regno & Sacerdotio ſummo contendentes Pompeium magnum ad Solymorum vrbem & templi expugnationem & populi Iudaici ſeruitutem, cum antea liberi fuiſſent, aduocarunt, vt habet Ioſephus libr. 14. Antiquit. Iud. Tempore Saluatoris Annas & Caiphas, vt alternis annis ſummum obirent Sacerdotium à Romanis pecunia impetrarunt.

§. Inuaſit & Apoſtolicum Ordinem, in quo ſæpius nata de principatu altercatio. Matth. 20. verſic. 25. Lucæ

25. Lucæ. 22. verſicul. 25. Quem pernitioſum animi morbum, vt ſanaret Dominus: *Scitis*, inquit Matth. 20. verſic. 25. *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter vos: ſed quicunq; vult inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et Matth. 18. verſ. 1. percunctantibus: *Quis, putas maior eſt in regno cœlorum?* Grauiter reſpondit: *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini, ſicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum.* Arius indignans Alexandrum virum optimum ſibi in Alexandrino Epiſcopatu prælatum, vt ejus doctrinam oppugnaret hæreſiarcha factus eſt. Tripart. lib. 1. Nouatianus Romanus Presbyter ſummum Pontificatum ambiens nec conſequens, ſchiſma primùm, deinde & hæreſin excitauit Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccleſiaſt. Sanctus Cyprianus de jejunio & tentationibus. *Etiam in ſinu Sacerdotum*, inquit, *ambitio dormit.*

§. De ſui temporis Sacerdotum ambitione, impudentia & cupiditate conqueritur Sanctus Gregorius Nazianzenus Apologetico 1. *Aliorum me puduit, qui cum plebeis hominibus nihilo meliores ſint, atque vtinam non etiam multo peiores, illotis, vt dici ſolet, manibus, profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inferunt, ac priuſquam digni ſint, qui ad ſacra propius accedant, ſacrarium ipſum affectant, & circum ſacroſanctam menſam premuntur ac protruduntur, tanquam non virtutis exemplum, ſed vitæ adiumentum atque ſubſidium hunc ordinem eſſe iudicantes ac non munus reddendæ rationi obnoxium, ſed imperium liberum ac reſcrendarum rationum metu ſolutum. Qui etiam eos, quibus præſunt, numero, iam propemodum ſuperant, pietate miſeri, dignitatis ſplendore infelices. Ac proinde peſte hac, progreſſu temporis inualeſcente, iam ne habituri qui-*

Oſ. 4. v. 9. Erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Imo neq; ſicut populus, ſic ſacerdos. Sanctus Bern.

Altum non lotis pedibus conſcendere lectum, id eſt conſiderater, imperitè.

Facq; nefasque iugans, miſcebis ſacra profanis.

quidem mihi videntur, quibus præsint omnibus videlicet proeo atque ipsis expetendum erat, vt, quod Scriptura pollicebatur, à Deo edocerentur, munus Doctorum arripientibus, omnibusq; vaticinantibus, adeo vt Saul quoque inter Prophetas existat, 1. Regum. 10. versicul. 11. vt veteris historiæ prouerbio vtar. Neque enim cuiusquam rei tanta vbertas aut nunc est, aut fuit vnquam, cum alia alias viguerint, ac tandem finem acceperint, quam nunc apud Christianos frequentia sunt huiusmodi probra atq; peccata. Quorum etsi impetum comprimere maius est quam pro virium nostrarum facultate, at execrari tamen pudoreque suffundi, pietatis pars non est minima. Sanctus Ioannes Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio. Sacerdotis, ait, animum honoris illius desiderio vndique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentiorem, sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu adulādum, seu seruile quid atq; indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ sumptu tentanda. Nam & nonnulli cædibus Ecclesias compleuerint contaminarintq; : tūc ius honoris gratia depugnātes, ciuitates aliquot funditùs euerterint, dicere hic prætermitto, ne à quibusdam videar in mediū afferre ea, quæ fide maiora sunt.

Inepti Sacerdotes Ecclesiæ probra.

Aliena peccata detestari & miserari pietatis est

Ambitio sacerdotū nullum refugit scelus, nec quidem hominum occisionem.

§. Idem aureæ eloquentiæ doctrinæ & virtutis Sanctus Ioannes Chrysostomus in Apostolicos Actus homilia 3. Non arbitror, ait, inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant, multo autem plures esse, qui pereant : In causſa est : quoniam res excelsum requirit animum. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem, nimirum vt glorificemur, & honoremur apud homines, & perdimur apud DEVM. Cogita quid acciderit Simoni : quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecunia loco adularis, subornas, multaq; machinaris ? Pecunia tua sit in perditionem, adillum dictum est. Actor. 8. & his dicetur : Ambitio tua tecum sit in perditionem, quoniam putasti ambitu parari donum Dei. Quod vero hic affirmat & verè affirmat

Propter ambitionem plaria q; Sacerdotes pereunt.

affirmat Sanctus Chrysostom. ambitiosos Sacerdotes & Clericos in exitium præcipitare exemplis & veris & formidabilibus stabiliamus.

§. Etsi autem clementissimus *Deus dissimulet peccata hominum propter pœnitentiam* Sapient. 11. versic. 24. sæpissimè tamen hanc Clericorum ambitionem castigauit, & quidem quod dira vexatione Clericum necauerit Diabolus narrat B. Gregorius libro 2. Dialog. capit. 16. *Quidam*, ait, *Aquinensis Ecclesiæ Clericus Dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantino eiusdem Ecclesiæ antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset.*

§. *Sed Sancti Dei Martyres noluerunt ei Sanctitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit dicens: Vade & posthac carnem non comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas, quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri Diaboli iterum mancipaberis.*

Cur non quilibet à quouis Sancto curetur.

§. *Discessit igitur Clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat interim custodiuit. Cum v. post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet supponi in sacris Ordinibus cerneret, verba viri Dei, quasi ex longo tempore oblitus posposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat Diabolus tenuit, eumq; vexare, quousq; animum eius excuteret, non cessauit.*

Obliuionem pœnæ sequitur præcepti obliuio.

§. Terribile & illud, quod idem Diuus Gregor. commemorat lib. 3. Dialog. c. 5. *Sabini*, inquit, *Canusinæ vrbis Episcopi, venerabilis viri, cum ad exemplum vitæ sequentium in longum senium vita traheretur eius archidiaconus ambitione adipiscendi Episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cum vinifusoris animum corrupisset, vt mix-*

Aliud formidabile exemplum. Ambitiosa impatiens in suum ac alienum ruit exitium.

Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames.

mixtum vino, veneni ei poculum præberet refectionis hora, cum iam vir Dei ad edendum discumberet, ei præmiis corruptus puer, quod ab archidiacono eius acceperat, veneni poculum obtulit. Cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu hoc, quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehensum se esse sentiens maluit moriturus bibere, quam pœnas pro illa tanti homicidii culpa tolerare. Cumq; sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo, sed vade dic ei, qui tibi illud dedit: Ego quidē venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo crucis venenum Episcopus bibit securus. Eademque hora in loco alio in quo erat Archidiaconus eius, defunctus est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transissent. Cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit, sed hunc in conspectu æterni iudicis venenum suæ malitiæ occidit. Psalm. 7. versic. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Psalm. 9. versic. 16. *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Prouerb. 11. versic. 8. *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.* Cui rei exemplo sunt Saul & Dauid, Aman & Mardochæus, Daniel & accusatores ejus. Vnde & Aristoteles lib. 3. Rhetoricorum ex *Democrito Chiro hunc citat versiculum: Ipse sibi mala cudit quisq; aliis mala cudens.* Suo improbus sæpè jugulatur gladio & proprio laqueo strangulatur. Nunc & alia prosequamur.

Si venenum biberint, nō eis nocebit Marci 16.

§. *S. Gregorius Turonicus lib. 2. histor. Franc. cap. 23.* de duobus Ambitiosis & D. Sidonio Auernensi Episcopo suo rebellibus Sacerdotibus ista habet: *Surrexere contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes ad summam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis spacio, multam eius iniuriam diuina voluit sustinere clementia: nam vnus ex his nequissimis & indignis Presbyteris, cum ante noctem minatus fuisset eum de Ecclesia*

Subitò veniet ira illius. Ecc. 5. v 9.

ſia velle extrahere, ſignum ad matutinas audiens fuiſſe commotum, feruens felle contra ſanctum Dei ſurrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat Ingreſſus autem in ſeceſſum ſuum, dum ventrem purgare nititur, ſpiritum exhalauit. Dehinc beatus Sacerdos, vno adhuc manente nihilominus inimico, ſuæ reſtituitur poteſtati. Factum eſt autem poſt hæc, vt accedente febre ægrotare cœpiſſet, qui rogat ſuos, vt eum in Eccleſiam ferrent. Quo migrante Presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanſerat, protinus omnem ſacultatem Eccleſiæ, tãquam ſi iam Epiſcopus eſſet, inhians cupiditate, præoccupat, dicens: Tandem reſpexit in me Deus, cognoſcens in me iuſtiorem Sidonio, largitusq́ eſt mihi hanc poteſtatem. Cumq́ per totam vrbem ſuperbus ferretur adueniente die Dominico, qui imminebat poſt tranſitum ſancti viri præparato epulo, iuſſit cunctos ciues in domo Eccleſiæ inuitari: deſpectisq́ ſeniorib. recũbit primus in toro. Cui oblato pincerna poculo ait: Domine mi, vidi ſomnium, quod ſi permittis, edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus poſitus, in quo quaſi iudex reſidebat, cunctis poteſtate præſtantior: cui adſiſtebant Sacerdotum multi in albis veſtibus, ſed & promiſcuè populorum turbæ valdè innumerabiles. Verum cum hæc trepidus contemplarer, conſpicio eminus inter eos beatum adſtare Sidonium, & cum Presbytero illo tibi chariſſimo, quiante hos paucos annos de hoc mundo migrauit, adtente litigantem: quo deuicto, iubet Rex, vt in imis carceris angũſtiis retrudatur: ablatoq́ iſto, contra te iterum ſuggerit, dicens: Te in eo ſcelere propter quod ille prior damnatus fuerat, fuiſſe participem. Verum vbi iudex, quem ad te transmitteret, ſollicite cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo ſtatui, tractans apud memetipſum, ne forte ego qui notus ſum homini, mittar. Dum hæc mecum tacitus voluerem, amotis omnibus remanſi ſolus in publico: vocatusq́ à iudice, propius accedo. Cuius virtutem atq́ ſplendorem contuens, cœpi hebes effectus, titubare præ metu. Et ille, ne timeas puer, inquit: ſed vade dic Presbytero illi: Veni ad reſpondendam cauſam, quia Sido-

Fœda mors ambitionis & inuidiæ ſtipendium.

Ante victoriam triumphus.

Theſaurizat & neſcit cui congreget.

Speciale eiuſq́ hominũ iudicii.

Citatio ad Chriſtum iudicem.

Sidonius te accerſiri deprecatus eſt. Tu vero ne moram facias ad eundũ, quia ſub teſtificatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens, Si tacueris, morte peßima morieris. Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapſo de manu calice, reddidit ſpiritum. *Ac de recubitu ablatus, mortuus ſepulturæ mandatus eſt, poſſeſſurus infernum cum ſatellite ſuo. Tale iudicium ſuper contumaces Clericos dominus in hunc pertulit mundum, vt vnus Arrii ſortiretur mortem, alius tanquam Simon Magus Apoſtoli ſancti oratione ab excelſa arce ſuperbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter poßidere tartarum, qui ſimul ẽgerunt nequiter contra ſanctum Epiſcopum ſuum.* Et vtique magis contra DEVM ſuperbiæ & ambitionis hoſtem & vindicem deliquerunt. Et verò tanto ineptiores quanto ambitioſi magis, & tanto minus illud tàm grande malum emendatur: quia hircus hirci non ſentit fœtorem. Qua de re Sanctos audiamus Patres. Beatus Gregorius Magnus 1. part. Paſtor. capitul. 1. *Sunt nonnulli*, ait, *qui intra ſanctam Eccleſiam per ſpeciem regiminis gloriam affectant honoris, &c. qui ſuſceptum cura paſtoralis officium miniſtrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magiſterium ex ſola elatione perueniunt. Contra quos Dominus per Prophetam queritur dicens,* Hoſeæ 8. verſ. 4. *Ipſi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoraui.* Et homilia 17. in Euangel. *Terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et eo ipſo quo cæteris prælati ſumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus: ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum.* Et l. 4. epiſt. 38. *Sacerdotes ceruici militant elationis, qui ad hoc poſiti fuerant, vt Ducatum præberent humilitatis.* Sanctus Bernardus libro 1. de confid. ad Eug. cap. 10. *Plena eſt*, inquit, *ambitioſis Eccleſia, non eſt tam quod exhorreat in ſtudiis & molitionibus ambitionis, non plus quam ſpelunca latronum in ſpoliis viatorum. Cur autem vel pudor vel metus eos non deterreat, ibidem eius rei cauſſam* Sanctus Bernardus expo-

Extrema gaudii luctus occupat

Abundat, pro dolor, ambitioſis Eccleſia.

nit. *Vitiosus*, inquit, *vitiosorum conscientias non refugit : & vbi omnes sordent, vnius fœtor minimè non sentitur. Quis enim vnquam verbi caussa auarus auarum, immundum immundus luxuriosus, luxuriosum erubuit.* *Furem fur cognescit, & lupus lupum*

§. Sapientissimè *S. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei c. 17. Quod si*, ait, *peruersitas seculi admitteret, vt honoratiores essent quiq; meliores : nec si pro magno haberi debuit honor humanus : quia nullius est ponderis fumus.* Et hic fumus ita ambitiosorum oculos excæcat, vt non videant sibi peruigilandum & rationem reddendam pro subditorum animabus. Hebr. 13. versicul. 17. *& quod vnius animæ neglectio totam ipsorum subuertat salutem. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo tantaq; pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit pœnã? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille? ait S. Chrysosto. homil. 3. in Actus Apostolicos. Et iudicium durissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur Sap. 6. v. 6. 7. Noli*, ait *S. Basilius serm. de abdicatione rerum, eo properare, vt fratribus præsis; ne alienorum peccatorum onere ceruices aggraues tuas.* *Honor humanus vanescens fumus.*

CAP. XXIX.

AVARITIA CLERICO DEtestanda.

§. AVaritiam peruersam habendi voluntatem siue immoderatum res vtiles puta pecunias vel alia bona, quæ pecunia æstimantur possidendi amorem tanquam funestam pestem execrentur & fugiant Clerici, hoc enim injungit Apostolus 1. Timoth. 3. vers. 3. *Oportet eum esse non cupidum* : siue alienus ab argenti cupiditate esse debet, & versicul. 8. *non turpe lucrum sectantes, quod fit*, ait ibi Ambrosius, *quando sub pia* *Quid auaritia,*

pia professione quæstui studetur. Et cum Clericus mercaturæ vacat sibi à Canonibus prohibitæ. Vel cum sordida obit officia lucri gratia. Aut cum vinum & frumentum recondit ad annonæ caritatem. De quibus 14. q. 4. can. 8. Si quis & 10. seqq. & q. 5. per plures can. Tit. 1. v. 7. *Oportet esse non turpis lucri cupidum.*

Maluit Apostolus labore victum quærere, quam in vllam auaritiæ suspitionem venire.

§. Exemplo fuit Apostolus cum ait Actor. 20. v. 33. 34. 35. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui. Ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et 1. Thessal. 2. v. 5. *Neq; enim aliquando fuimus nõ sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis neque ab aliis.*

Thesaurus recondendus in cœlo non in terra.

§. Et Dominus noster Matth. 6. ver. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.* Et Lucæ. 12. vers. 15. *Videtẽ & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet.* A quacunque prorsus auaritia magna, parua, occulta aperta & quouis eius genere temperandum monet Dominus: quia hominis vita in opum abundantia non consistit, neque enim eo quo quisque ditior est, eo diutius viuit S. Augustinus sermon. 28. de diuersis hanc Domini explaanans sententiam. *Non solum auarus est, ait qui rapit aliena, sed & ille auarus est, qui cupide seruat sua. Sed si sic culpatur, qui cupidè seruat sua: quomodo damnatur, qui rapit aliena?*

Quis auarus

CAP.

CAP. XXIX.

AVARITIA ECCLESIASTICORUM insectatrix.

§. HÆc auaritia quanto callidior & insidiatrix, & crudelior Ecclesiastici Ordinis vastatrix, tanto est etiam prudentius ab eo deuitanda. Sanè Beatus Gregorius libro 23. Moral. cap. 26. conqueritur quosdam non religionis, sed cupiditatis ergo sacros Ordines suscipere. *In Euangelio* DOMINVS, ait, *turbis se sequentibus dicit* Ioannis 6. versicul. 26. *Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, per eorum personam illos intra sanctam Ecclesiam detestans, qui per sacros Ordines ad* DOMINVM *propinquantes, non in iisdem Ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant quid viuendo imitari debeant, sed quæ stipendia percipiendo satientur.* *Nõ ob numinis cultum, sed stipendiũ sacris initiãtur.*

§. Verùm hæc altiùs repetenda sunt: siquidem Prophetarum flos, siue potius per eum Deus conqueritur Isaiæ. 56. versiculo 10. 11. *Speculatores eius cæci omnes, & canes impudentissimi, nescierunt saturitatem: ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum.* Et rursum Ieremiæ 6. versic. 13. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ studet, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Quod denuo inculcat cap. 8. versiculo 10. Et Micheæ. 3. versiculo 11. *Principes in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Id est, propter munera, mercedem, & pecu-

pecuniam. Philipp. 2. v. 21. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.*

Auaritia Giezi lepra inficit.

§. Ioannes Cassianus l. 7. Institut. Monast. capit. 14. *Giezi*, inquit, *quæ ne antea quidem possederat, volens acquirere* 4. Regum. 5. *non modo gratiam Prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hereditariam à suo habuit magistro suscipere : verum etiam è contrario æterna lepra Sancti Eliſæi maledictione perfunditur.*

Auaritia Iudam ad proditionem & exitium impulit.

Iudas autem volens resumere pecunias, quas antea CHRISTVM *secutus, abiecerat, non solum ad proditionem* DOMINI *lapsus, Apostolatus perdidit gradum, sed vitam etiam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque biothanati* (immatura & violenta) *morte concluſit* Matth. 26. Actor. 2. *Ananias verò & Sapphira reseruantes partem quandam ex his, quæ possederunt Apostolico ore morte mulctantur.* Actor. 5.

Ananiæ & Sapphiræ mortem obtulit auaritia.

Clericatus non est mercatura.

§. Sanctus Hieronymus epistola 2. ad Nepot. capit. 5. *Obsecro itaque te*, ait, *& repetens iterumque iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in* CHRISTI *quæras militia, ne plus habeas, quam quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi : Cleri eorum non proderunt eis.* Ieremiæ 11. secundum LXX.

Turpe bonis Ecclesiasticis ditescere.

§. *Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quam fuerant sæculares ; & Clerici, qui possideant opes sub* CHRISTO *paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant ; vt suspiret* ECCLESIA *eos diuites, quos mundus antea tenuit mendicos.* Iterum epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum Sanctus Hieronymus, vt habetur distinct. 93. cap. 23. Diaconi. *Nam autem ex quo in Ecclesiis, sicut in Romano Imperio, creuit auaritia, periit lex de Sacerdote, & visio de Propheta Ezechiel. 7. versic. 26.*

Dissidia clericorum ex auaritia pullulant.

§. *Hinc propter auaritiam Sacerdotum sæpè odia consurgunt, hinc Episcopi accusantur à Clericis :* hinc

Pro-

Principum lites, hinc detractionis causſa; hinc origo fit criminis.

§. Sanctus Gregorius homil. 17. in Euangel. *Plærunque*, ait, *Sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plærumque si quos humiliter, si quos continenter viuere cõſpiciunt, irrident. Considerate ergo quid de gregibus agatur, quando paſtores lupi fiunt. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Dei cauſſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus. Locum Sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Sanctus Gregorius libro 2. epiſtola 25. ad Ioannem Epiſcopum Squilatinum in fine. Admonemus fraternitatem tuam, vt in commiſſis ſibi animabus ſolerter inuigilet, & animarum magis lucris, quam commodis vitæ præſentis intendat. Sanctus Ioannes Euangeliſta in epiſtola ſua 3. quendam Diotrephen excommunicauit, quod pauperes non reciperet & recipientes ab Eccleſia ejiceret, vt & obſeruauit Grat. d. 42. cap. 2. §. Hinc etiam. Sanctus Gregorius libro 12. epiſtola 6. & habetur diſt. 82. cum vnico. Archidiaconum Florentinum ob tenacitatem Epiſcopatu indignum judicauit.

Auaritia Clericos ad rapinam incitat & obtrectationẽ.

CAP. XXX.

SIMONIA CVIVS MATER AVARITIA eſt, teſte S. Bern. epiſtola 42. Clericis execranda.

§. ALieno vt periculo ſibi caueant, tanquam è lectore ſpectent, quot clerici vaſta illa auaritiæ voragine abſorbeantur, & miſerrimè pereant. 1. *qui Simoniaca* labe contaminati ſunt. *Eſt a. Sim. ſtudioſa volũtas* emen-

Quid Simonia.

emendi vel vendendi pretio temporali aliquid ſpiritale vel ſpiritali annexum, vt eſt in Gloſſa cap. 1. *Qui ſtuder* 1. quæſtione 1. Simoniaci à Simone Mago nomen inuenerunt, qui vt ait Sanctus Auguſt. tractatu 16. in Ioannem, *volebat emere SPIRITVM SANCTVM, quia vendere volebat Spiritum ſanctum*, vt conſtat Actor. 8. Tales & appellari poſſint Balaamitæ & Gezitæ: quia Balaam & ſuam Prophetiam Numer. 22. verſ. 23. & Gezi miniſter Eliſæi ſanitatem diuinitus conceſſam, 4. Reg. 5. vendiderunt.

Simonia hæreſis vocatur & ſacrilegium.

§. Hoc ſcelus ſæpiuſculè hæreſin nominat Sanctus Gregorius, vt homilia 17. in Euangeli. *Sacri*, ait *Canones Simoniacam hæreſin damnant.* Et libr. 4. epiſtol. 51. *Primum Simoniaca hæreſis eſt contra Eccleſiam exorta.* Et libr. 7. epiſtola 110. & habetur 1. quæſt. 1. cap. 13. Cum liqueat, & aliis locis: quia eſt externa prauæ opinionis contra Eccleſiam profeſſio.

§. Vocat & idem Sanctus Gregorius Sacrilegium 1. quæſtione 3. cap. 1. Audiuimus. *A Sacrilegio hoc facinus non diſpar dixerim, cum id quod gratis fieri debuit, ſub pecuniæ pactione cauſatur. Vbi* & Gloſſa. *Dicitur hic quod ſacrilegium & Simoniam committunt, qui Eccleſias vel Eccleſiaſtica beneficia per pecuniam acquirunt, vel concedunt.* Et rectè quia Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ, ſiue injuria & irreuerentia, quæ DEO fit indigna rei ſacræ tractatione; qui autem vendit emitue rem ſacram, indignè eam tractat & violat ejus ſanctitatem, contra Dei, qui eſt illius Dominus, voluntatem. His mandat Chriſtus Dominus: *Gratis accepiſtis, gratis date* Matth. 10. verſic. 8. Cujus præcepto ſi morem quis non geſſerit, audit à Chriſti Vicario. Actor. 8. verſic. 20. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.*

§. Simo-

Simoniacus non poteſt pronunciare Spiritum S.

§. Simonia aduerſus Spiritum ſanctum delinquitur. Bonizo in Epiſtola ad Machidem Comitiſſam & Cardinal. Baronius 11. Annali commemorant, quod Hildebrandus poſtea Gregorius Septimus vir prudentiæ & pietatis fama celebris Lugduni auctoritate Victoris Pontificis Epiſcoporum conuentum indixit, in quo quidam Archiepiſcopum Simoniaca peſte infamem, reũ peregerunt, quos ille auro corruptos poſtera die compellauit. Vbi ſunt, qui me heri accuſatum venerunt, prodeant in medium. Illis obticentibus *Hildebrandus afflatu Numinis Age*, inquit, *dic Archiepiſcope credis Spiritum ſanctum cum Patre, & Filio vnam eſſe ſubſtantiam Deitatis?* Illo promptè affirmante. *Dic* ergo, inquit Hildebrandus: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Hic ergo Archiepiſcopus cum Patrem & Filium exertè ac expeditè pronuntiaſſet, hæſit in Spiritu ſancto, quem ſæpius conatus, nulla ratione potuit exprimere culpam faſſus & à Concilio exauctoratus nullo negotio Spiritus ſancti nomen edidit. Quare cæteri ſibi de eodem crimine conſcii attoniti vltro ſe abdicarunt, factumque, vt Epiſcopi 45. honore exuti in ordinem redigerentur, præſules & Præpoſiti 26. loco mouerentur.

§. De Simoniacè prætio ordinatis Sanctus Gregorius libro 7. epiſtola 114. & habetur diſtinct. 61. cap. 2. Sacerdotale ex eodem Sancto Grogorio lib. 7. epiſtola 113. Videat Lector 1. q. 1. Canones a. 1. Gratia, ad 30. Si Iuſtus.

CAPVT XIX.
MERCATVRA ET NEGOTIATIO Clericis vetita.

§. HAbet siquidem eà non modo auaritiæ speciem, sed & injustitiæ periculum. Hinc Ecclesiasticus cap. 26. versicul. 28. *Duæ species* (officiorum) *difficiles & periculosæ mihi apparuerunt : Difficile exuitur negotians à negligentia* (id est, delicto vel culpa) *& non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.* Alii ex Græco vertunt : Vix eximitur mercator à delicto, neque justus est à peccato caupo. Et capit. 27. versicul. 1. 2. *Propter inopiam* (vitandam) *multi deliquerunt, & qui quærit locupletari auertit oculum suum* (à Deo, à Dei mandatis, à justitia) *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum*, id est : Quemadmodum in medio lapidum sibi conjunctorum palus sic figitur, vt eximi nequeat & extrahi, dum ab omni parte lapidibus sibi fixè adhærentibus premitur, ita & inter emptionem & venditionem peccatum sic coarctatur & premitur, vt ægrè fieri possit, quin intra illa concludatur, quia vt Mimus dixit apud Sanctum Augustinum libro 13. de Trinit. capit. 3. *Omnes volunt vili emere, & carè vendere.* Hinc & Aristoteles libro 7. Politicorum cap. 4. *Mercatores & artifices non debent esse ciues : vilis enim est huiusce modi vita, & virtuti aduersa.*

Negotiatio arrè vitat peccatum.

§. Itaque Nundinatores sunt, qui vina, frumenta, vel res alias mercantur, vt integras non mutatas majori vendant pretio, vt loquitur Sanctus Chrysostomus operis imperfecti homilia 38. in Matth. & vt docet Gelas. I. epistola sua ad Episcopos per Lucaniam & habetur distinctione 88. cap. 2. *Consequens. Meminisse debent Clerici*, quod Dominus tales negotiatores ex templo verberatos expulerit, & quod Apostolus

Sordida mercatura.

lus moneat 2. Tim. 2. v. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, quod Psalmista dicat* Psalm. 70. ver. 16. *quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini, quod tales à clericalibus officiis, vt abstineant, cogendi. quoniam domus Dei domus orationis & esse & dici debet, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca,* Ioannis 2. v. 15. 16. Luc. 19. v. 46. S. Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum. c. 5. & habetur distinct. 88. c. 8. *Negotiatorem, inquit, Clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Terraconense Concil. cap. 2. & habetur 14. q. 4. c. 3. *Canonum statutis firmatum est, vt quicunq; in clero esse voluerit, emendi vilius & vendendi carius studio non vtatur, quod si exercere voluerit, cohibeatur à Clero.*

CAP. XXXI.

VSVRA AVARITIÆ SOBOLES cum aliis omnibus tum maximè interdicta est Clericis.

§. VSurarii sunt, qui mutuantur, vt supra sortem aliquid indebitum & pecunia æstimabile acquirant. Concilium Agathense, vt habetur 14. quæst. 3. cap. 4. *Vsura est vbi amplius requiritur, quam quod datur: verbi gratia, si solidos decem dederis, & amplius quæsieris: vel si dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris,* qua eadem 14. qu. 3. tribus aliis Canonibus SS. Aug. ust. Hier. Ambr. hæc vsuræ definitio comprobatur. *Quid vsura.*

§. Contra hos vsurarios clarissimis Scripturæ testimoniis decertat *hom. 2. in* Ps. 14. S. Basil. *Propheta, inquit, perfectum planè hominem, eum, qui ad vitam illam ascensurus sit, nulla vnquam exagitandum intemperie describens* Ps. 14. *inter eius præclarè ac fortiter facta, illud quoq; annumerauit, vt argentū sine fœnore daret. Quod vtiq; vitiū in plurimis Script. locis vituperari vid. tur. Nam Ezechiel in maximis ponit malis* *Vsura à cœlo prohibet.* *Vsura ingens peccatum & plurimis scriptura sententijs inhibitum.*

fœnus, vt plus quam sortem accipere cap. 18. vers. 17. *Et lex illud luculenter prohibet dicens: Non fœnerabis fratri tuo, & proximo tuo.* Et rursus ait: *Fœnus super fœnus, & dolus super dolum. Et de ciuitate in multitudine malorum deprehensa quid ait Psalmus quinquagesimus quartus versic.* 12. *Et non defecit de plateis eius vsura & dolus. Enimuero inhumanitas est maxima, si is qui egestate premitur, mutuum ad vitæ subsidium quærat, dans vero minimè sorte contentus & miseri calamitate prouentus & opes sibi excogitet. Dominus enim nobis palàm præcepit: Ne vnum auertas ab eo, qui abs te mutuum petit.* Deuteronom. 15. versic. 8. *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, & dabis mutuũ, quo eum indigere perspexeris.* Deuteronom. 23. versiculo 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, non fruges, nec quamlibet aliam rem.* Matthæi 5. versiculo 42. *Qui petit à te, da ei: volenti mutuari à te, ne auertaris.* Lucæ 6. versiculo 35. *Benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* Breuiter sed more suo grauiter Sanctus Leo Magnus sermone 6. de ieiunio 10 mensis: *Fugienda prorsus est*, ait: *iniquitas fœnoris, & lucrum quod caret omni humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas iniustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecuniæ funus est animæ.*

Fœneratio animi occisio.

§. Vsurarum exactores, Canonici diuini & naturalis sunt iuris violatores, egenorum sanguisugæ & Reipublicæ pestes. Et huius tàm immanis sceleris subinde affines sunt Clerici, de quibus queritur Sanctus Cyprianus tractatu de lapsis. *Singuli*, ait, *insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcul-*

cularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta per alienas pro-uincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mererentur.

§. Fœneratores Clerici & turpia lucra sectantes excommunicandi &c. Clero ejiciendi sunt, quemadmodum multis Canonibus decretum est 14. quæstion. 4. per totum. & quæstion. 5. ibidem quod ex fœnore nec eleemosyna nec oblatio sit facienda.

§. Ne tamen auido Clerico maxima desit mutuationis & compendii occasio, est Sapientiss. Salom. imò ipsius Dei consilium. Prouerbiorum 19. versicul. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*, id est. ipsi Domino mutuum dat, q ex misericordia largitur egeno, & quia hoc beneficium sibi asscribit Deus, mercedem illi & in hac & futura vita. Quam sententiam præclarè explanat Sanctus Basilius conc. 2. in Psalmo 14. *Quod*, inquit, *Domini consilium est? Mutuo date iis, à quibus minimè accipere speratis.* Lucæ. 6. versic. 35. *Et quale*, inquis, *hoc mutuum, cui non reddendi spes coniuncta est? Intellige dicti efficacem vim, & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi daturus es in Domini gratiam, idem ipsum & donum & fœnus est. Donum quidem quod à paupere non speres te recepturum; mutuum verò siue fœnus ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperem cum acceperit, maxima pro ipsis retribuet. Qui enim pauperis miseretur, Deo fœnerat. Non vis vniuersorum Dominum tibi ad exolutionem auctoratum habere?* Ita S. Basil.

CAP. XXXII.

BENEFICIORVM VT ITA DICATVR, sine graui cauſſa, pluralitas auaritiæ nota.

§. EOdem auaritiæ barathro merguntur, qui ſine ſui ſtatus honeſtè tranſigendi vel Eccleſiæ neceſſitate ſe Beneficiorum multitudine onerant, quod prohibet Concilium Tridentin. ſeſſ. 24. capit. 16. de Reformatione: vbi ita habet: *Cum Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi, verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum, decipientes, ea, quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcunque perſonis, quocunque titulo, etiam ſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari, ſtatuit, vt in poſterùm vnum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat; liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumq; perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.*

Plurium beneficiorum poſſeßio Eccleſiaſtici ordinis perturbatio.

Diſpenſatio ſine vrgente cauſſa diſſipatio eſt, & facilis deſcenſus Auerni

§. Et Sanctus Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eug. c. 4. *Quid*, inquis? *Prohibes diſpenſare? Non, ſed diſſipare. Non ſum tam rudis, vt ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Vbi vtilitas prouo-*

cat

cat, diſpenſatio laudabilis eſt. Vtilitas dico communis non propria. Nam cum nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.

§. Qui idem Bernardus perſanctus & perdoctus Abbas epiſtola 271. ad Comitem Theobaldum, *vt offendam Deum, fortaſſis nec vobis expedit, offendo autem procul dubio, ſi facio, quod requiritis. Nam honores & dignitates Eccleſiaſticas non ignoro deberi his, qui eas dignè ac ſecundùm Deum adminiſtrare & velint & poſſint Porro eas acquiri paruulo filio veſtro precibus meis vel veſtris, nec vobis iuſtum, nec mihi tutum eſſe noueritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatoriè quidem ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem vel perſonarum vtilitatem.*

Paruulis nō conferenda Eccleſiaſtica beneficia

Vſq; ad aras amictus.

§. *Sane Vuillelmulo noſtro cupio bene per omnia, ſed ante omnia Deum. Hinc eſt, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod ſi alius ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum. Vbi vero emerſerit, quod ſecundum Deum habere poſſit, probabo me amicum, & operam meam, ſi opus fuerit, non negabo. Neq; iuuat S. Pontificis diſpenſatio, niſi adſit & legitima diſpenſandi cauſſa; neque enim S. Pontifex Beneficiorum Dominus eſt, ſed diſpenſator tantùm, cui incumbit, vt non pro arbitratu ſuo, ſed ex eorum voluntate rationi conſentanea, qui ea diſpertienda reliquerunt, & in quorum vtilitatem relicta ſunt* quæ hoc in propoſito & negotio eſt Eccleſia vniuerſalis, diſpenſet.

§. Atque hæc ſententia tutiſſima eſt, ſed & illa tolerabilis putatur opinantium propter ſummi Pontificis & Epiſcoporum diſpenſationem, vel conniuentiam & permiſſionem, propter conſuetudinem multo tempore corroboratam, propter munificentiam iſtas opes ſacras in pios Eccleſiæ ipſius, vel pauperum

vſus

vsus conferentium propter periculum ne in hæreticorum perditorumq; poteſtatem veniant, & alias legitimas cauſſas extra grauem neceſſitatem plura poſſidere beneficia, non prorſus illicitum eſſe præſertim in Germania, cui aliquid indulgendum. Atque hanc opinationem libenter ſani & integri viribus amplectentur, qui moribundi ſe aliam ſententiã ſecutos fuiſſe peroptabunt. Siquidem Thom. Catipr. l. 1. Apum. cap. 19. pag. 6. 7. 10. non paucos plura beneficia poſſidentes infeliciſſima morte extinctos & ſe idcirco damnatos eſſe commemorantes allegat.

CAP. XXXIII.

AVARITIÆ INDICIA DIVITIArum coaceruatio in cognatorum & amicorum non egentium locupletationem.

§. SAlutem in auaritiæ diſcrimen & exitium adducunt & illi, qui ex beneficiis Eccleſiaſticis theſauros colligunt, quibus cognatos ſuos non indigentes locupletent. Contra Tridentinæ Synodi præceptum ſeſs. 25. capit. 1. de Reformatione. *Omnino ait eis* (Epiſcopis) *interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiaresue ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: Sed ſi pauperes ſint, iis vt pauperibus diſtribuant, eis autem non diſtrahant, nec diſſipent, illorum cauſſa, imo quam maximè poteſt eos Sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium exſtat, penitus deponant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt; eadem*

dem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tàm sæcularia quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decreuit.

§. Ad Clementem Quartum duæ filiæ ex legitimo matrimonio ante Pontificatum susceptæ venere postulantes, vt iis dotem augeret quo splendidius nubere possint. Quibus respondit: Pontificibus Romanis filios non esse: neque eis licere, quod suum non esset, propinquis dare. Et propterea contentas debere esse: si fortunas, quas ante Pontificatum habuisset, omnes eis reliquisset, neque vllis vel ipsarum vel aliorum cognatorum precibus adduci potuit, vt rem vllam ex Pontificatus bonis aut redditibus daret. Quin & nepotem ex tribus Canonicatibus, quos habebat, duos dimittere coëgit. Fulgent. lib. 4. c. 3. Egnat. l. 4. c. 3.

§. Hoc accuratè seruauit Sanctus Augustinus de quo in ejus vita cap. 31. Possidius. Idem Concilium Tridentin. sanciuit sess. 22. capit. 3. de Reformatione. *Vt qui in Ecclesiis competens ibi seruitium, quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoque modo dominium acquirant, sed fabricæ & Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur.* Quod & habetur capit. vnico de Clerico non residente in 6.

Nisi ex capitali commissione Ecclesiæ tractet negotia, aut morbo impediatur.

CAP.

CAP. XXXIV.

RATIONES AB AVARITIÆ idololatria auocantes.

S. Greg 3. P. P. c. 21.

§. AVaritiæ scelus, vt effugiant ejus fœditatem & malitiam ab Apostolo potissimum discant. Et quidem 1. Timoth. 6. versic. 5. vsque ad 11. cum dixisset. 1. *Quosdam esse homines mente corruptos existimantes quæstum esse pietatem.* Subjungit: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* 3. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possimus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, hic contenti simus.* 4. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 5. *Radix enim omnium malorum est cupiditas:* 6. *Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem O homo Dei hæc fuge. Sermo cum Clericis maximè est Apostolo, & iis qui putant sibi ad augendas opes suas & multiplicanda oblectamenta terrena religionem suffragari debere Christianam*, vt loquitur S. August. epist. 89. ad Hilarium. *Vnde* & S. Ambr. Comm. in hunc Apostoli locum: *Nihil*, inquit, *tam asperum, tam pernitiosum est, quam si Ecclesiasticus, maxime qui in sublimi loco est, diuitiis huius sæculi studeat: quia non solum sibi ipsi, sed & cæteris obest, contrariam enim formam dat hominibus, necesse est enim multos imitatores eius existere ad perditionem. Quanto enim honorificentior ordine est, tanto magis suadet imitandum se, maxime in hac re,*

Religionis prætextu diuitias venatur auaritia.

quæ in ista vita procliuis est.

§. Itaque vt ab auaritia nos absterreat Apostolus 1. execratur & damnat eos, qui religione & Dei cultu ad terrena commoda acquirenda abutuntur, quasi illud sit sanctius, non quod Deo gratius, sed quod quæstuosius

ſtuoſius, quales illi Tit. 1. v. 11. *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.*

§. 2. Oſtendit quod pietas quæ ſua ſorte & paucis contenta eſt, & cui neceſſaria non deeſt ſuſtentatio, ſit res maximè fructuoſa & lucroſa, vt qua æterna comparetur felicitas. *Didicit pius, in quibus eſt, ſufficiens eſſe, ſcit & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati, omnia poteſt in eo qui eum confortat*, nec in neceſſariis deſtituitur, ad Philip. 4. v. 11. 12. & 1. Tim. 4. v. 8.

§. 3. Declarat fruſtra homines in aceruandis opibus ſudare, cum vt *nudi ex vtero matris prodierint, ita nudi andum opi- in terram reuertantur* Iob. 1. v. 21. Eccleſ. 5. v. 14. Alienæ ſunt ab ipſis diuitiæ, & ex his tantum neceſſarius cibus & potus, veſtis & domus mutuanda, & nihil ad luxum, faſtum, delitias, oſtentationem quærendum. Eccl. 14. v. 3. *Viro cupido & tenaci ſine cauſſa eſt ſubſtãtia & homini liuido* (qui nec ſibi nec aliis bona faciet) *ad quid aurum?* verſ. 4. vſq; ad 22. *Non inhibus ſudare, quib. à morte opus non eſt.*

§. 4. Proponit pericula, quæ auari diteſcere cupientes ſubeunt, impingunt enim in peccatorum irita- menta & lapſus, in Diaboli retia, in cupiditates varias, ſtultas & noxias, quæ eos in interitum & perditionem & huius temporis & futuri adeò mergunt, vt emergere & reſipiſcere nequeant, vt hic hom. 17. habet Sanctus Chryſoſt. S. Auguſtin. verò hæc Apoſtoli verba ediſſerens lib. 50. hom. hom. 13. c. 11. *Pecunia delectat, iſta non times? Incidunt homines in tentationes, non times? In deſideria multa incidunt ſtulta & noxia, non times? Deſideria quo ducũt: Mergunt homines in interitum & perditionem. Et adhuc ſurdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & ſtertis?* *Auaritiæ malorum lerna.*

§. 5. Docet quod φιλαργυρία, hoc eſt, argenti ſiue pecuniæ amor, id eſt, auaritia ſit omnium malorum radix, id eſt, origo & cauſſa ſiue agens, ſiue adiuuans & diſponens, ſiue finis, ſiue materia, maximè

maximè tamen id dicitur, quia facultatem præbet ad omnia flagitia ratione executionis, ſicut ſuperbia dicitur omnis peccati initium. *Eccleſ.*10.*v.*15. ratione intentionis. Nam vt eſt Eccleſiaſt.10.v.19. *Pecuniæ obediunt omnia.* Et hoc loco *S. Ambr. Auaritia, quia omnia mala poteſt admittere, ideo radix omnium malorum eſt*, vt docet & S. Thom.1.2.q.84.art.1.cap.Sed & ex illa pecuniæ auiditate & copia naſcitur illa omnium ſcelerũ procreatrix ſuperbia, vt tradit S. Auguſt.ſerm.5.de verb.Dom. capit.9. *Nihil eſt*, inquit, *quod ſic generent diuitiæ, quomodo ſuperbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem ſuum. Vermis diuitiarum ſuperbia.* Et lib.50.Hom.homil.13.cap.11. *Difficile eſt, vt non ſit ſuperbus, qui diues eſt.*

Auaritia ſuperbiæ genitrix.

§ 6. Affirmat Apoſtolus, quod auaritia ſit deſerendæ Chriſtianæ religionis cauſa. Vnde & Saluator noſter Matth.13.v.22. ait, quod *ſollicitudo ſæculi iſtius & fallacia diuitiarum ſuffocent verbum Dei*, vt ſine fructu efficiatur. Auaritia ſiquidem dum multis hominem peccatis inuoluit, & ſola præſentia quærit, facit eum iudicare friuola, quæ ſunt religionis & futuri ſæculi. Pugnat omnino diuina lex cum deſideriis auari, & idcirco dum alterutro illi carendum eſt, fidei potiùs quam pecuniæ mauult iacturam facere. Nec deſunt qui Simoniam, vſuram, bonorum Eccleſiaſticorum abligurition em contra fidem grauia non eſſe peccata iudicant, aut minimum ſe habent atque ita iudicarent.

§ 7. Aſſeuerat S. Paulus, quod illi auari multos ſibi accerſant dolores variarum anxietatum, miſeriarum, peccatorum.

Tam deteſtãda auaritia, ut nec nominanda.

Conſuetudo auari vitanda.

§ 8. His addamus & illa Apoſtoli dogmata, 1. Epheſ.5.v.3. *Fornicatio, & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.* 2. 1 *Cor.*5.*v.*11. *Scripſi vobis non commiſceri, ſi is qui fornicator nominatur, eſt fornicator, aut auarus, &c. cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* 5. 1. *Cor.*6.

1.Cor.6.v.10. *Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Ephes.5 v.5. Auarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* 4. *Auarus est idolorum seruus, auaritia est simulachrorum seruitus. Ephes.5.v.5. Coloss.3.v.5.* Causam huius rei exponit S. August. l.11. de Ciuit. Dei c.25. *Peruersi, ait, frui volunt nummo, vti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. S. Chrysostom. homil.18. in epistolam Ephes. Quomodo, ait, & qua ratione auarus est simulachrorum cultor? Defitit à Deo auarus, quemadmodum simulachrorum cultor. Et ne putes istud temerè dici, est sententia Christi, quæ dicit Mat. 6.v.34. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Qui Mammonæ seruiunt, seipsos extra Dei seruitutem eiecerunt. Qui vero dominium ipsius abnegant, & inanimato seruiunt auro, clarum est eiusmodi idolorum esse cultores.*

Auaritia testi prius beatitudine.

Auarus idololatra, Ecclesiast. aut. veri Dei cultor esse debet.

Auarus Dei desertor, cui inhærere vel maxime debet Clericus.

§. Et homil. 64. in Joannem idem B Chrys. ait idcirco S. Paulum auarum appellasse idololatrã. 1. quod pecunias suas tanquam dona Deo dicata tangere minimè audeat, aut si cogatur, tanquam ad nefas timidè veniat. 2. quod aurum claustris & vectibus tanquã lapideum idolum cohibeat, pro templo arcam ei præparans, & argenteis vasis recondens. 3. quod sicut is in idolo inhabitantem dæmonem, ita auri aspectu & cupiditate insidentem animæ dæmonem adoret. 4. quod magis auaritiæ pareat quam ille idolo, & quodcunq; suggerit obsequatur. Quid dicit auaritia? Esto omnibus inimicus, obliuiscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi teipsum offer. Dicto citius paret. Et ille quidem idolis boues sacrificat, auaritia offert mihi, inquit, animam & persuadet.

Cur auarus idololatra?

§. *Eccles.10.v.9. & 10. Auaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* Cum tamen animæ vnius pretium, nec mille mundi æquare possint, vnde verissimè ipsa veritas. *Matt.16.v.26. Quid prodest homini, si mundum vniuer-*

ſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? S. Ambroſ. l. 2. off. c. 25. *Dominus ad diſcipulos ſuos, ait: Nolite poſsidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam, qua velut falce pullulantem in pectoribus humanis ſuccidit avaritiam.*

CAPVT XXXV.

APOSTOLVS CASTVM, PVDICVMque requirit Clericum.

Quid luxuria eiusque peſtiferi fructus.

§. *Vxuriam* pravum obſcœnæ voluptatis appetitum, DEO ſanctiſsimo Spiritui ſummè inuiſam, diabolo impuriſsimo ſpiritui maximè gratam, humanæ naturæ & dignitatis probrum, ebrietatis filiam, inſaniæ matrem, facultatum, honoris, famæ, valetudinis, ſalutis prodigam, curatu difficillimam, ſordium & malorum lernam gehennæ fumum in ſempiternas exiturum flammas, omni ſtudio & contentione deuitent, cum *Apoſtolus* ne familiares quidem & Clerici domeſticos permittat eſſe in accuſatione luxuriæ *Tit. 1. v. 6.* quanto minus ipſum Clericum? Neq; ob libidinis ſuſpicionem in Cleri ordinem admittit bigamum *1. Tim. 2. v. 2. & 4. Tit. 1. v. 6.* Et hortatur Timotheum *1. ep. cap. 5. v. 11.* Vt *adoleſcentiores viduas deuitet.* Vt quæ ſint ſalaces & nupturientes. *Illud* etiam queritur & deplorat Apoſtolicus *2. Timoth. 3. v. 5. 6. 7. Suis non defuiſſe temporibus, qui voluptatis magis amatores eſſent quam Dei, & haberent ſpeciem quidem pietatis, ſed eius virtutem abnegarent, & ſic penetrarent in domos, & mulierculas peccatis oneratas & variis deſideriis æſtuantes, & non veritatem*, ſed ſuis peccatis velamen & patrocinium inquirentes docendo carnis libertatem *captiuas ducerent*, & ſibi obnoxias redderent & *hos*, inquit *deuita.*

Ab omni libidinum intemperantia alieniſsimũ eſſe Clericũ requirit Apoſtolus.

Sæpe multumq; à luxuria dehortatur Apoſtolus.

§. Multus eſt Apoſtolus in hoc diſſuadendo flagitio *Rom. 13. v. 13. Sicut in die honeſte ambulemus. Non in cubilibus & impudicitiis Et. 14. Carnis curam ne feceritis in deſideriis 1. Cor. 5. v. 11. Scripſi vobis, ſi is qui frater nominatur,* eſt for-

est fornicator, cum eiusmodi, nec cibum sumere. 1. Corinth. 6. versic. 9. Neq; fornicarii neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. Et deinceps multis argumentis ibidem ab hac deterret turpitudine. 1. v. 13. Corpus nō fornicationi sed Domino, & Dominus Corpori. i. e. Corpus non fœdæ libidini subbiiciendum sed Deo, vt is corpori tāquam rei suæ dominetur 2. v. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi: Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Sanè membra Christi honestissimè & castissimè tractanda sunt. 3. v. 18. Fugite fornicationem. Qui fornicatur, in corpus suum peccat, vt quod turpiter contaminet & cōtumelia afficiat. 4. v. 19. An nescitis quoniam mēbra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est quem habetis à Deo? Sed vtiq; templū S. Spiritus mundum, castum, inuiolatum & sanctum est conseruandum. 5. v. 19. & 20. Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Corpus non est in potestate nostra, non sumus nostri juris, sed servi emptitii Christi, cuius pretioso sanguine liberati sumus, ei itaq; seruiendum non libidini. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Et 1. Cor. 10. v. 8. Neq; fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Eph. 5. v. 3. & 5. Fornicatio autem & omnis immūditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sāctos, aut turpitudo aut stultiloquium. Hoc enim scitote intelligētes quod omnis fornicator aūt immūdus non habet hæreditatē in regno Christi & Dei Col. 3. v. 5. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem immūditiā, libidinē, &c. propter quā venit ira Dei super filios incredulitatis. 1. Thes. 4. v. 3. Hæc est voluntas DEi, sanctificatio vestra: Vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat unusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Et vers. 7. Non vocauit nos Deus in immunditiam sed in sanctificationem. Hebr. 13. v. 4. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, id est, cōdēnabit.

Impunus bestiales in Deum patrem cuius rem propriā eripit.

Homo libidinosus iniurius in Dei filium, cuius membra conspurcat.

Homo luxuriosus iniuriam spiritui Sancto infert, cuius templum temerat & profanat.

A cœlesti excludit gloria luxurios.

CAPVT XXXVI.

EANDEM CASTITATEM ET PVDICITIAM ab Ecclesiasticis postulat Christus Dominus, & alij.

Omnem omnino turpitudinem sermè interdixit Saluator.

§. REFERANT & animos ad Christi Domini doctrinam, & quam alienos ab omni impuritate nos esse voluerit considerent. Siquidem non solum rerum & operum obscœnitatem prohibet, sed etiam tactus, aspectus, desiderij ac cogitationis turpitudinē vetat, & cum sempiterni supplicij comminatione vetat. *Matth.5.v.28.* Ego dico: *quia omnis, qui viderit mulierem* (non fortuito sed impudico animo) *ad concupiscēdam eā, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus mittatur in gehennam. Et si dextera manus scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus mittatur in gehennam.* Affectus, aspectus, tactus impudici Christi Judicis sententia, exitiales sunt & damnatorij. *Totus homo*, ait S. Augustl.12.de Ciu.Dei cap.12. *damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, nisi per Mediatoris gratiam remittantur.*

§. Proinde salutariter sanciuit Innocentius III. Et Concil.Lateran. II. cap.13. de vita & honestate Clericorum hunc in modum: vt *Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter, & castè viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcauentes, maximè illo propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas*

venia

veniæ incentiuum tribuat delinquendi, statuimus vt qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccauerint, puniantur secundum Canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius præcipimus obseruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato.

CAPVT XXXVII.

MVLTI LVXVRIÆ SCABIE *infecti Clerici.*

§. QVIA hoc funestum luxuriæ incendium plurimos inflammauit Clericos & consumpsit, prouidendum sollicitè integris, ne eadem flamma corripiantur & amburantur. Spurcissimis istis sordibus inquinatissimi fuere sacerdotes Ophni & Phinees filii Heli, qui vt ait Scriptura, 1. *Reg.* 22. *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi*, qui & pariter vno die miserrimè trucidati sunt. 1. *Reg.* 4. *versicul. vndecimo.* *Veteri legi nõ defuere impuri sacerdotes.*

§. Hanc mortiferam plagam suo tempore multis fuisse Ecclesiasticis inflictam lamentatur *S. Cyprian. libro de Singularitate Clericorum. Tempus luctaminis*, inquit, *adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vsque grassatur. Mentior si non videamus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi & Clerici simul & Laici, post confessionem victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa vel mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata, quæ cum sit vilis & misera de magnis efficit prædam? Quod Salomon loquitur dicens Prouerb. 6. v. 26. Pretium meretricis tantum est vnus panis, mulier autem pretiosas animas capit? Ante nos ista tractantur, & nullis terroribus coercemur, quid faceremus si* *Episcopi & Clerici etiã post edita martyria & edita signa turpissimè lapsi.* *Fœmina fortissimorum virorum domitrix.*

opinionibus tantummodo gestas historias audiremus?

Muliercularum familiaritas suspecta: quia sine ambustione non tractatur. ignis.

§. S.Hier. idem vitium in sui temporis Clericis exagitans epistol.4.ad Rusticum Monachum c.2. *Videas*, ait *nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, simul inire conuiuia: ancillas iuuenes habere in ministerio, & præter vocabulum nuptiarum omnia esse matrimonii.* Et epistol. 22. ad Eustoch.c.12. *Sunt alii* [de meis ordinis hominibus loquor] *qui ideo præsbyteratũ & diaconatum ambiũt vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus, si benè oleant, si pes, laxa pelle, non folleat, crines calamistri vestigio rotantur: digiti de annulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, tales cum videris, sponsos magis existimato quam Clericos.* S.Greg. lib.3.dialog.cap.7. & c.32.

§ S.Bern.Serm.de Conuers.ad Clericos c.29. queritur, quod ad Sacros ordines currãt, in quos dominetur & principatum teneat iniquitas & luxuria: *Et non* est alia caussa cur tot extent Canones contra ecclesiasticorũ incontinentiã, nisi quod ex malis moribus bonæ leges natæ sint.

Optimos sæpe viros adoritur luxuria.

§ Neq; mirum dissolutioris vitæ Clericos luxuriæ flagrare ardoribus, vt qui otio, cõmessatione, perpotatione, mulierc ularum conversatione naturæ calori, tanq; ignem igni aut oleum camino addunt, atq; huic teterrimo vitio fomentum & quasi alimoniam vltrò suppeditant, *cum* hæc impura lues etiam sanctissimos quosq; viros & mira austeritate corpus afflictantes sibi subiugare tentarit *Id de* S.Francisco tradit Bonaventura c.5 in eius vita. *De* S.Benedict.Greg. l.2. dialog.c.2. *De* seipso S.Hier. epist.4.ad Rusticum c.6. & epist.22.ad Eustoch.c.3. *De* S.Antonio Athanas. in eius vita *Patitur* & stimulum carnis Apost.2.*Cor*.12.*v*.7. & *invenit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Rom*.7.*v*.23.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

SVPERIORVM CONTRA LVXVRIAM rationum compendium & addidamentum.

§. PLVRIMA tribus antegressis capitibus à turpitudine auocamenta proposita sunt. 1. quod hoc flagitiosum crimẽ maximè sit probrosum & infame, nec lucem ferat, aut hominum conspectum, quare & Apostolus tenebrarum opus appellat. Rom. 13. v. 12. *S. Bern. serm. 2. de Resur. Dom.* *Qui fornicatur*, ait, *in corpus suum peccat, magno illud priuans honore & pauendo addicens, pudendoque dedecori.* Cuius rei causa est, quod hominem ad belluinam conditionem abijciat, vt omnia sensu & carnali cupiditate & voluptate, quæ nobis cum bestiis communis est, non ratione metiatur, vt docet S. Thom. 22. q. 156. art. 4. c. ex Aristot. lib. 7. Ethic. cap. 6. Agnouit & Cicero cum scripsit in Officiis. *Si considerare velimus, ait, quæ sit in natura hominis dignitas & excellentia, intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, delicate ac molliter viuere: quamque honestum parcè, continenter, seuerè, sobriè.* Quapropter & voluptuarij illi comparantur equis & mulis. Psalm. 31. versiculo nono. Ieremiæ 5. versic. 8. canibus & suibus. Prouerb. 26. v. 12. 2. Pet. 2. v. 22. Apoc. 22. vers. 15.

Humanæ naturæ præstantiam sumopere dedecet luxuria.

§ 2. Quod omni oleto spurcius nostrum commaculet corpus, 1. Cor. 6. v. 18. Siquidem haud aliter ait *S. Chrysost. homil. 18. in 1. Corinth.* *sordescit fornicatione corpus, quam quid in lebetem immundum infusum contagione inficitur.* qua de causa & immunditiam appellat Apostolus Ephes. 5. ver. 3. Gal. 5 v. 19 S. Abbas Pachon, vt apud Palladium in historia Lausiaci capit. 29. cum dæmoni specie puellæ Æthiopissæ, quam in iuuentute viderat,

Non modo mentem, sed & carnem turpat luxuria.

genibus suis insidenti colaphum infregisset, biennio, inquit non poteram ferre manus meæ fœtorem.

Christianorũ luxuria in Deum sacrilega, & quidem duplicater in Ecclesiasticos.

§ 3. Quod rem suam Deo eripiat ipsiusque Maiestati in baptismo dedicatam non sine sacrilegio suffuretur, 1. Cor. 6. v. 13. Quod sacrilegium Ecclesiastici luxuriosi duplicant, vt qui & nouo castitatis voto in S. Ordinis Sacramento se DEO obligarunt, & consecrarunt.

Luxuria Christo opprobrium.

§ 4. Quod seipsum Christi Domini mẽbrum faciat membrum scorti, tantoq; probro & dedecore ipsum Christum Dei filium afficiat, 1. Corint. 6. v. 15. *Nihil hoc verbo*, ait *S. Chrysost. l. c. horribilius. Et non dixit: Tollens ergo membra Christi, cõiungam meretrici, sed faciam membra meretricis? Quod magis tangit. Animaduerte cuius erant, & cuius facta sunt, & veliste cõtinere. Ante mẽbra meretricis fuerãt, & ea Christi proprij corporis membra reddidit. Non ergo eorum amplius habes potestatem, illi seruias, qui te liberauit. Neque enim, si filiam haberes, & tanta esses amentia, vt eam lenoni locares, & meretrix efficeretur, inde regis filius eam conspectam, tam turpi liberaret seruitute, & sibi matrimonio coniungeret, iterum eam in fornicem adducere possis, quippe qui semel dedisti, semel vẽdidisti. Huiuscemodi nostra est causa. Locauimus carnem nostram diabolo lenoni grauissimo: quod quum Christus animaduerteret, eam eripuit, & à sæua illius tyrannide liberauit. Iam igitur nostra non est, sed eius, qui eam in libertatem vendicauit.*

Luxuria in Spiritum S. contumeliosa.

§ 5. Quod Spiritus sancti templum profanat & destruat, 1. Cor. 6. v. 19. Et vt ait idem Apostolus 1. *Cor. 3. vers. 17. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. S. Augustinus* libro de decem chordis c. 10. docet, fornicatorem in Deum peccare, quia pluris facit hominem quam Deum, quia corrumpit imaginem Dei, quæ ipse est, sicut rex putat iniuriam & contumeliam sibi factam, si ipsius lapidetur imago, quia hoc iussit, hoc præcepit Dominus, ne

per

per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse cœpisti. *Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei?* Idem S. Augustin. *serm. 16. de verbis Domini capite 10. Si eligeres,* inquit, *in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deseratte, & in ruinam vertaris.* Et *S. Chrysost. homil. 18. in 1. Corinth. Membra Christi estis,* inquit, *templum estis Spiritus. Quare nolite facere membra meretricis: Non enim corpori vestro contumeliam facitis, quia non vestrum corpus est, sed Christi. Nam si alienum corpus est, non habetis potestatem vt alienum corpus iniuria afficiatis,* inquit, *& maxime quum sit Domini, neque Spiritus sancti templum maculandum est. Nam si quispiam priuatam domum ingressus, & illam ignominia afficiens, vltimum dabit supplicium: qui Regis templum speluncam latronum fecerit, intelligas velim, quot mala perpetretur? His igitur consideratis, eum qui in nobis habitat, reuereare, quippe qui consolator est, & tibi coniunctum & inhærentem timeas, Christus enim est.*

Luxuria in Christum iniuriosa.

§ 6. Quod sanguine Christi emaculatos non deceat acceptam animi puritatem & nitorem, tam nefario scelere fœdare. 1. Corin. 6. v. 20. *Si contemnis corpus tuum,* inquit *S. Augustin. serm 16. de verbis Domini cap. 10. considera pretium tuum. Et serm. 250. de tempore idem S. Augustin. Quanta,* ait, *iniquitas, & quam lugenda peruersitas, vt animam quã Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisq; propter vnius momenti delectationem libidinis diabolo vendat? Verè enim nimium plangenda & miseranda conditio est, vbi cito præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet, sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet.*

Luxuria sanguinem testamenti pollutum ducit in quo sanctificatus est. Hebr. 10. v. 29.

§ 7. Quod nullum cum lasciuo & impuro homine commercium habendum, 1. Corin. 5. v. 11. nec sermone vlla vsurpanda immunditia, Ephes. 5. v. 3. tantus huius vitii horror in Christiano pectore insidere debet.

§ 8. Quod de luxuria diffluentibus dira persæpe supplicia etiam hoc in mundo sumpserit Deus, 1.Cor. 10.v 8.Colloss.3.v.6.vt videre est Genes.7. vbi pene totus orbis aquarum inundatione submersus est, Gen.19. pentapolis cœlesti igne conflagrauit Genes.34. Sichemitæ contrucidati, Num.25.v.8.9.interfecti 24.millia, Judic. 20. tota ferme tribus Beniamin occisa. Exempla plura in Dauide, & eius filiis Ammone, Absalone, Salomone.

§ 9. Quod incontinentes sempiterni ignis & cruciatus pœnas sufferant, Matth.5.v.29.30 1.Cor.6.v.9. Ephes.5.v.5.Gal.5.v.19.Apoc.21.v.8. *Fornicatoribus pars erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda.* Et cap.22.v.15. *Foris canes & impudici, &c.*

CAPVT XXXIX.

HORRIBILIS ADVERSVS IMPVROS Sacerdotes iusti Dei vindicta.

Sacerdos ad turpitudinem alios prouocans miserè interit.

§. ALIQVA hic commemorabo exempla, vt Ecclesiastici felices fiant, quos faciant aliena pericula cautos. S. Gregor. lib.2. Dialogorum cap.8. memoriæ prodidit, quod presbyter Florentius inuidia tabescens venenatum. S. Benedicto panem specie benedictionis & amicitiæ miserit, & quod ille fraudem cognoscens eum per coruum in remotum locum abijci curauerit. *Sed prædictus Florentius*, inquit, *quia magistri corpus necare non potuit: se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita vt in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret: quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes & diutius ludentes: illorum mentes ad peruersitatem libidinis instigarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsumque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sua satius persecutione fieri pertractans: inuidiæ locum dedit, at-*

Vritq; videndo fœmina.

dit, atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis præpositis adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis habitationem mutauit loci. Sicque vir Dei odia eius humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum prædictus presbyter stans in solario Benedictum discessisse cognosceret, & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica hoc ipsum tantum in quo stabat solarium cecidit, & Benedicti hostem conterens extinxit.

§. Turpissimus vtique iste Sacerdos fuerit, qui tot libidinis incentiua in promptu habuit & eodem luto, quo ipse turpificatus fuit, & alios fœdare voluit, ne in culpa & pœna illi deessent socij.

§. Aliud ex eodem auctore exemplum producamus S. Gregor. lib. 3. dialog cap. 32. narrat, quod sanctissimæ Trinitatis confessores Episcopi exectis linguis distincte fuerunt locuti, quod donum vnus luxuriæ crimine perdidit: verba illius sunt. *Iustiniani quoque Augusti temporibus, dum contra Catholicorum fidem exorta à VVandalis persecutio Ariana in Africa vehementer insaniret: quidam in defensione veritatis Episcopi fortiter persistentes, admedium sunt deducti. Quos VVādalorum rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere posse se credidit Nam cum eis in ipsa defensione veritatis silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderētur: raptus in furorem, eorum linguas abscindi radicitus præcepit. Res mira & multis nota senioribus, qui ita pro defensione veritatis etiam sine linguis loquebantur, sicut prius loqui per linguam consueuerant. Hi itaque eo tempore profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt. Eo quoque tempore quo explendis responsis Ecclesiæ ad Principem ipse transmissus sum: seniorē quendam Epm reperi, qui se adhuc eorū ora sine lingua loquētia vidisse testabatur, ita vt apertis orib. clamarent: Ecce videte. quia linguas nō habemus & loquimur: Videbatur n. à respicientib. vt ferebat, qa abscisis radicitꝰ linguis, quasi qdā baratrū patebat in gutture: & tm ore vacuo plena ad inte-*

Catholica fides neque blanditijs, neq; promissis, neq; minis cedit, neque tormentis.

Exo. 4. v. 11. Quis fecit os hominis? nonne ego.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuũ. Psal.118.

integrum verbo formabantur. Quorum illic vnus in luxuriam lapsus mox priuatus est dono miraculi, rectè videlicet omnipotentis Dei iudicio, vt qui carnis continentiam seruare neglexerat: sine lingua carnea non haberet verba veritatis.

Præstat dæmone quam luxuria exagitari.

§. Luxuriem similiter seuerè puniuit Deus in filio Abbatis Innocentii apud Palladium cap.103. Hic filio suo imprecatus est Dæmonem, vt eius vexatione à libidine contineret exemplo Apostoli, 1 Cor.5.v.5. Sic author habet. *De beato Innocentio presbytero Olueti à multis quidem audisti, nihilo secius autem à nobis quoque audies qui tres annos cum eo viximus Is fuit longe simplicissimus. Cum autem is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini Imperatoris, mũdo, renunciauit, profectus à matrimonio. In quo ẽt habuit filium Paul. nomine domesticũ, qui militabat. Is cum peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocent. Deum rogans & dicens, Domine, da ei spiritum: ne amplius inueniat eius caro tempus peccandi, melius arbitratus eum pugnare cum dæmone, quam cum intemperantia. Quod etiam factum est. Nam nunc quoque adhuc est in monte Oliuarum, ferrum gestans & castigatus à spiritu.*

Cerere & Baccho alitur Venus.

§. Quibus oportune adiungemus, quod habet Thomas Cantip. lib.2.cap.30.parte 16. *Erat in villa Bruxellensi Brabantiæ sacerdos quidam vitæ & moribus plurimum inhonestus. Hic gulæ & luxuriæ deditus, nihil fere videbatur aliud meditari. Post finem autem annorum paucorum, postquam presbyter ordinatus iusto Dei iudicio impræmediate defunctus est. Nec multo post quidam presbyter commensalis eius & socius, cum in crepusculo noctis viam ageret extra villam: audiuit miserabilem vocem, quasi de sub terra plangentis. Consternatus autem presbyter: quisnam esset, cuius vocem audiret, cruce se consignans, inquirit, dicens: Quis es tu? Et ora. Ego inquit sum infelix ille socius tuus. Et rursus presbyter. Quomodo inquit tibi est, & quare de humo eloquium tuum. Cui ille, Dato rugitu maximo, Væ inquit mihi, Væ, væ, quoniam clausit super me puteus os suum. Psal.68.vers.16. Et cum quasi pennigero volatu*

Improuisa mors luxuriosum sustulit.

vox

vox plangentis deferretur in longum audita est. Pergit ibid. parte 17. *Mirabilius tamen intelligas, ipsum qui hoc audiuit Presbyterum, in nullo prorsus vitam suam miseram correxisse, sed morte turpissima obijsse, & fœda nequissimæ conuersationis vestigia posteris reliquisse.* Et parte 18. *Vidimus tamen quendam multarum diuitiarum & possessionum presbyterum, qui prioris audita damnatione presbyteri, omnia penitus caduca dimisit, & religionem Cistercien sem intrans bene vixit & obijt. Nota ergo, quia illi ad cumulum damnationis, & isti ad vtilitatem correctionis res ista innotuit.*

§. Et ibidem parte 20. *Presbyter cum Moniali repertè extincti. De concubitu ergo talium narrante mihi sanctissima Abbatissa Ordinis Cistertiensis, quid nostro tempore in Burgundia accidit videamus. Presbyter quidam nomine tantum sanctus & castus, monialem quandam alterius ordinis iuuẽculam sub religionis specie procurabat. Nacta ergo occasione, cum socia seniore iuuencula Monialis presbyterum visitauit. Post lautos autem cibos & potum immoderatum, monialis in loco vno, & presbyter in altero quieuerunt. Mane itaque facto, vetula monialis sociam iuuẽculam ad matutinorum executionem officij visa est excitare. Quam cũ strepitu primo, quia silentium tenebat, deinde pulsationibus attentasset, nec profecisset, surgens quæsiuit sociam, nec inuenit. Turbata ergo cum tota familia monialis: cum pro confusione factum celare vellent nec possent, cum horrore & scandalo multorum, sicut inuenta fuerant, amborum simul cadauera sunt sepulta.*

§. Et parte 21. *Seâ hic quæri potest, si miraculosè an naturaliter factum sit quod narrauit. Et respondeo, quod miraculosè & naturaliter fieri potuit. Miraculosè ad exemplum facti detestabilis, vt vitetur: Naturaliter, quia præ nimio ardore libidinis, in ipso fluxu & delectatione coitus, exhauriuntur spiritus animales, & cor nimiè dilatatum reclusionem non recipit subitis motibus interceptam.*

§. Astruamus adhuc plura, vt sicut multis ictibus deiicitur quercus, ita multis terribilibus exemplis excindatur

cindatur libido in Clericis. *Libro 4 epistola 3. ad Cunibertum Taurinensem Episcopum scribit B. Petrus Damianus Cardinalis & Ostiensis Episcopus ; quod in Galliæ partibus iterato pellicatu presbyter tanquam bos ad victimam ductus conuiuium deseruit, & thalamos non delectationis sed perditionis ingressus, O terribilis Deus in consiliis super filios hominum, Psal. 65. v. 5. Vno eodemque momento & semen fudit, & animam exhalauit. Sic sic remunerari debuit, qui de sacrario Domini ad exolitum lupanar, suinumque volutabrum transire decreuit. Terribile est incidere in manus Dei viuentis, Heb. 10. v. 31. Alius presbyter concubinam nolens dimittere, incolumis, vegetus & robustus in lecto se composuit, & mane repertus est cadauer exanime, & Ecclesiastica sepultura priuatus. Hæc ibi.*

CAPVT XL.

LIBIDINOSVS ET SACRILEGVS Sacerdos viuens videnſque ad gehennam abripitur.

HIc inchoati perpetui supplicii formidabile prorsus exemplum in impuro statuit Deus sacerdote apud V. Petrum Cluniacensem Abbatem libro 1. de miraculis sui temporis capite 25. Iste siquidem accepta damnationis sententia desperans visis à se dæmonibus & gehennæ tormentis sacrilegum spiritum tradidit. Ipsum auctorem audiamus. *Subiungenda est, inquit, morientis presbyteri terribilis & multis nota visio, quæ audientium mentes digno timore concutiat, & ad cauenda æternæ mortis mala, velut vehementi sollicitudinis igne accendat. Apud castrum Liziniacum, quod in Pictauiensi pago situm est, nuper quidam presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis super cœlestem dignitatem, miserrimæ vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam, sacro ministerio vtebatur. Qui iuxta*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Annulus aureus in narib. suis.

iuxta Prophetam Ezech. 34. Lac gregis sui comedens, & eius se lanis operiens absque vlla spe æternorum, mercedibus mercenarij auidissimè pascebatur. Mundissimam atque omnia mundantem Christi carnem & sanguinem in altaris sacramento frequenter officio non deuotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumq; vt sus immũda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & suiipsius fætoribus delectaretur, territus conscientiæ malo sicut aliquando & mali ad horam compunguntur, familiaritatem quorundam bonorum virorum expetiit, & abbati Bonævallis ac fratrib. eiusdem monasterii se in amicitia, specie tenus copulauit. Qui longo tempore eũ de vitæ emẽdatione cõmonentes, & vt seculo renunciaret, assiduè exhortantes nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt. Nam libenter quæ dicebant audire se fingens, & semper eos de conuersione suspendens, de societate Sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione vel exemplis eorũ à malis retrahebatur. In his atq; aliis perditæ atq; perdendæ vitæ suæ actibus perdurans, & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizãs, Rom. 2. ver. 5. in morbum incidit, quo post aliquot dies ingrauescente, ad extrema peruenit. Adierat eum visitationis gratia Prior iam dicti monasterii, atq; cum eo per aliquantum diei spatium, ipso quoq; rogante, permanserat. Et ecce nocte superueniente, cum cunctis discedentibus solus lecto eius assideret, clamareter /ibiliter æger ille ad Priorem cœpit. Succurre, ait succurre. Ecce duo supra omnẽ feritatem expauescendi leones in me impetum faciunt, hianti ore ac rictu feroci per frusta discerpturi, me totum consumere volunt. Deprecare cito Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum cõsumar. Dicebat hæc & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retro cedebat. Prior vero vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat. Ad preces tamen ipse necessitate impellente conuersus, pro misero illo vt poterat DOMINVM exorabat. Quo orante mutata voce æger; benè, inquit, benè. Recesserunt crudeles bestiæ & per orationes tuas iam vltra nusquam apparent. Et quia ad vltimum

Sancta Sãctis sanctè.

Sus in volutabro luti.

Sus inter rosas.

Simia fucata Audiens non audit.

Sus sub fustem.

1. Pet. 5. v. 8. Aduersarius vester diabolus tã quam leo rugiens circuit quærẽs quẽ deuoret

Oratio fugat dæmones. Matth. 17. v. 20.

Non somnium, non deliratio.

mum vsque spiritum semper compos sui extitit, nec vt quidam morientium solent, vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti sanissimus cœpit. Cumque tam de his quam de aliis multa inter se verba conferrent, horæ fere vnius spatio elapso, rursum inclamare longe terribilius quam primo exorsus est. En inquit: en

Igne libidinis ignis castigatur.

ignis de cœlo vt torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, iam iamque in fauillam vsque me comburet. Festina, adiuua, ora, si fortè & ab hac morte eripi valeam,

Aliena iacit

Et hæc dicens, manibus & brachijs opertoria subleuabat, eaque velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat, sed ne quicquam. Non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendijs tegere poterant, quem cœlesti vindicta impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuo ad orationem

Precib. ignis euertitur.

conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo vt supra orationi instante, post paululum, patiens gratulationis vocibus preces eius interrupit dicens. Quiesce, iam ab igne tutus sum, nam cum super me (vt dixi) cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsque ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas quousque quis istorum finis futurus sit agnoscas. Tunc Prior qui tam timore quam hospitandi necessitate recedere volebat, substitit: & ab oratione surgens, rursum ei assedit. Cumque eum tantis terroribus anxium consolaretur, & vterque ad inuicem vt prius colloqueretur, subito ægrotus ad inuisibilia raptus obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur. Cum ecce post multum noctis spatium, homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens ait: Ha, ha, ad iudicium æternum raptus sum,

Speciale iudicium & dānationis sententia.

& heu miser æterna morte dānatus sum. Traditus sum horrēdis tortoribus, igne inextinguibili cū diabolo & angelis eius perpetuo cruciandus. Ecce, ecce, ignita sartago plena bullienti adipe,

Notet & horrescat ista lasciuus Clericus.

quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamque ad me frigendum vndique succenderunt. Et cum Prior orationi sicut iam bis fecerat, tertio quoque incubuisset, ait ille: Cessa,

cessa,

tessa, pro me orare, nec pro illo vltra fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore vero dicente frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc viuis à Deo require, ille adiecit. Putas [ait] me vt insanum loqui? non insanio, sed sana mente quæ dixi confirmo. Et cucullam prioris manu tenens, eum interrogauit. Nonne hoc quod manu teneo cuculla tua est? quo respondente, est, adiunxit. Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est palea est, sic & hoc quod coram cerno ignita sartago est. Et dū hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa quam dicebat sartagine exiens, in manū eius Priore videre cecidit, & mirabile dictu, tutem & carnem vsq; ad intima ossis consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu: En [inquit] indubia rei probatio. Nam sicut ista quam vides de sartagine prolapsa gutta, carnis partem consumpsit; sic confestim totum me ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente, iterum dixit. Ecce sartaginem ipsam ministri infernales propius afferunt, & vt me in illam injciant, iam iamque manus adaptant. Et post modicum. Ecce linteum in quo iaceo vndique concurentes accipiunt; & me in ignitam sartaginem, æternum frixuram projciunt. Hoc velut vltimum vale, mox vt Priori atque his qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant, dixit, Subtracta voce ac reflexa ceruice, puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Tantus vero terror omnes inuasit, vt illico vniuersi aufugerent, neque aliqui in domo vbi cadauer mortis remanserat remanere auderent. Facto mane, miserum cadauer sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cum ad vniuersos circa positos hæc tam terribilis fama peruenisset, rei veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque fossam illam quam in manu adhuc viuentis presbyteri gutta prænuncia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt. Quæ omnia, secundum quod Beatus Gregorius dicit, nullo modo propter se infelix presbyter vidit, cui nihil visio ipsa profecit, sed quanta cautela sacerdotale officium administrandum, quam reuerenter diuina mysteria tractanda, superna per eum dispositio demonstrauit. Quis enim ad ista non obstupescat, quis tam metuendam diuinæ animaduer-

Ier. 7. v. 16. Noli orare pro populo hoc: quia nō exaudiam te.

Præsentis à nimi demōstratio.

Isa. 33. v. 14. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis

Lib. 4. dial. c. 38 & V. Beda l. 5. hist. Angl. c. 14. Obdurātus & reprobus.

Ex visibilib. inuisibilia æstimãtur. Dei nos miserantis bonitas.

sionis sententiam non contremiscat? Quis enim iam in istis non fidem inuisibilium se concepisse, sed ipsa inuisibilia corporis sensibus ex multa parte subiecta esse non cognoscat? Facit hoc pia Conditoris miseratio, qui cernens corporalium rerum obiectu interiorem mentis humanæ oculum excœcatum, quædam de spiritualibus rebus etiam per carnem quibusdam innotescere præstat, vt ad amanda siue timenda inuisibilia, hoc saltem remedio vel admoueat vel compellat. Quid enim apertius ad fidem fidelium instruendam, quam hominem in carne viuentem, & hic integra mente colloqui cum hominibus, & ibi spiritualia cernere cum spiritibus? Quid sanè leones tremendi, quid flammeus torrens, quid ignita sartago aliud quam de veritate rerum inuisibilium nullatenus dubitare, & horrendum esse in manus Dei viuentis incidere, Hebr. 10. v. 31. malè securos admonebant? neque enim credendum est alibi quam in præsenti seculo quarumlibet ferarum genera cõmorari, aut vbi nulla metallorum materia est, ferreas sartagines fabricari. Sed quia terror supplicii futuri, nõ nisi per verba vsitata vel per expertarum rerum imagines, hominibus adhuc in carne viuẽtibus potest ostendi, placuit Deo per tales corporum similitudines ostendere: Quid exulcerati corporibus animæ, prauis exigentibus meritis cogantur tolerare. Quæ licet antiquioribus miraculis, Patrum temporibus demonstrata sint, voluit tamen etiam nunc diuina miseratio nouis reuelationibus priora confirmare, & eos qui vetera despiciunt, velut negligentiæ somno torpentes recentibus impulsionibus excitare. Cuius supernæ admonitionis contemptores tanto se maiore in Dei iudicio cumulo damnationis operiunt, quanto grauiore reatu, non solum antiqua, sed & ante oculos posita contemnunt. Et quia ad fidei & morum ædificationem varia à diuersis audita & probata nostrorum maximè temporum miracula scribere cordi insedit, nolui aliqua negligere quæcunque auditoribus meo iudicio posse videbantur prodesse.

Discite iusticiam moniti & non temnere Christum.

Huius rei exemplis plenissima est Scriptura per corporalia nobis ad umbrans spiritualia.

CAPVT

CAPVT XLI.

ALIA ADHVC PESTIFERÆ ET EXitialis luxuriæ damna & incommoda recensentur.

§. MVLTA superius de luxuriæ malis diximus, sed nunquam nimis multa dici possunt, vt à spiritu fornicationis liberentur Ecclesiastici: sit itaque incommodum 1. Quod luxuria mentis pariter ac corporis sanitatem eripiat. Eccles. 19. vers. 1. & 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes* [id est, abducunt illos à sapientia, ac religione, à virtute, à Deo] *& arguunt sensatos* (prudentes reddunt accusabiles & despicabiles.) *Et qui sejungit fornicariis erit nequã*, qui meretricibus iũgitur, os faciemque perfricabit, & pudoris repagula perfringet audax & proiectus ad facinora. *Putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.* Exhausto vitali succo scortatorum corpus computrescet, & erunt spectaculo hominibus. Quinetiam accelerabunt sibi mortem, & vermes consument corpus, & conscientiæ immortalis vermis rodet animam. Animalia salacia, vt sunt equi, canes, columbæ, passeres non esse diuturnæ vitæ philosophia & experientia magistra compertum est. *Animæ corporisque simul salutẽ perdit incõtinentia.* *Hoseæ 4. ver. 11. Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Vbi *S. Hieronym. Sicut enim vinum & ebrietas eum qui biberit, mentis suæ impotem facit: ita & fornicatio ac voluptas peruerit sensum, animumque debilitat: & de rationabili homine, brutum efficit animal: vt ganeas & lupanaria, & libidinum lustra sectetur.* Idem *Sanctus Hieronym. lib. 1. aduersus Iouin. cap. 30. Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus: sæculum minimeque conueniens animo sospiti vitium*

turbat consilia: altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. Amor non iudicio sed furore ducitur.

Libido perpetua vexatio.

§ 2. Quod totum hominem commoueat, perturber, exagitet. *Sæuus criminum stimulus*, ait *S. Ambros. lib. de Caino & Abele cap. 5. libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum; nocte feruet; die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis nisi morte amantis extingui non potest.*

Luxuria virtutum ruina.

§ 3. Quod sit virtutum interitus & occasus. *S. Hier.* lib. 1. contra Jouin. cap 30. *Doctissimi viri, inquit, vox est: pudicitiam imprimis esse retinendam: qua amissa omnis virtus ruit.* Et S. Greg. hom. 13. in Euang. ait: *Quod Redemptori nostro nequaquam placere possit is, qui bona agit & luxuriæ inquinamenta non deserit, nec bonum opus sit aliquid sine castitate.*

Luxuria malorum lerna.

§ 4. Quod innumerabilia mala libidinum intemperantia afferat, nam vt docet Salomon Prouer. 5. v. 9. 10 11. Eâ honor, fama, naturæ, virtutis, officii dignitas polluitur, vitæ tẽpus nequiter transigitur, & multum breuiatur, vires exhauriuntur & debilitantur, opes alterantur dissipanturque, ex quibus tandem sera & inutilis pœnitentia, lamentatio & dolor existitunt. Eccl. 9. v. 6. Et S. Gregor. lib. 31. Mor. c. 31. impurissimæ huius beluæ execrandos fœtus enumerans: *De luxuria*, inquit, *cœcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, timor autem vel desperatio futuri generantur.*

Luxuria morbus incuratus.

§ 5. Quod luxuries sit morbus fermè insanabilis, vt qui tenacissimè medullis inhæret. *Etenim*, quasi clauis, ait *S. Ambros. in cap. 4. S. Lucæ, suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & sæcularium delectationum*

litiarum illecebris obnoxia iam tenetur. Quam ex illo cœno emergendi difficultatem luxurioſi experientes animo ſæpe cadunt, & emendationem ac ſalutem in deſperatis ac perditis impiè habent, nec ſalutaria conſilia vel capiunt ipſi, vel ab aliis ſuſcipiunt. *Hoseæ 5. verſ. 4. Non dabunt cogitationes, vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Epheſ. 4. v. 19. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationē immunditiæ omnis.* Sicq; manent inquinatiſſimi dæmonis fœdiſſima mancipia. *Tobiæ 6. verſ. 17. Qui ſuæ libidini vacant, ſicut equus & mulus ſuper eos habet dæmonium poteſtatem.* S. Iſidor. lib. 2. de ſummo bono cap. 39. Duobus principaliter vitiis diabolus humano generi dominatur ſuperbia mentis & luxuria carnis.

Libidinē qui ſeruus eſt, & dæmonis eſt ſeruus.

CAPVT XLII.

FERVENS ET CONCITVS AD IRAM, ad clericatum ineptus.

§. IRAM immoderatam vindictæ cupiditatem, valetudinis peſtem, iudicii ac prudentiæ perturbatricem totis viribus tanquam furentem beluam effugiant: nam de Clerico loquens Apoſtolus, Tit. 1. verſ. 7. *Oportet, ait, eum eſſe non iracundum. S. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdot. Huiuſmodi, inquit, ingenio perditi; qui ad contumeliam, vim, incommodum, moleſtum aliquod verbum grauiter excandeſcunt, ab Epiſcopatus cancellis, à ſacerdotii clauſtris procul arcendi ſunt. Nam Epiſcopum inedia minime cruciari, extenuarique, tum eundem nudis pedibus nō ingredi, id certe nihil incommodabit Eccleſiæ vniuerſitati, at vero agreſtioris animi ferocitas furorque, tum Domino poſſeſſorique ſuo, tum proximo etiam ingentium calamitatum auctor ſæpe fuit. Atque iis quidem qui virtutes illas non præſtant, nulla à Deo comminatio, at temere excan-*

Iræ definitio & inſania.

Potior animi lenitas quam vitæ auſteritas.

excandescentibus gehennæ flammas æternas comminatus est. Rectè S. Ambros. l. 3 offic. c. 9. Sacerdotis est nulli nocere nec lacessitus quidem & aliqua iniuria offensus: prodesse velle omnibus; posse autem solius est Dei. Quæ enim est gloria, si eum non lædimus, qui nos non læserit? sed illa virtus est, si læsus remittat.

Ira declinanda.

CAPVT XLIII.

IRÆ CONCITATIO QVAM primum reprimenda.

Iracundus vitandus.

§. IRACVNDIA omnibus quidem Christianis, potissimum tamen Ecclesiasticis est euitanda, imo & irritabiles, & ad iram concitos derelinquendos hortatur Salomon *Prouerb. 22. ver. 24. Noli*, inquit, *esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. Ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Dum nimirum offertur tibi occasio impingendi lapsus & labendi. Neque cum stomachoso constans potest esse amicitia, vt qui leuissimis de causis succenset amico & officit: hinc *Eccles. 8. v. 19. Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te.*

Nulla stabilis firmaque cum irritabili amicitia.

Hanc vlciscendi cupiditatem compescens Apostolus *Ephes. 4. v. 32. & 33. Omnis*, inquit, *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* Amaritudo & acerbitas est venenata radix, vnde cætera illa vitia pullulant & germinant, nimirum 1. indignatio iræ inchatio in animo feruescens. 2. ira vindicādi cupiditas. 3. clamor sine pudore & ratione vociferatio. 4. blasphemia maledicentia & apertum conuitium, quibus *tumorem mentis & rixas* addit *Sanctus Gregorius libro trigesimo primo Moralium, capite trigesimo primo.* *Rursum Apo-*

Exulceratus animus quæ mala pariat.

postolus

postolus Ephes. quarto, versiculo vigesimo sexto, vigesimo septimo. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo.

Explicatur de ira locus prophetæ & Apostoli.

§. S Augustin. in Psal. 4. *Etiamsi irascimini, nolite peccare, id est, Etiamsi surgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem ei non consentiat ratio. Aut agite pœnitentiam, id est, irascimini vobisipsis de præteritis peccatis, & vlterius peccare desinite. S. Ambr. l. 1. off. c. 6. Irascimini vbi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueamur, alioquin non virtus, sed lentitudo & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita, vt à culpa abstineatis: vel si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam, aut si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammatur, & cito in culpam cadit. Sol ait Apostolus, non occidat super iram vestram.* S. Augustin. enarrat. 1. in Psal. 25. *Etsi, inquit, ex ipsa humana conditione & infirmitate mortalitatis, quam portamus, surripit ira, Christiano non debet diu teneri & fieri pridiana. Eijce illam de corde, antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa inuisibilis: Christ⁹ sol iustitiæ, cuius veritate humana natura illustratur, ad quem gaudent angeli, non vult habitare cum iracundia tua. Sol abiens,* ait Sanctus Chrysostomus homilia decima quarta, in Ephesina Epistola, *non relinquat vos inuicem inimicos. Per iram inuicem impugnare est locum dare diabolo.*

Motus iræ primo primus ex animo vt ignis è ficca stipula statim excutiẽdus.

Christus sol iustitiæ irascentem deserit.

CAPVT XLIV.

CVR REMIS VELISQVE fugienda ira?

Sanitatis pestis ira est.

§. DETESTANDÆ vitandæque iracundiæ penitus causæ inspiciantur & ponderentur. 1. est, quod valetudini plurimum obsit & noceat, *Eccles. 30. vers. 26. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.* Æmulatio, ira, sollicitudo, vitæ imminutio. *S. Chrysost. homil. 4 in Matth. Nullus leo*, ait, *nulla sic vipera viscera queunt humana laniare, vt hominis iracundia fureis quibusdam vnguibus vniuersa confodiens. Neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corripit animæ sanitatem, &c.* Et *homil. 29 ad Antioch. Noui multos ex ira morbos incurrisse. Ignis est vehemens ira, omnia deuorans, nã & corpus perdit, & animam corrumpit.* Valentinianus Imperator Senior grauiter in hostes excandescẽs, & ex dissilientibus venis copiosum profundens sanguinem, è uestigio exstinctus est. Sozom. lib. 6. cap. 6. Valentinianus Junior natura iracundus misera morte periit. Niceph. lib. 12. c. 38. Matthias Hungarorum Rex ira vehementer exardescens, & apoplexia correptus subito mortuus est. Seb. Munst. l. 4. Cosmograph. V Venceslaus Poloniæ Rex multum cuidam irascens, & paralysi in terram prostratus mortem oppetiit Martin. Cromer. lib. 18. hist. Polon.

Ira interfectrix irascentis.

Ira furor brevis est.

§ 2. Quia ira hominem in stultorum reponit numerum: quia vt fatuus rationem ducem non sequitur, ita nec ira percitus. *Iob. 5. vers 2. Vere stultum interficit iracundia. Prouerb. 12. v. 16. Fatuus statim indicat iram suam Eccles. 7. v. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stultorum requiescit. Cicero 4. Tusc. An est quicquam similius insaniæ, quam ira? Furor iraq; mentem Præcipitant*, ait 2. Æneid. Poeta.

§ 3. Pri-

§ 3. Priuat hominem vera sanctitate & Dei gratia. *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur, Iacob. 1. v. 19. S. Basil. homil. 11. de Ira. Fratres,* inquit, *amantissimi, obsecro, ne tantum malum nobis inducamus, animæ morbum, rationis oblivionem, tenebras, à Deo alienationē, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dæmonem pessimum animis nostris innatum, incolam impudentem nostra interiora possidentem, & sancti Spiritus iter ad nos impedientem. Vbi enim inimicitiæ sunt, contentiones, indignationes, sectæ, nostris animis perpetuos gignentes tumultus, ibi spiritus mansuetudinis non quiescit. S. Chrysost. homil. 30. ad Antioch. Non habitat Spiritus sanctus, vbi furor. S. Greg. lib. 5. Moral. cap. 31. Cum ira quietē mentis subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit.*

Pestifera ira germina plurima.

Iratum fugit Spirtus sanctus.

§ 4. Quod ira suis se cancellis nō cohibeat, sed & in alia scelera impellat & præcipitet. Prouerb. 29. vers. 22. *Vir iracūdus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccādum procliuior. Hebræus. Vir furoris transgressione multus. S. Basil. hom. 10. de Ira, Effrænes linguæ,* ait, *ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi quæcunque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus.* Ibidem *& dolus, & suspicio, & infidelitas, & malignitas, & insidiæ, & audacia, & omnia his similia huius vitij germina sunt atque appendices.*

Ira ad alia peccata impultrix.

§ 5. Quod vt ait S. Basil. homil. *de Ira, quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans animæ imperium sumpserit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. S. Chrysost. homil. 29. ad Antioch. Fera potius quam iracundo homini cohabitandum est. Absurdum est feras quidem mansuefacere posse, animam vero nostram insolescentem despicere.* Et homil 31. ad Antioch. *Bestiam cum maxime efferatur, tunc fugimus omnes: sic & irascentem.* Ouid lib. 3. Trist. eleg. 5. *Quo quisque est maior, magis est placabilis ira. Et faciles motus mens generosa capit. Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni. Pugna suum finem, cum iacet hostis.*

Ira efferuescens in hominis figura est bellua.

hostis, habet. At lupus & turpes instant mouentibus vrsi. Et quacunque minor nobilitate fera est.

Excandescens energumeno similis imo & deterior.

§ 6. Quod ira efferuescentes parum absint à dæmone possessis. S. Chrysostom homil. 18. in Matth. *Libera iratum*, ait, *à sæuissimo dæmone, propriæ scilicet mentis furore. Nam & cum aliquos à dæmone actos videmus, sæpe lachrymamur: non autem agimus, vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis seruemus: illorum enim similes sunt iracundi, imo illis longe miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. Et homilia vigesima nona ad Antioch.* Quod si furoris tempore posset irascens sibimetipsi notus fieri non alia foret opus admonitione. *Nihil irascentis deformius aspectu. Ebrietas quædam est ira, imo vero difficilior ebrietate, & dæmone miserabilior.* S. Greg. l. 5. Moral. c. 31. *Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquã recognoscuntur noti. Lingua quidem clamorem format, sed sensus quidlòquatur, ignorat. In quo itaque iste ab abreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est?*

Irati descriptio.

Grauiter irascens æternis pœnis obnoxius.

§ 7. Quod grauis ira sempiterni supplicii reum faciat, vt Christus iudex constituit Matth. 5. v. 23. & iudicis præco promulgauit, Gal. 5. v. 20. Audiendus proinde S. Joan. Chrys. eique obtemperandum. *Inter iram*, inquit, *homil. 47. in Ioan. & insaniam nihil differt, sed breuis quidam dæmon est, imo quam qui dæmonio vexatur, grauior. Ille enim venia dignus est, iratus nulla, sed suppliciis innumeris, sponte sua in profundum perditionis defertur, & etiam ante futuram gehennam pœnas dat. Tumultu enim quodam & æstu intolerabili die noctuque variis cogitationibus anxius iactatur. Vt igitur præsenti supplicio & futuro liberemur, abiecto penitus hoc affectu omnes mansuetudinem indũamus, & modestiam, vt in hac vita & in regno cœlorum tandem animis nostris requiem inueniamus.*

APVT

CAPVT XLV.

IRA PER PRVDENTEM ZELVM quandoque adhibenda.

§. ILLVD tamen animaduertant esse quãdam iram iustam puniendi iniustitiam, voluntatem, valde laudabilem & aliorũ moderatoribus pernecessariam. *Solerter*, inquit *Sanctus Gregorius lib.5.Moral.cap.33. quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus iustitiæ formar. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset, Numer.25.vers.11. Psalm.105. versiculo trigesimo. Hanc iram, quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. 1. Regum 2. versiculo vigesimo nono, & capite quarto, versiculo decimo octauo. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur Psalm.4.v.5. Irascimini, & nolite peccare. Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos vt nos, amare præcipimur: restat vt sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur. De hac per Salomonem dicitur Ecclesiast.7.v.4. Melior est ira risu; quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.*

Iustæ iræ & iniustæ lentitudinis exempla.

§. Et ante B.Gregorium vetustissimus ille Ecclesiæ Magister Origenes in cap.7. Josuæ, & habetur dist.45. canone decimo octauo. *Sed illud*, ait, *non otiosè transcurrendum est, quod vno peccante ira DEI super omnem populum venit. hoc quomodo accidit? quando sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benevoli videri volunt, & verentes peccantium linguas, ne fortè malè de eis loquantur: sacerdotalis fenoritatis immemores nolunt complere quod scriptum est.*

Blanda sacerdotũ plebem indulgentia perdit.

ſcriptum eſt. 1.Tim.5.v.20. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant. Et iterum 1.Cor.5.v.13. Auferte malum à vobiſipſis, nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem: Tradidi huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Neque illud Euangelij implere ſtudent, Matth.18.v.15.ad 19. Vt ſi viderint peccantem, primo ſecretè cum conuenient, poſt etiam duobus vel tribus [adhibitis teſtibus] qui ſi contẽpſerit, & poſt Eccleſiæ correctionem nõ fecerit emendatus, de Eccleſiæ expulſum velut gentilem habeant aut publicanum, & dum vni parcunt, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum, quæ eſt iſta miſericordia, quæ iſta bonitas, vni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida vniuerſus grex inficitur: ſic & vno fornicante, vel aliud quodque ſcelus committente, plebs vniuerſa polluitur. Itaq; recte D. Amb. lib. 5. epiſt. 29. ad Theodoſium Imperat. Sacerdotes turbarum moderatores ſunt, ſtudioſi pacis: niſi cum & ipſi mouentur iniuria Dei aut Eccleſiæ contumelia.

Ex ſcintilla incendium.

§. S. Baſil. homil. 10. de ira. Ira, inquit, quando oportet, & vt oportet, ex ratione diſpenſata fortitudinem, patientiam, ac conſtantiam parit; præter vero rectam rationem tractata, furor & inſania efficitur. Idcirco nos Pſalmus admonet. Iraſcimini, & nolite peccare. Ipſe namque Dominus in Euangelio Matth. 5. Illum qui temere fratri iratus fuerit, reum iudicij facit. Illum vero, qui tanquam pharmaco, ad ea, quæ oportet, ira vtitur, minimè condemnat. Dicitur namque Geneſ. 3. v. 15. Ponam inimicitias inter te & ſerpentem. Et rurſus Numer. 31. v. 1. Hoſtes ſitis Madianitis. Docẽtis verba ſunt vt ira, velut armis vtamur. Ideo Moyſes omnium hominum manſuetiſsimus vituli idololatriam damnans. Leuitarum manus in cædem fratrum armauit. Exod. 31. v. 28. quibus & ait v. 29. Veſtras hodie manus Deo conſecraſtis, quilibet in filio ſuo & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Quid Phinees iuſtum reddidit? Nõne iuſta contra fornicantes ira? qui alioqui mitis & manſuetus exiſtens poſtquam ſtuprum zambri & ſcorti Madianitidis pa-

Exempla iuſtè iraſcentium.

lam

lam in populo vidit, ira vt oportebat vsus vtrumq; trucidauit. Num.25. Samuel autem Agag Regem Amalech à Saule contra Domini mandatum seruatum, nonne iusta ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira sæpenumero bonarum actionum ministra, 1. Reg.15.v.32. Helias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, & quadringentos viros sacrorum nemorum comedentes de mensa Iesabel, iusta, sapientique indignatione in totius Israel vtilitatem, vt morte mulctarentur, effecit.

§. Eadem iusta rationique consentanea ira eluxit in Mathathia Sacerdote, 1.Mach.2.v.24 idololatram trucidante, & in Saluatore nostro nundinatores, & prophanatores flagello è templo exturbante. Matt.21. v.12.& Joan.2.v.14. & in Paulo Etymam magum cæcitate puniente. Act 13.v 11. & in cæstuosum diabolo tradente, 1.Corint.5.v.5 atque Sanctis aliis quam plurimis.

§. De hoc æmulationis & lenitatis temperamento. dist.45 cap 10. Disciplina cap.11. Omnis.cap.12. Et qui. cap.15. Sunt namque cap.16. Vera iustitia. Cuidam Charilaum Regem laudanti, quod pariter erga cunctos fuisset mitis ac mansuetus. *Et qua fronte laudetur aliquis, respondit Archidamidas, qui erga sceleratos se mitem præbebat?* Respexit vir egregius mansuetudinem cum iustitia coniunctam esse oportere. Alioqui Principis in facinorosos lenitas, quid aliud est quã in bonos crudelitas? Plut.in Apoph. *Recte Sophocles in Tyro: Misereri oportet iustorum non improborum.*

§. Præclarum hic *S. Greg.* 3. *part. Past. admonitione* 17. adiungendum est documentum, ne extra modum efferuescat zelus, aut plus æque lentescat mansuetudo. *Idcirco*, ait, *Spiritus sanctus in columba, & in igne monstratur: quia videlic. omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne cœli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu sancto plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis feruorem*

uorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Et lib. 5. Moral. c. 33. idem sanctiss. & sapientiss. Pontifex: *Cum per zelum, inquit, animus mouetur summopere curandum est, ne hæc eadem quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus seruire contemnit, & tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiæ vitium, virtutem putat.*

§. *Præclarè Sanctus Ambrosius libro 5. epistola 29. Sacerdotes turbarum moderatores sunt, studiosi pacis: nisi cum & ipsi mouentur iniuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia.* Hæc zeli moderatio in corrigendis alienis vitiis maximè seruãda. Rectè *Sanctus Isidorus libro tertio, de summo bono cap. 41. Benè alieni peccati curanda vitia suscipit, qui hoc ex cordis dilectione, & humili conscientia facit. Cæterum qui delinquentem superbo vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit: quicquid enim proteruus, vel indignatus animus protulerit, obiurgantis furor est, non dilectio corrigentis.*

CAPVT XLVI.

ECCLESIASTICVS NON sit litigator.

§. NVLLI conuitium vel contumeliam faciant, à iurgio & litigio temperent. Sic enim præcipit Apostolus, *Clericum oportet esse non litigiosum*, 1. *Timot.* 3. *v.* 3. & 2. *Timoth.* 2. *vers.* 14. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Et versiculo vigesimo tertio & vigesimo quarto. *Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini*

De asini vm bra conten- tio vitanda.

mini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Tit. 3. versic. 9. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ, 1. Corinth. 11. vers. 16. Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Philip. 2. v. 3. Nihil per contentionem neque inanem gloriam. Sanè Apostolus censuit potius iniuriam patiendam, quam iure contendendum, præsertim cum siniſtra opinione, 1. Corinth 6. vers. 7. doctus vtique à Christo, Matth. 5. vers. 40. *Ei, inquit, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

§. Quod adeo verum est, vt neque gentiles fugerit. Chilonis tria præcepta aureis literis Delphis consecrata fuere. 1 *Nosce teipsum.* 2. *Ne nimium capias.* 3. *Aeris alieni atque litis miseriam fac effugias.*

CAPVT XLVII.

LITIGATIO QVANTO ECCLESIASTICIS familior, tanto cautius declinanda.

§. HOc contendendi & litigandi studium siue potius vitium, quanto minus à Clericis alienum, tanto studiosius euitandum, hoc enim humani generis hostis inter fratres serere semper conatus est, quemadmodum de Abel & Cain, Geneſis quarto, versic. quinto. De Joseph & fratribus eius legitimis, Geneſis trigesimo septimo, versiculo quarto. Quin parum aberat, ab omnium illo sanctissimo Collegio, nempe Apostolico, Lucæ vigesimo secundo, versiculo vigesimo quarto. Matthæi decimo octauo, primo. capite vigesimo, vigesimo quarto. nisi pacificator Christus Jesus interceſſisset, ac Sathanam repente eiecisset.

§. Hæc

§. Hæc lis & contentio ne se insinuet, & clanculum irrepat in Capitula, cœtus publicos atque Consilia magnopere prouidendum Ecclesiasticis, quod & cauet *Synodus Toletana* 11. *in formula celebrandi Concilii*, & habetur 5. quæst. 4. cap. 3. *In loco*, inquit, *benedictionis considēs Domini Sacerdotes, nullus debet, aūt indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare: nullus etiā fabulis vanis, aut risibus agi: & [quod est deterius] obstinatis disceptationibus tumultuosas vices effundere. Si quis enim, vt Apostolus ait Iacobus cap. 1. vers. 26. Putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum: huius vana est religio, cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudiciorum obstrepentium turbo confundit, dicente Propheta Isaia 32. v. 17. Erit cultus iustitia silentium. Debet ergo quicquid aut considentium consultationibus agitur, aut ab accusantium parte proponitur: sic mitissima relatione verborum proferri, vt nec controuersis vocibus sensus audientium perturbent; nec iudicii vigorem tumultu eneruent; &c.*

CAPVT XLVIII.

QVÆ MERITO A CONTENTIONE auocare debeant.

Arrogantia & ira litigii prouocatrices.

§. VT à contentione & iurgio longius absint, eius à se causas remoueant, quæ potissimum sunt superbia & iracundia, nam vt ait Salom. *Prou. 11. v. 2. Inter superbos semper sunt iurgia.* Et *c. 15. v. 18 Vir iracundus prouocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas.* Meminerint & 1. quod contentio sit improbi, nota ingenii, *Prou. 17. v. 11. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum. Aristot. lib. 4. Etic. c. 6. Litigiosi, & morosi sunt, qui nullam sibi rationem habere putant, ne sint molesti.* Quod vsuuenit arrogantibus, & irascentibus, ac stomachantibus. Quod & docet Apostolus Rom. 1. v. 29. & 1. Corinth. 3.

rinth.3.v.3. Cum sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 2. Quod proinde: *Honor est homini, qui separat à contentionib. omnes autem stulti miscentur contumeliis. Prou.20.v.3.* Quod diffidentes tãdiu, vt ait *S. Greg. 3 p Past c.23. nulluni boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu à proximorum caritate discordant.* Matt.5.v.23.24.25. 4. *Quod vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Iac.3.v.16.* Vnde Eccles. *c.28.v.10. Abstine te à lite, & minues peccata,* in te sc. & aliis. 5. Quod Apost. Gal.5.v.20. contentionem, rixam, dissensionem numeret inter carnis opera, cœlestis regni aditu prohibentia. 6. Quod cum nemine quidem contendendum, sed minimè cum homine potente, locuplete, & linguace, vt monet Eccles. c.8.v.1.2.4. Similiter non litigandum cum innocente. *Non contendas cum homine frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. Prouerb.3. versic.30.* Neque cum stulto. Prou.29.v.9. *Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.* Nec cum ebrio, cui mentis impoti nihil salutare persuaderi potest.

Quibus cum omnino non nimè litigandum.

CAPVT XLIX.

E PRIVATIS ETIAM DOMIbus altercatio eliminetur

§. EAdem altercatio non tãtum à conuentu publico, sed etiam à priuato reiiciatur colloquio. *Noli contradicas,* ait *Ecclesiast.c.4.v.30. verbo veritatis vllo modo, & de mendacio imeruditionis tuæ confundere. Sermo,* inquit *S. Ambros. l.1.off.c.22. in duo diuiditur: in colloquium familiare, & in tractatum disceptationemque fidei atque iustitiæ. In vtroque seruandum, ne sit aliqua perturbatio, sed tamquam mitis, & placidus, & benevolentiæ plenus & gratiæ, sine vlla sermo*

ducatur cõtumelia. Abſit pertinax in familiari ſermone contẽtio: quæſtiones n. magis excitare inanes, quã vtilitatis aliqd afferre ſolet. Diſceptatio ſine ira, ſuauitas ſine amaritudine ſit, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. Et ſicut in omni actu vitæ id cauere debemus, ne rationẽ nimius animi motus excludat, ſed teneamus conſilii locũ: ita ẽt in ſermone formulam eã tenere conuenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis noſtræ, aut ignauiæ aliqua exprimamus indicia. Sit ergo ſermo hominũ de ſcripturis maxime. Quid n. magis nos oportet loqui, quam de conuerſatione optima, adhortatione obſeruationis, diſciplinæque cuſtodia? Habeat caput eius rationem, & finis modum. Sermo enim tædioſus iras excitat.

CAPVT L.

ENASCENS DISSENSIONIS SCINtilla mox extinguatur.

§. QVOD ſi diſcordia aut contentio orta fuerit, ne creſcat mox in ſtirpe, elidatur. *Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram. Epheſ. 4. verſ. 26. Quia ſicut acetum, ait S. Auguſt. epiſt. 87. corrumpit vas, ſi ibi diutius fuerit, ſic ira corrumpit cor, ſi in alium diem durauerit.* Idem S. Auguſtin. tomo 1. regula 37. & epiſt 109. *Lites, inquit, aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis 1. Ioannis tertio, verſiculo decimo quinto. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Contra implacabiles & inexorabiles tota pugnat diſtinctio nonageſima.

Ira degenerat in odiũ.

CAPVT

CAPVT LI.

ECCLESIASTICVS NON sit procax vel maledicus.

§. MAledicentia dirarumque ac cuiuſuis incommodi imprecatio ſummopere illis vitanda. Sic enim præcipit Apoſtolus Rom. 12. v. 14. *Benedicite perſequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Et Saluator ipſe Luc. 6. v. 28. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Quod & Dominus ipſe noſter re ipſa præſtitit, nam vt eſt 1. Pet. 2 v. 23. *Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* 1. Petri tertio, verſic. nono. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. ſed è contrario benedicentes.* *S. Greg. l. 3. dial. c. 20. de Stephan. presbyter.*

§. Concil. Carthag. 4. cap. 57. & habetur diſt. 46. c. 5. *Clericus maledicus* [maxime in ſacerdotibus] *cogatur ad poſtulandam veniam: ſi noluerit, degradetur, nec vnquam abſque ſatisfactione ad officium reuocetur. Et vigeſima quarta, q. 3. cap. 3.* Qui negligunt, & cap. 38. Deus *Eccleſiaſticus contumelioſus vè niam precetur.*

§. S. Ephrem tom. 1. lib. de virtutibus & vitiis. *Vere,* inquit, *beatus, iterumque beatus ille eſt, qui à deterrimo hoc maledicendi genere ſe integrum cuſtodierit, quoniam Spiritus ſanctus in eo habitabit. Homo maledicus vtroque, & odii, & ſuſurrationis morbo laborat. Et qui talis eſt, fratricida, & crudelis atque immitis cenſetur. Quid hoc ſcelere grauius?* Vnde quoque S. Apoſtolus nefaria impiorum opera prohibens etiam maledicos iis annumerat 1. Cor. 6. v. 10. & 1. Pet. 4. v. 15. *Maledicentia mortiferum & exitiale peccatum.*

§. Maledicentia vitium eſt vix curabile. Eccleſ. 23. v. 20. *Homo aſſuetus in verbis improperii, in omnibus dieb. ſuis non erudietur,* i. nunquã vel egerrime cõtrariã inſtitutionem aut diſciplinam vel cõſuetudinem admittit. 2 Eſt & væcordiæ indicium. *Prou. 10. v. 18. Qui profert cõtumeliã, inſipi-*

*insipiens est.*3. Valde pernicioſa auctori ſuo. Pſ.108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei.* 1. *Corinth.6.verſ.*10. *Maledici regnum Dei non poſsidebunt.* 4. *Tantoque hoc ſcelus atrocius eſt, quanto magis perſonam, in quam intorquetur, amare & reuereri tenemur*, vt ait S. Thomas quæſt.77.art.3.cap. Tales ſunt magiſtratus, parentes, Deus. Hinc illæ diuinæ leges, Exodi 22.verſ 28. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Leuit.20 verſ.*9. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri morte moriatur. Leuit.24.v.*15. *Homo qui maledixerit Deo, portabit peccatum ſuum*, id eſt, ſuſtinebit morte tanti ſceleris pœnam.

Quanto nobis perſona coniunctior vel ſuperior, tanto in illam maledicentia grauius peccatum.

§. Sapientum monita, conſilia, præcepta hac de re audiant. 1. à contumelioſi familiaritate ſe abiungant. *Eccleſiaſt.8.verſ.*14. *Ne contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo*, reſponſa dictaque tria rapiendo in calumniam. Cum maledico, ne cibum ſumamus, hortatur Apoſtolus 1. Corinth.5.verſ 11. 2. Si maledicentia peccauerint, mox reſipiſcant. *Sanctus Auguſtinus epiſtola* 109. *& in regula ſua* 38. *Quicunque conuitio, inquit, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſit, meminerit, ſatisfactione quantocius curare quod facit, & ille qui læſus eſt ſine deſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerunt, inuicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſanctiores habere debetis.*3. Aliena maledicta patienter ferenda. *Beati eſtis*, inquit *Dominus Matthæi quinto, verſiculo vndecimo, cum maledixerint vobis homines.* Et *Apoſtolus primo Corinth. quarto, verſiculo duodecimo. Maledicimur & benedicimus.*

CAPVT

CAPVT LII.

ECCLESIASTICVS NON sit conuiciator.

§. NVLLI conuitium faciant: nam & comminatur Dominus, *Matth. quinto. Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quinimo, vt ait *in Lælio Tullius, Monitio acerbitate & obiurgatio contumelia vacare debet.*

§. Et quamuis duro & aspero verbo imo & damno, & verberibus culpa coerceri possit, qua de causa, & *Dominus discipulos stultos, Lucæ 24. v. 25.* & *Apostolus* Galatas cap. 3. v. 1. *appellauit insensatos*, vt notauit *S. Thomas 22. quæst. 72. articul. 2. ad 2.* Illud tamen accurate tenendum, quod sapientissimè monet *S. Augustin. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 19. Raro & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt, ita tamen, vt etiam in his ipsis non nobis, sed Domino vt seruiatur, instemus.*

Omnis animaduersio contumelia vacare debet.

§. Quod si nobis eiusmodi contumelia imponatur, moderatè toleremus. *Si enim*, vt ait *Saluator Matth. 10. vers. 25. Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Placeo, inquit Apostolus 2. Corinth. 12. vers. 10. mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et *Act. 5. v. 41. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij: quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESV *contumeliam pati. Plinius lib. 22. cap. 11. Adyantem herbam, inquit, etiamsi perfundas aqua aut immergas, tamen siccæ similis est. Ita in virum bonum non hæret contumelia aut infamia, etiamsi quis infamare conetur.*

Patientia in contumeliis.

CAPVT LIII.

DEI EXECRATIO SVMMOPERE Clerico vitanda.

Quid blasphemia.

§. BLasphemiam, quæ est cõtumelia in Deum prolata, qua ei vel attribuitur quod non conuenit, vel quod conuenit, negatur, vt docet S. Thom. 2.2.q. 13.art.1. prorsus abhorreant & execrentur, vt quæ homicidio grauius peccatum est, & difficulter impunitatem obtinet, Matth.12.v 32. & morte mulctanda, Leuit.24, v.1. & ad inferos damnatorum officium est diuinam perpetuo iustitiam detestantium, vt tradit S. Thom.22.q 13.art.4. de quo Apoc.16 v.9. 11.21.22.q.1. can. 10. *Si quis per capillum Dei vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit: si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus anathematizetur. Et si quis per creaturam iurauerit, acerrime castigetur: & iuxta id quod Synodus diiudicauerit, pœniteat.*

CAPVT LIV.

A IVRAMENTIS CLERICIS abstinendum.

De iuramẽto 22.q.1. tota.

Quo permissum modo iurare.

Deus ipse sanctique aliquando iurauerunt

§. IVramentum non nisi grauissima vrgente necessitate, vbi Dei honor, salus nostra, aut proximi agitur, vsurpent, & tunc iureiurandum dent *in veritate & iustitia, & iudicio*, vt est Hierem. 4. versiculo secundo. id est, *de re vera & ipsis certa, de re iusta & licita, de re magni momenti & ponderis cum debita cõsideratione & reuerentia, quemadmodum explanat Sanctus Thomas vigesima secunda, quæstione octuagesima nona, articulo tertio.* Sic enim conceditur & licitum est. Nam & ipse DEVS iurauit Psalmo 94.

mo 94.verſ.11. & Pſal.109.v.4. & permiſit, vt per ſe & non alienos deos iuramentum præſtaretur. *Deuteron. 6.verſ.13. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Iurarũt & prægnantibus de cauſibus ſanctiſſimi viri Abraham, Geneſ.21 verſ.23. Iſaac 26.verſ.31. Iacob Geneſ.31.verſ 47. Sæpiuſcule iurauit Dauid per vitam Dei, hoc eſt ipſum Deum dicens: *Viuit Dominus,* 1 Reg. 26.verſ.10.16.& 2.Regum 4 verſ.9 cap.6.verſ 21. cap. 12.v.5.cap.14.v.11.& 3 Reg 1.v.29. Iurauit & Apoſtolus Rom.1.v.9.2.Corinth.1 v.23.Philip.1.v.8.1.Tim.5. verſ.21.

Quando in ſignis in Deum contumelia, iuramentum.

§. Extra hanc neceſſitatem iureiurando inſignis Deo irrogatur contemptus & iniuria, vt qui rei falſæ cum ſit ipſa veritas, vel leuiculæ cum ſit ſuprema Maieſtas, aut illicitæ cum ſit immenſa iuſtitia, teſtis adhibetur, vt optime oſtendit S.Chryſ.hõ.9.in Apoſtol.Actus, qui & hac de materia plura homil 4.5.6.7.8.9.10. ad Antioch.

Male iurãtium pœna.

§. Et propter hanc diuini dehoneſtamenti cauſam & in lege, & in nouo teſtamento prohibetur iuramentum.Exodi 20.v.7. & Deut.5.v.11. *Non vſurpabis nomen Domini Dei fruſtra: quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit.Eccleſ.23.v.8.9.10. Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Nominatio vero Dei non ſit aſsidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis.* id eſt, propter nominationes Sanctorum. vel hominum, vel rerum non eris impunitus & liber à vindicta Dei. Et verſ.12. *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet plaga de domo eius. Et capite 27.verſiculo decimo quinto. Loquela multum iurans horripilationem capiti ſtatuet, & irreuerentia ipſius obturatio aurium.* Hoc eſt, Tam odioſus piis eſt iurantis ſermo, vt præ illius horrore & capitis pili erigantur, & ſuas aures obſtruant.

Iuramentum alienos à Christianos Dominus.

§. *Dominus vero noster Iesus Christus, Matth.5.v.35. Audistis, quia dictum est antiquis: Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino* [vllo modo ne verum quidem citra necessitatem] *neque per cœlum, quia Thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis* [Dei] *neq; per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, nō, quod autem his abundantius est, à malo est*, id est, à maligno dæmone instigante, non à Deo suadente, sed seuerè inhibēte. Est & à malo, id est, malum, quod sine Deo fideiussore, vel iurans fidem non mereatur, vel iuramentum accipiens non fidat. vt hic S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 30. & B. Chrys. hom. 9. in Apostol. Actus. *Iurans temere & se infamat, tanquam mēdacem, & fide indignum, & alios quos indicat esse suspicioſos & incredulos. S. Iacob. c. 5. v. 12. Ante omnia fratres mei nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; quodcunq; aliud iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non nō, vt non sub iudicio decidatis*, id est, ne incōdemnationem & æternum supplicium incidatis. Eam S. Jacobi sententiam explanans *S. Aug. serm. 30. de verbis Apostoli c. Isto*, inquit, *verbo, quod ait Ante omnia, cautos nos fecit aduersus linguam nostram. Ante omnia, ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis, ne surrepat vobis consuetudo iurandi. Tanquam in speculo, sta te posuit contra te. Nolles vt diceret tibi ante omnia, vt te aduersus consuetudinem intētissimum redderet, vt omnia tua inspiceres, vt omnes motus linguæ tuæ diligentissimè custodires, esses custos malæ consuetudinis tuæ. Rectè igitur S. Hier. in cap. 5. Matt. Euangel. Veritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.*

CAPVT

CAPVT LV.

A VERBERATIONE TEMPERET Ecclesiasticus.

§. CVM à verborum iniuria continendum sit, multo magis à rixa, aliorum pulsatione & verberatione, se cohibeant oportet. Filii Aaron sacerdotes clangent tubis, vt est Numer. 10. ver. 8. non pulsabunt hostem manibus, increpuitque Petrum, quantumuis pro se pugnantem Christus, *Matth. 26. vers. 52. Conuerte gladium in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Clericum etenim non esse percussorem exigit Apostol. 1. Tim 3. v. 3. & Tit. 1. v. 7.

§. Et quidem *Anacletus dist. 45. c. 19. Sane percussor, ait ille Doctor dicitur, qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum.* Et *S. Hier. l. 1. aduersus Iouin. c. 20. qui conscientias*, inquit, *non percutiat singulorum*, siue importuno verbo, siue prauo exemplo. Sic & Ansel. & Theoph. & Chryl. Sanior tamen & germanior expositio est : vt nō sit percussor, qui violentas aliis manus non adferat, qui non sit asper & crudelis in domesticos & subditos, *tam enim alienus à cædendi asperitate debet esse sacerdos, quam promptus & paratus ad excolendam humanitatem, vt alibi dixit S. Greg. Nyss.* Hoc pugilū, hoc gladiatorū, hoc militū vt sit, profecto Clericum summopere dedecet, vt eas violenter manus alicui inijciat, quæ Deo solenni ritu consecratæ sunt, quæ extensæ pro omnibus Numini supplicant, quæ in eius honorem tremēda corporis & sanguinis Christi mysteria peragunt. *Percussorem Episcopum*, ait *S. Hier. epist. 83. ad Ocean. c. 4. ille condemnat, qui dorsum suum posuit ad flagella, & maledictus non remaledixit.* Ex quo mutuatus Grat dist. 45. c. 1. vbi contra tundentem & verberantem Clericum plures exstant Canones 2.

Quis Apostolo percussor.

Cur verberatio Clericum dedeceat.

3.5.9.17. Octauus Canon, qui Apostolorum est, hunc in modum habet: *Episcopum aut Presbyterum, aut Diaconũ percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per huiusmodi volentem timeri, deijci ab officio suo præcipimus: quia nunquam nos docuit hoc Dominus, sed è contrario ipse cum percuteretur non repercutiebat, cum malediceretur non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Neque solum exemplo, sed & verbo percussorem cõdemnat Dominus Matt.24.v.48. De hac re Conc. Trid. sess.13. c.1. de Refor. Sunt tamen & Ecclesiasticis sua arma, sed spiritualia, 2.Cor.10. & arma lucis, Rom.13. quæ arma sunt lectio & oratio, his diabolus expugnatur, vitia reprimuntur, virtutes nutriunrur, æterna beatitudo acquiritur, vt ex S. Aug. Burchard, l.2.c.10. & Iuo P.6.c. 177.

Percussor Clericus officio mouendus.

CAPVT LVI.

CIBI ET MAXIME POTVS IMMOmoderatio Clericis euitanda.

§. INgluuiem, gulam, immoderatam cibi potusue appetentiam & sumptionem, eorundemq; oblectamenta, si diuinæ voluntati anteponantur, vitium non modo lethiferum, sed & capitale, ac multorum scelerum seminarium, ac omnem intemperantiam diligẽter caueant. Id enim iniungit Clericis Apostolus, 1.Tim.3.v.3. cum ait, *Oportet eum non esse vinolentum*, quod iterum inculcat Tit.1.v 7. & 1.Timot.3 v.8. *Vult Diaconos non multo vino deditos. Non dixit*, teste Theophilacto, *temulentos aut ebrios, hoc enim est omnino indignum, verum non multum potantes: potatio, siquidem multa animæ, mentisq; vim & vigorem, licet non eripiat, laxat tamen & debilitat malique est exempli.* Neq; solum Deus vino obrutis, sed & multum vinum citra temulentiam ferentibus sempiternũ comminatur exilium. *Isa.5.v.22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

Ipsa ad nimiam vini potationem propensio Clerico cõprimenda & edomanda.

§. Ab eadem cibi potusue helluatione formidandi sui iudicii exspectatione & metu deterret Dominus, *Luc.21.v.34. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in*

crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Quam Domini sententiam, cum citasset S. Cyril. Alex. c. 7. *in Leuit. Audistis*, inquit, *edictum regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus & sapiens medicus his ipsis verbis præciperet & diceret: Attendite ne quis [v.g.] de illius, vel illius herbæ succo auidius sumat: quod si fecerit, subitus ei veniet interitus: non dubito quod vnusquisq; propriæ salutis intuitu, præmonentis medici sententiam seruaret. Nunc verus animarum & corporum medicus simulque Dominus iubet ebrietatis herbam, & crapulæ vitandam, similiter & sollicitudinem sæcularium velut mortiferos succos cauendos, & nescio si quis nostrum non in his consumitur, ne dixerim sauciatur.* Ista B. Cyrill. Eandem Saluatoris nostri sententiam Clericis statuto suo apud Iuonē in Decret. p. 13. c. 71. & Burch. l. 14. Decret. c. 3. inculcat & cōmendat S. Eutych. Pap. & mart: *Epi*, inquit, *& Dei ministri non debent cōmessationib. & vinolentiis incūbere, sed considerent sententiam Dom. dicentis: Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Moderate oēm cibū & necessario sumptu sumant, vt iuxta Apostol. sobrij sint, & parati ad seruitium Domini.* De hoc vitio dist. 44. tota.

Diuinī iudicii metu interpretātia vitanda.

Intēperantia deuitanda.

CAPVT LVII.

Apostoli rationes, cur Ecclesiasticis abhorrendum ab intemperantia.

GAstrimargiā atq; intēperantiam vt oderint & fugiant, multa argumēta suggerit proponitq; Apostol. 1. q. cibariorū poculorūq; vius ex se neq; durabilis neq; laudabilis sit. 1. *Cor. 6. v. 13. Esca ventri (destinata) & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* In morte scil. & resurrectione, tunc n. venter nō amplius escis pascet. *Rō. 14. v. 17. Regnū Dei non est esca & potus.* 1. *Cor. 8. v. 8. Esca nos non cōmendat Deo.* Ex quibus recte cōcludit *Heb. 13. v. 19. Optimū est gratia stabilire cor, nō escis, quæ nō profuerunt ambulātibus in eis*, i. e. conuiuia & epulationes sectantibus. Imo & obfuerunt, animo iuxta ac corpori. *Eccles. 37. v. 32. 33. 34. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appro-*

Gula brevis & illaudabilis.

pinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Gula pudẽdum vitiũ.

§ 2. Quod gula sit opus tenebrarum & erubescendum, quod nimis nisi os frontemque perfricuerit, & omnia pudoris repagula perfregerit, nisi timidè, clã, & repugnãter admittat. Rom. 13. v. 12. 13. *Abijciamus opera tenebrarum. Non in commessationibus & ebrietatibus. Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* 1. Thessal. 5. v. 7. *Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.*

Non spiritui, sed carni dediti gulosi.

§ 3. Quod gulosorum intemperantiumq; vita carnalis sit, ac Deo inuisa. *Rom. 8. v. 5. & 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quin & talia crapulæ & vinolentię mancipia à beluis naturali frugalitate contentis superantur. *S. Chrys. homil. 44. in Ioan. Nihil gula pernitiosius, nihil ignominiosius est. Hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectũ nec sinit, vt quicquã perspiciat. Et hom. 58. in Matth. Sues ex hominib. facit, imo ẽt suib. multo deteriores. Nolite pati peiores bestiis homines fieri: nihil n. vltra quã opus est, illæ desiderant. Quanto melior est asinus ebrioso, quãto canis præstantior? S. Hier. ep 53. ad Ocean. c. 4. Sacerdotes,* inqt, *qui ministrant in tẽplo Dei, prohibentur vinũ & siceram bibere, Leu. 10. ne in crapula & ebrietate aggrauẽtur, corda eorũ, & vt sensus officiũ exhibens, Deo vigeat semper, & tenuis sit. Et ep. 2. ad Nep. c. 14. Vinolentos sacerdotes & Apostol. damnat, & vetus lex prohibet. Qui altari deseruiunt, vinum & siceram non bibant. Quicquid inebriat, & statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum.*

Gula fomes luxuriæ.

§ 4. Quod sit libidinis seminariũ & fomentũ, *Eph. 5. v. 8. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et *Prou. 20. v. 1. Luxuriosa res vinum & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur non erit sapiens.* habetur & dist 35. cap. 4. *S. Greg. l. 30. Mor. c. 27. Cum ad Ierusalem dicitur Ezech. 16, v. 44. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit,*

quia

quia superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. S. Hier. epist. 22. ad Eustoch. de cast. virg. c. 4. Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Libido iuncta luxuriæ, prius enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur Idem S. Hieron ep 83. ad Ocean. c. 4. Vinolentus, Vinolentia scurrarū est & commessatorum, venterq; mero æstuans cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia, qui luxuriatur viuus mortuus est, ergo qui inebriatur & mortuus & sepultus est. Neq; solū libidinis incentiuum est gastrimargia, sed & aliorum origo malorum. *De ventris ingluuie, ait S. Greg l. 31. Mor. c. 31. inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.*

Vinolentus, samio.

§ 5. Quod gula sit sacrarum, diuinarumq; rerum aspernatrix. Hinc A post. *Heb. 12. v. 16. Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Gen. 25. v. 33* In cuius ep. cōment. *S. Ioā. Chrys. hom. 31. Ne quis prophanus. Hoc est,* inquit, *gastrimargus & intemperans, & mundanus, spiritalia repellens. Qui propter vnam escā, inquit vendidit primitiua sua, qui honorem quem à Deo perceperat, per propriam negligentiam & cupiditatem vendidit, qui pro parua libidine magnum honorem & gloriam perdidit sempiternam.* Primogenitus in naturæ lege tribus gaudebat priuilegiis. 1. principatu in fratres. 2. potissima hæreditate. 3. sacerdotio. *Gē. 49. v. 3. Rubē primogenitus meus, prior in donis, maior imperio.* S. Hier hunc locum in tradit. siue 99. habetur, sic exponit: *Debebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ & hæreditatem, quæ primogenitis iure debebatur sacerdotium scil. & regnum accipere, sed pœnam peccato luens primogeniti ordinem perdidisti. Deut. 21. v. 17. Dabit ei de his quæ habuerit cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* S. Hier. ep. 126. ad Euag. Hebræi, inquit, *tradunt quod vsq; ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe, cuius series & ordo describitur, fuerint*

Gula spiritualium rerum cōtemptrix.

Prærogatiua primogeniti.

rint sacerdotes, & Deo victimas immolarint, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Iacob. Et in Traditionib. Hebraicis. Et sumpsit Rebecca vestimẽta Esau filij sui maioris, quæ erant apud se desiderabilia domi Gen. 27. v. 15. Et in hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio sacerdotum, & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur. Idem docet S. Th. 22. q. 100. ar. 4. & in hunc S. Pauli locum. Et B. Clem. P. 8. Const. Apostolicar. c. 3. Itaq;, quia cum primogenitura coniunctũ erat sacerdotium merito Esau profanus appellatur ab Apostolo, vt qui rem sacram contempserit, violauerit, & vilissimis escis posthabuerit. Gen. 25. v. 33. & 34. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio comedit & bibit, & abijt, parui pendens quod primogenita vendidisset. Vt ergo quam longissimè à profanis Esauitis absint Clerici, nunquã epulationes diuinis anteponant officiis, nec ab his longioribus alios conuiuiis impediant. S. Hier. l. 1. aduers. Iouin. c. ex Galeno, ait, *gulosorum animas nimio sanguine & adipibus, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus & ructu, & ventris ingluuie cogitare.* quomodo igitur cogitationem de diuinis rebus suscipiant? quomodo non cœlestia aspernentur?

Gula forma idololatriæ. § 6. Apostoli ratio, cur deuitanda gulositas & heluatio, quod sit quoddam idololatriæ genus. Rom. 16. v. 18. *Huiusmodi Christo Domino nostro non seruiunt sed suo vẽtri.* Phil. 3. v. 19. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* In quam Apostoli epist. & pariter sententiã hom. 13. S. Chrys. *Quid est illis Deus? Hoc sc. cõmedamus & bibamus. Vides quãtum malũ sint delitiæ? Alijs quidem pecuniæ, alijs vero Deus venter est. An non & isti idololatræ sunt, illis quoq; peiores? Quando n. omnem vitam quis in potationibus & cõmessationibus insumpserit, & in pauperes quidem modica quædem, potiorẽ vero partem in ventrem impenderit & consumpserit, nonne & de illo istud merito dicetur? Et hom. 17. in 1. Corint. Quum inquit, Quorum Deus venter est, non de parte corporis locutus, sed de ciuitate. Et 1. Cor. 10. v. 7. Neq; idololatræ efficiamini, sicut quidam*

ex ipsis

ex ipsis, quemadmodum scriptum est Exod.32.v.6. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Causam huius iniquitatis teste S.Chrysost.hic hom.23. adducit in medium, gulam scil.

§7. Apostoli argumentum, cur gastrimargia sit fugienda, quia miserum hominem sempiternis mactandum suppliciis exponit. *Rom.8.v.6. Prudentia carnis mors est.* id est, solertia excogitandi, quæ carni placent, & ea consectandi affectus generat corporis interitum, peccatum animæ mortem, ac per illud pœnam æternam. *1.Cor.6.v.10. Ebriosi regnum Dei non possidebunt.* Ebriosi nō hic frequētiam vel consuetudinem significat, sed actū vnum quo sponte se homo priuat pernimium potum vsu rationis, vt sit quasi bestia, qua & intemperantia se homo exponit periculo rixæ, libidinis, suæ vel alterius necis, &c. Quæ interpretatio non modo inde constat, quod μέθυσοι tam ebrios quam ebriosos significet, sed etiam quod huic ebrietati ab Apostol. adiuncta scelera vt fornicatio, adulterium, idololatria, furtum, rapina, maledictum, actum vnum denotent, & hoc à cœlesti felicitate excludāt. *Gal.5.v.21. Opera carnis sunt ebrietates, comessationes, & his similia, qui talia agunt, regnū Dei non consequentur, 1.Tim.5.v.6. Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est. S.Chrys.l.3.ad Quirin.* legit.c.74. *Quæ autem delicata est, viuens mortua est.* Viuens carni, mortua Deo, viuens corpore, mortua animo. *Theodor.* hic *Immodicæ deliciæ rationem obruunt & efficiunt, vt in corpore tanquam in aliquo sepulchro iaceat.* Videatur hic S.Chrys. vbi & inter cætera, *Si, inquit, vbi ætas & sexus infirmior est, deliciæ ita prohibētur, quippe quæ mortis auctores sunt, & mortis æternæ, quid dicturi sunt viri, qui se deliciis soluunt. Neq; velim lætam subridentemq; faciem cernas, sed intuere hominū delicioforum animas deiectas, mœstas, tristes, fœdas, macieq; confectas. Quāto enim corpus pinguedine crassitudineq; distēditur, tāto anima extenuatur magis atq; imbecillior fit, ac tāto magis obruitur atq; sepelitur. Fugiamus huius vitæ delitias, vt veras æternæ vitæ delicias mereamur: deli-*

tias inquam æternas, ignaras mali, bonisq; immortalib. plenas. Quibus vtinam, simul omnes perfruamur in Christo Iesu Domino nostro, cui est cum Patre & Spiritu S. gloria, imperium & honor in sæcula sæculorum, Amen.

§. Eadem prorsus est & sæpius repetita Saluatoris doctrina, ne in obliuionem veniat Mat. 24. v. 48. *Quod si dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœpit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die, qua nō sperat, & hora, qua ignorat & diuidet eum* [exturbādo è familia sua] *partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dētium, Luc. 6. v. 25. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis, Lu. 16.* Dives ille & purpuratus epulo sepultus est in inferno. De hac materia dist. 35. tota & similiter d. 44

CAPVT LVIII.

INDIGNISSIMVM ECCLESIASTI-sticis vrgere alios poculis.

§. NEque solum ipsi Domini à crapula & ebrietate abstineant, sed etiam conuiuas vel alios crebrioribus inuitationibus, grandioribus poculis & vitris blanditiis aut minacibus verbis, offensæ simulatione, vel vera indignatione, & id genus similibus modis ad eadem vitia nō impellant, hoc enim non beneuolentiæ, sed maleuolentiæ indicium est, vt more suo optimè docet *S. Aug. serm. 231. de temp. Qui alterum cogit, vt se plus, quam opus est bibendo, inebriet, minus malum eius erat, si carnē eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatē necaret. O infelicitas generis humani, quā multi inueniuntur q. ebriosos & luxuriosos amplius quā oportet cogūt bibere, & ante ostiū pauperibus petentibus vel vnū calicē dissimulant dare. Nec attendūt q. illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus, deberet accipere, qui dixit Matt. 25. v. 40. Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios*

Magis lethiferum vulnus ebrietatis quam gladii.

Quod inuitis, & sæpe sceleratis infūditur, hoc egenis tribuendum.

alios adiurare vel cogere voluerit & pro se, & pro illis in die iudicii reus erit. Et quia quod peius est, aliqui etiam Clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere aliquos plus quam expedit, à modo incipiant & seipsos corrigere, & alios castigare, vt cum ante tribunal Christi venerint, nec de sua nec de aliorum ebrietate, incurrant supplicium. Sed magis dum & ipsi se emendant & alios castigare non cessant, peruenire ad æternum præmium mereantur.

Vrgent adebrietatē clerici repugnātes, qui prospensos etiam cohibere deberent.

§. Rursum S. Augustinus, vt potandi potumq; vrgendi abusum pœnæ metu tanquam clauum clauo pellat sermone sequenti, hoc est 232. de tempore. cum dixisset, quod cum nemo nostrum velit habere seruum ebriosum & quisque nostrum sit seruus Dei non deceat, vt sit ebriosus, subjungit: Ideò carissimi tanta infelicitate se inebriant homines: quia putant ebrietatem aut nullum peccatum esse, sed pro ista ignorantia maxime Sacerdotes in die iudicii reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate nascuntur, noluerunt prædicare. Qui ergo credit ebrietatem paruum esse peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit 1. Cor. 6. v. 9. 10. Et ideo definiat ac deliberet vnusquisque apud se, ebrietatem graue esse peccatum, & hinc aut nunquam aut difficile eum ebrietas poterit superare. Et hæc quidem non solum laicis, sed etiam Clericis dicimus. Quia quod peius est, multi sunt etiam maioris ordinis Clerici: qui cum aliis sobrietatis bonum deberent iugiter prædicare, non solum hoc non faciunt, sed etiam & se aliosq; inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant & doleant, quicunq; tales sunt, quia si se noluerint emendare, & pro se & pro aliis necesse est eos æterna supplicia sustinere. Et ideo rogo, & per tremendum diem iudicii vos adiuro, vt quantum potestis, ebrietatis malum, auxiliante Deo, fugiatis. Qui amico suo nimium propinat, in anima efficitur inimicus, corpus quoq; eius debilitare, & animam probatur occidere.

Ebrietatis causſa, falſa de eius peccati exilitate opinio.

Cum adulteris & homicidis damnatur ebrius.

Clericus ſe vel alios inebrians perpetuis ſupplicijs.

Hostis non amicus ad intemperantiam inducens,

§. Ista & multo plura vtroque sermone S. Augustinus, cui adjungemus & S. Ambros. libr. de Helia & jejunio cap. 14. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, cogis ad mortem. Inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quicquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit.* Sanctus Basilius homilia 14. de luxu & ebrietat. *Vocas*, ait, *ad cœnam, vt amicum, postea eiicis, vt cadauer anima illius exstincta.*

Alios inebriantium culpa & pœna.

§. His astruantur: Quod qui alium inducit in peccatum mortiferum, qualis est ebrietas & ipse mortifere peccat. *Non solum qui talia faciunt*, inquit Apostolus Rom. 1. versic. 32. *digni sunt morte, sed etiam qui facientibus consentiunt.* Si consentientes, quanto magis impellentes. Et Habacuc 2. versic. 15. 16. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius* (id est, vt vino obrutum aliorum delectamentum & ludibrium faciat, nudari enim solet & rideri ebrius, vt contigit Noë Genes. 9. ver. 21. Sed quod sibi gloriosum putauit vertetur in ipsius dedecus, & pro hoc scelere tàm copiosè hauriet *è calice furoris Domini*, Psal. 10. versicul. 6. 7. vt præ suppliciorum multitudine & magnitudine, è sensuum potestate exeat, quem ita vndique tormentis vallabit Deus, vt nullum pateat effugium, eritque hoc ipsius honori turpissimum ac fœdissimum, sicut vomitus ebrio, quo se aliosque commaculat, istud enim est quod sequitur) *Repletus es ignominia pro gloria, bibe tu quoque & consopire, circumdabit te calix dexteræ furoris Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* De alios inebriantium vino illud Deuter. 32. versic. 32. & 33. rectè intelligitur: *De vineâ Sodomorum vinea eorum & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel Draconum vinum eorum, & venenum*

venenum aſpidum inſanabile. Nam vt ait Salomon Prouerb. 23. verſic. 31. 32. *Vinum ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordet vt coluber, & ſicut regulus venena diffundit.*

§. Denique Spiritus ſanctus & Eccleſia in magno illo & generali Concil. Lateranenſ. ſub Innocent. III. cap. 15. & cap. à crapula de vita & honeſtate Clericorum, hoc decretum conſtituit, quod & Synodus Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de Reform. renouauit. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, vnde ſibi vinum temperent, & ſe vino. Nec ad bibendum quiſpiam incitetur: cum ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores. & illo iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit, ab officio vel beneficio ſuſpendatur.*

Et Clericis & eorum cõuiuis moderate ſumendum vinum

CAP. LIX.

ECCLESIASTICO VITANDA menſa eorum, qui ad pocula ſolicitant.

§. QVod ſi vt vſus docet, eam ad menſam vocati fuerint, vbi ſe dapibus poculisque onerandos præſentiunt, non verecundè modo, ſed & conſtanter tergiuerſentur malintque hominem potius, quam Deum offendere, præcipientem Prouerb. 23. ver. 20. *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt.* Et Lucæ 21. verſ. 34. *Attendite ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, &c.* Et animæ ſalutem ebrietate perdendam quibuſuis expectatis à Sympoſiaſte emolumentis

anteponant. Socratis apud Stobæum libr. 1. de prudentia effatum est: *Aut quam grauissimè aut quam rarissimè cum proceribus conuiuandum esse.* Quod & censet Sanctus Hieronym. epistola 2. ad Nepot. de vita Clericorum cap. 23. *Conuiuia*, inquit, *tibi vitanda sunt secularium, & maximè eorum, qui honoribus tument.* Et cap. 17. *Consolatores nos Christiani potius in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis nouerint. Facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, non recusat.*

Frequens in conuiuiis clericus despicatui est.

§. Idem omninò suadet laudatq; S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 20. *Habet sanè suos scopulos*, ait, *verecundia, non quos ipsa inuehit, sed quos sæpè incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie iucunditatis venenum infundunt bonis, hi si assidui sint, & maximè in conuiuio: ludo acioco eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus itaq; ne dum animum relaxare volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Vsus enim citò inflectit naturam, vnde quod prudenter facitis, conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus sit opprobriis locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo ac voluptatibus, claudere aures non potes: prohibere putatur superbia: surrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est domui tuæ semel excuses, necessitati satisfaciendo, quam alienæ frequenter: & vt ipse sobrius surgas, tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua.*

Quid si hoc sæpius contingat in Ecclesiasticorũ epulationib.

B. Aug. cur conuiuia nõ adierit.

§. S. Augustinus *commendabat & obseruabat* B. *Ambr. institutum teste Poss. in* B. *Augustin. vita, vt in patria sua petitus ad conuiuium non iret, ne per frequentiam in patriæ conuiuis constitutus temperantiæ amitteretur modus.* Quia & illa humana recusatio & honesta declinatio offensionem effugiet, & auctoritatem atque beneuolentiam conciliabit. *Huc* spectat illud Ecclesiast. cap. 13. v. 12. *Aduocatus*

à po-

à potentiore discede, ex hoc enim te magis aduocabit. Nimia familiaritas qua notantur vitia despicatũ parit, & talis habetur ollæ amicus, mensarum aflecla, cuticulæ & abdominis curator.

CAP. LX.

OPORTET MAGIS OBEDIRE DEO temperantiam præcipienti, quam hominibus intemperantiam vrgentibus.

§. QVod si aliqua importunitate, vel artificio, mali timiditate, vel boni specula eiusmodi in Sympoſium inducti fuerint, in diuini Numinis metu & temperantia animum offirment, neque tam vini solicitatorum offensam pertimescant, quam admirationem & gratiam præstolentur. Documentum, hoc est præcipui Ecclesiæ Doctoris S. August. serm. 232. de Temp. *Solent ebriosi ita se excusare, vt dicant: Persona potens me coegit, vt amplius bibam, & in conuiuio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus: & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris, melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso obiicitur. Ipsi enim Reges, & quicunq; alii sunt potentes, quia Deo propitio & Christiani sunt & prudentes sunt & sobrii, & toto corde Deum timentes. si te viderent desiniſſe, vt eis non acquiescas inebriari pro timore Dei, si tibi sub mora videantur irasci, postea vero te in grandi admiratione suscipiunt dicentes: Quantum cum illo egimus, quantis illum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus. Nam & Deus qui te videt per eius amorem inebriari non velle, ipse etiam*

Satius à cogente ad niamiam potationē sobria caro, quam ebrietate anima occiditur.

tibi gratiam illorum dabit, qui te vt amplius biberes videbantur hortari & cogere. Nemo dicat fratres carißimi, quod in iſtis temporibus Martyres non ſint, quotidiè Martyres fiunt. Martyr enim teſtis interpretatur. Quicunq; ergo pro veritate teſtimonium dederit, & omnes cauſſas cum iuſtitia iudicauerit, quicquid pro teſtimonio veritatis vel iuſtitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit. Ac ſic & ille qui ebrietati reſiſtit, ſi cum Dei adiutorio perſeuerare voluerit, & pro ipſa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad martyrii gloriam reputabit.

Martyriũ & veritatis teſtimoniũ ac iuſtitiæ inebriari nolle.

CAP. LXI.

LIVOR ECCLESIASTICORVM corruptor.

Exitiales inuidiæ fructus.

§. *INuidiam interitum vitæ, peſtem naturæ, aduerſam omnibus bonis ex Deo venientibus, ipſi Deo contrariam, intolerabile malum, ſerpentis præceptum, Diaboli inuentum, inimici ſationem, punitionis arrhabonem, pietatis impedimentum, viam ad gehennam, regni cœlorum priuationem*, vt loquitur S. Baſil. homil. 11. de hoc ipſo ſcelere diſſerens, cane pejus oderint & angue Clerici. Hoc ſiquidem mortiferum virus non rarò in Clericos eructat, euomitque maleuolentiſſimus dæmon. 1. Nam & Coritæ Leuitici Ordinis Aaroni & ipſius familiæ ſummum inuidere Sacerdotium & idcirco terra dehiſcente ad inferos delapſi. Num. 16.

Inuidia ſæpè à Clericis nõ abeſt.

Apoſtolorum æmulatio caſtigata.

§. Eadem inuidiola in Apoſtolicum chorum irrepere conata eſt, & quidem ſæpius. Matth. 18. verſic. 1. & ſeq. de quo loco S. Cyprian. libr. de zelo & liuore. *Idcirco fratres dilectiſſimi*, inquit, *huic periculo conſulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret: cum eum diſcipuli interrogarent Luc. 9. v. 46. & ſeq. quis inter illos maior eſſet. Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit*

erit magnus. Amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causſam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit, Discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus vnde placeamus,

§. Rursum Matth. 20. v. 24. qua de re hunc in modum loquitur S. Heron. epistol. 146. ad Damasum. *Vt doceamur*, ait, *in Sanctos quoq; cadere inuidiam, & soli Deo puram clementiam derelinqui; filiorum Zebedæi consideremus exemplum, pro quibus cum mater, mota pietatis affectu, nimis grandia postulasset, reliqui decem discipuli indignati sunt. Nulli periculosum, nulli videatur esse blasphemum, quod & in Apostolos inuidiæ malum diximus potuisse subrepere:*

Iudæos inuidia perdidit.

§. *Iudæi nonne inde perierunt*, ait S. Cyprian. loco citato, *dum Christo malunt inuidere, quam credere? Obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excœcante decepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.* Quos inter inuidentiæ vexillum aliis prætulerunt Pontifices liuore in Christi necem armati, de quibus Marci 15. v. 10. *Sciebat Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes.*

§. Sanctorum Patrum querela est suo ipsorum tempore Ecclesiam Ecclesiasticosque viros in propriam perniciem inuidiæ flammis conflagrasse, & de nostro tempore id docet magistra rerum experientia. Sanctus Cyprianus tractatu de zelo & liuore. *Hinc*, inquit, *Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis aut queritur, non sepotius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum.*

Superba inuidia, & inuida Clericorum superbia.

Sanctus Chrysostomus homil. 41. in Matth. cum plurima invidię commemorasset incommoda, subjungit: *Quibus de causis fit, vt vehementius doleam, atq; crucier, cum videam nos, qui angelos atq; archangelorum Dominũ imitari ex præcepto*

præcepto debemus, Diabolum obnoxia æmulatione zelare Sap. 2. v. 24. *magna enim etiam in Ecclesia, & in Clero, multoq; maior, quam in laicis est inuidia.* Et hom. 44. ad Antioch. *Inuidiæ vis totam subuertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Quodcunq; malum videris, ex hac radice producitur, iam enim & in Ecclesias debacchata est, & prius innumera perpetrauit mala.* S. Gregorius libr. 3. Dialog. c. 15. *Quatuor Monachis Florentio inuidentes, quod vrsus eius oues pasceret, vrsum occiderunt, qui elephantino morbo diuinitùs percussi putrescentibus membris interierunt.*

CAP. LXII.

CVR MERITO AB INVIDIA Abhorreat Clericus.

§. AB hac inuidentia alienissimum esse virum Ecclesiasticum desiderauit, & præcepit Apostolus 1. eo ipso quod prohibuit esse superbum Tit. 1. v. 7. Siquidem superbiæ filia & pedissequa est inuidia, quemadmodum optimus auctor docet S. August. lib. 11. de Genes. ad literam cap. 14. *Cum, inquit, superbia sit amor excellentiæ propriæ; Inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est, amando enim quisq; excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus quod iis non coæquetur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisq; superbus est.* 2. Remouet & à Clerico inuidiam Apostolus, cum jubet esse benignum, Tit. 1. vers. 8. φιλάγαθος, id est, qui sit probo ingenio bonarumq; rerum ac hominum amans & studiosus, qui piis operibus & virtutibus delectetur alienis. At inuidia aliena infelicitate lætatur & fælicitate cruciatur. 3. Eandem inuidiam inter pudenda, lucē refugientia, ac latebras quæ-

Superbiæ fœtus liuor.

Nemo bonus inuidens.

Inuidia opus tenebrarū.

quærētia recēſet Apoſt. Rom.13.v.13.& in teterrimorū facinorum numero ponit 1.Tim.6.v.4. Tit.3. v. 3. neq; mirum: ex diametro ſiquidem pugnat cum caritate, quæ virtutum Regina eſt, & plurimis modis à Chriſto Deo nobis commēdata. *Caritas*, ait Apoſtolus 1.Cor. 13.v. 4. *non æmulatur*, tanto autem execrabilius eſt vitium, quanto nobiliori virtuti contraponitur. 4. Arguit & hominem, non eſſe ſpiritalem & probum, ſed carnalem & improbum 1.Cor.3.v.3. *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* 5. Eſt & idem ſcelus ſempiterno plectendum ſupplicio, vt affirmat Apoſtolus Galat. 5. ver. 21. Quod & inde oſtendit S. Cyprian. tract. de zelo & liuore. *Quid*, inquit, *cani ſimilis exiſtis? Homicidii namque facinore conſtringi eum, quisquis zelauerit & odio habuerit fratrem ſuum, declarat Ioannes Apoſt. in epiſt. ſua dicens 1. c.3. Qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis, quia omnis homicida non habet in ſe vitam manentē.* 6. Quo loco & idem S. Cypr. *Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernities. Radix eſt malorum omniū, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem zelo excœcante ſenſus noſtros, atq; in ditionem ſuam mentis arcana redigente Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, iudicii dies non prouidetur, &c.* Quod inuidentia omnium ſcelerum origo ſit & doctrina eſt S. Iacobi cap. 3. v. 16. *Vbi zelus, ait & contentio: ibi inconſtantia & omne opus prauum.* Quod & tradit S. Chryſoſtomus homil. 44. ad pop. Antioch.

Liuidus diuini ſpiritus expers.

Inuidentia gehennæ plectitur.

Inuidia plurimorum ſcelerum mater

§. 7. Inuidia proprium Diaboli vitium & peccatum eſt, vt loco citato habet B. Cyprianus & S. Baſil. hom.11. D.Auguſt.epiſtola 48. ad Vincent. Imò vt ait S.Gregorius libro 5. Moral. c.34. *Quamuis per omne vi*

Liuor damnatiuus peccatū.

tium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit & imprimendæ malitiæ pestem mouet de quo nimirum scriptum est Sapient.2.versic.24. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Sanctus Chrysostomus homilia 44. ad Antiochen. inuidos asserit dæmonibus deteriores, quia licet implacabile nobiscum bellum gerant, consortibus tamen generis non insidiantur. Has ob caussas monet Apostolus Galat.5.versic. 26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Et Sanctus Petrus 1. epistola cap. 2. versic. 1. 2. Inuidi fugiendam consuetudinem hortatur Salomon Prouer. 23. versic. 6. Sapient.6.versic.25. De hoc Conc. Carth. 4.cap.60. & habetur distin. 46. c. 7. *Clericus inuidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoueatur.*

Liuidus dæmone peior.

CAP. LXIII.

SEGNITIES IN DIVINO cultu detestanda.

Quid acedia §. ACedia siue remissi animi ad benè operandum languor & tristitia de spiritali re perficienda Ecclesiastico viro, omnibus modis fugienda; vt qui non ad delicatam & voluptuariam sponsi, sed ad operosam & semper aliquid piè molientem vitam Christi Domini, non ad otium, sed negotium, non ad torporem, sed laborem, non ad inertiam, sed industriam vocatus sit. *Elegi vos,* inquit Dominus Ioannis 15. ver. 16. *& posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Non sinit Christus vt Clerici stent tota die otiosi, & multo minus in peccatis negotiosi, neque dicere pol-

Acedia Clericorum vocationi repugnans.

re possunt, *Nemo nos conduxit*, cum amplissimis prouentibus, & nimis magno ad Domini vineam excolendam conducti sint, accepturi & æternæ felicitatis denarium, si nauiter laborauerint Matth. 20. Non quasi fuci alienis pascantur laboribus, aut existiment, quod citra arationem & messem dormientibus omnia conficiet Deus.

§ Feriæ sunt Ecclesiasticis, sed vt à prauis & manualibus ferientur operibus, vacent autem & incumbant cœlestibus & diuinis. Temporale beneficium donatur propter spiritale officium, *vt qui altari deseruiunt cum altari participent.* 1. Corinth. 9. versicul. 13. Hortabatur in Timotheo quemlibet Clericum Apostolus 2. Timot. 2. versicul. 3. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Et 2. Thessal. 3. versic. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

Ignauis feriæ per feria sunt.

§. Nec à doctrina ipsius factum dissidebat. Actor. 20. versicul. 33. 34. 35. *Argentum & aurum & vestem nullius concupiui. Ipsi scitis quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu (quemadmodum ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.* 1. Corinth. 15. versic. 13. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnib. laborani: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 1. Thess. 3. versic. 9. *Memores estis fratres laboris nostri, & fatigationis nocte & die, ne quē vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.* Quod & repetit 2. Thessal. 3. vers. 8.

Non ignauus sed nauus Apostolus.

CAP.

CAP. LXIV.

ACEDIA SÆPE ET CLERICOS INVADIT.

§. ACedia non raro in Clericos impetum facit, tentat & subinde sanctos, Dauid Psalm. 118. v. 28. *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Vbi S. Hieronymus, dormitauit anima mea in huius habitaculi mortalis statione, præ tædio imbecillitatis corporeæ.* Sanctus Gregorius homil. 17. in Euang. in verba Domini, Lucæ 10. *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Ecce,* inquit, *mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.* Matth. 13. *v. 25. cum dormirent homines, venit inimicus & superseminauit zizania in medio tritici,* id est interprete S. Augustin. lib. QQ. Euangel. q. 11. *Cum negligentius agerent præpositi Ecclesiæ, venit Diabolus & hæreseos pariter & malitiæ lolium insperſit.*

§. Eo nomine coarguitur Episcopus Ephesinus Apoc. 2. v. 4. *Habeo aduersum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; vnde excideris: & age pœnitentiam & prima opera fac.* Reprehenditur eadem de caussa & Laodicensis Episcop. Apo. 3. v. 15. *Scio opera tua quia neq; frigidus es neq; calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Et Apostolus 2. Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; Gratia, caritas, spiritus, ardor, zelus, sensim tempore langueſcit, partim humanæ imbecillitatis & mutabilitatis vitio, partim desidia, humanis affectibus & sæculi vanitatibus restringitur, suscitandus autē meditatione nouissimorum & rerum salutarium, pia lectione, precatione, virtutum exercitatione, per-

ne, perficiendi conatu, spe cœlestis præmii. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternũ propter retributionem*, Psal.118. Frater quidam vt est in vitis S.Patrum dist.2.§.103. *à sene Achille rogauit: Cur sedens in cella acediam pateretur, cui senex ait: Quia nec dum vidisti requiem, quam speramus, nec tormenta quæ timemus. Si enim ea diligenter inspiceres etiamsi vermibus plena esset cella tua vsque ad collum; tu tamen in ipsa iaceres sine acedia.* Simile prorsus exemplum habetur in Prato Spiritali c.142. de Alexandro Abbate.

Acediam pellit inferni cœlique consideratio.

CAP. LXV.

QVA RATIONE TORPOR IN diuino cultu excutiendus.

§. HAnc pestem, vt effugiant Ecclesiastici, oppido considerent, 1. quod nihil agendo homines discant malè agere, *multam enim malitiam docuit otiositas*, Eccles.33.v.29. Et vt hominis pigri ac stulti agrum & vineam vrticæ replent & spinæ Prou.24.v.30. ita ignaui hominis animum vitia. *Nihil boni facere* ait Sanctus Chrysostomus homil.16. in epistol.ad Ephes. *hoc ipsum est male facere*, quod elegantissimis ibidem demonstrat exemplis. Horatius Satyr.3.

Pigritia vitiorum parens.

Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Et Ouidius lib.1.de Ponto eleg.6.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium ni moueantur aquæ.

2. Quod toties inculcat Dominus Matth.7.versic.19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Matth.25.v.30. *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Lucæ.12. v.14. *Ille seruus qui non cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis, qui*

Religionis virtutisque incuriosus damnabitur.

qui autem non cognouit, & fecit digna plagis: vapulabit paucis Ioannis 15. versic. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, &c.* Quibus certissimis & grauissimis sententiis & affirmationibus illud nobis Christus ipsissima veritas persuasissimum esse desiderat: non solum scelerum perpetrationem, sed & bonorum operum prætermissionem exitiosam esse omnibus, sed maximè Ecclesiasticis, qui sunt Domini Dei stipendiarii & ipsius obsequio prorsus mancipati *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter vel negligenter* Hierem. 48. verficul. 10.

CAP. LXVI.

SALVTARIVM ET NECESSARIARUM ad suum statum rerum inscientia non laboret Clericus.

S. Paulus in Ecclesiastico scientiam requirit.

§. HVmanarum diuinarumque rerum inscitia Clerico, quantum fieri potest, declinanda, & minimum quisq; cognoscere studeat, quæ ad munia sua conuenienter obeunda scitu sunt necessaria: *Oportet siquidem Clericum esse prudentem*, vt ait Apostolus 1. Timoth. 3. v. 2. *Prudentem*, ait S. Hieronymus epistola 83. ad Oceanum cap. 4. *hoc inferendo excludit eos, qui sub nomine simplicitatis excusant stultitiam Sacerdotum. Nisi enim cerebrum sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. Et rursum Apostolus vult eum esse doctorem διδακτικὸν, qui possit docere, qualem cum cæteris virtutibus difficulter inuenet*, ait S. Hieronymus lib. 1. aduers. Pelag. cap. 8. 1. Tim. 3. ver. 2. *Oportet esse doctorem*, & Tit. 1. v. 9. *Potens sit exhortari in doctrina sua, & eos qui contradicunt arguere.*

Ab Ecclesiasticis scientiam exigit Deus.

§. Eandem in Sacerdotibus & Altaris sui ministris cog-

cognitionem, vt ſummoperè expetit Deus, ita & eorundem inſcientiam valdè deteſtatur, accuſat & punit. Deuter. 21. verſi. 5. *Ad verbum eorum* (Sacerdotum) *omne negotium, & quicquid mundum & immundum eſt, iudicetur.* Ezech. 44. verſ. 23. 24. *Et populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutum, & inter mundum & immundum oſtendent eis. Et cum fuerit controuerſia ſtabunt in iudiciis meis, & iudicabunt, &c.* Leuit. 10. v. 8. 9. 10. Tabernaculum ingreſſuris ſacerdotibus ſiceram ſiue omnem potum inebriantem prohibuit Dominus. *Vt habeatis,* inquit, *ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Iſrahel omnia legitima mea.* Malach. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, Angelus enim Domini exercituum eſt.* Vbi S. Hieron. in Comment. *Qui,* inquit, *Sacerdos eſt & non corripit delinquentes, Sacerdotis officium præterit. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, non dixit, proferent, ſed cuſtodient: vt loquantur in tempore dentq; conſeruis cibaria in tempore ſuo. Et legem requirent ex ore eius. In Aggæo cap. 2. verſic. 12. hoc idem ſcribitur: Interrogate Sacerdotes legem. Ad Sacerdotis pertinet diſciplinam, interrogatum reſpondere de lege. Quod ſi ignorantiam in cæteris diligentem, in Scripturis ſanctis obtenderint negligentem: fruſtrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. Hoc eſt, quod Apoſtolus Paulus ſcribit* ad Titum cap. 1. verſic. 9. *vt ſit potens exhortari in doctrina ſana & contradicentes reuincere.* Et ad Timotheum epiſt. 2. c. 3. v. 15. *Quoniam ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſint inſtruere ad ſalutem, vt peccantes coram omnibus arguas. Sequitur. Quia Angelus Domini exercituum eſt. Angelus, id eſt, nuncius Sacerdos Dei veriſimè dicitur, quia Dei & hominum ſequeſter eſt, eiusque ad populum nunciat voluntatem, & idcirco in Sacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur.* Exod. 28. verſiculo 29. 30. *Vt diſcamus Sacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis.* Iſta Sanct. Hieronymus.

§. Rur-

§. Rursum Dominum appellat Moses Deut. 33. v. 8. in benedictionē Leui: *Perfectio tua & doctrina tua, viro Sancto, quē probasti in tentatione* subaudi detur, magnan. virtus & eruditio Sacerdoti est necessaria. quod & Salua-uator indicat Matth. 24. v. 45. & 46. *Quis putas*, ait, *est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem.* Requirit Dominus famulum, qui non fideliter tantum, sed & prouidè sapienterq; commissum munus administret, vt intelligat quid, quantum, quo tempore, modo, loco cuiq; tribuendum sit, & quoduis aliud Ecclesiæ negotium bene gerendum & transigendum, quod & absq; singulari Philosophiæ, Iurisprudentiæ vel Theologiæ speculatricis scientia fieri potest, vbi probo viro, magister rerum vsus & boni communis studium adfuerit, quales in Ecclesia cum vtilitate Ecclesiæ plures extiterunt. *Anacletus epistola 2. ad Episcopos Italiæ, & habetur distinct. 85. cap. 6. Porro Moysi præcipitur Num. 11. v. 16. Vt eligat Presbyteros, id est, Seniores. Vnde & in Prouerbiis dicitur cap. 20. v. 29. Gloria senum est canities. Hic vero canities sapientiā designat, de qua Scriptura est Sap. 4. v. 9. Canities hominum prudentia est. Non ergo propter decrepitam ætatem, vel senectutem, sed propter prudentiam Presbyteri nominantur.*

Christus Dominus scientiam à Clericis requirit

CAP. LXVII.

ECCLESIASTICORVM INSCITIA Deo displicet, & ab eo punitur.

§. VT à rerum sacrarum cœlestiumq; ignoratione longius absint, quod mirum in modum ea in Sacerdotibus & Clericis Deo displiceat, considerent

Leuit.

Leuit.10.v.1. Nadab & Abiu Aaronis filii recenter Sacerdotes creati, siue ex insciția siue ex incuria alienum offerentes ignem, igne ab altari diuinitùs prosiliente interfecti sunt. 1. Reg. 2. versic. 12. *Porrò filii Heli filii Belial, nescientes Dominum, neq; officium Sacerdotum ad populum.* Sed quid accidit? *Eodem lib. cap. 4. ver. 11. Et arca Dei capta est, duo quoq; filii Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.* Sed & Heli ipse cui exprobrauerit Deus 1. Reg. 2. v. 29. *Quare calce abiecistis victimam meam, & munera, quæ præcepi, vt offerrerentur in templo & magis honorasti filios tuos, quam me, cecidit de cella retrorsum iuxta ostium & fractis ceruicibus mortuus est,* 1. Reg. 4. v. 18. Isa. 28. v. 7. *Sacerdos & Propheta nescierunt præebrietate, ignorauerunt iudicium.* Hierem. 2. v. 8. *Sacerdotes non dixerunt, Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & Pastores præuaricati sunt in me.* Ezech. 22. v. 26. *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum, non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, &c.* Hoseæ 4. v. 6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

§. Concil. Tolet. 4. cap. 24. & habetur dist. 38. c. 2. *Ignorantia,* inquit, *mater cunctorum errorum, maxime Sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur Scripturas.* Paulo Apostolo dicente ad Timotheum, 1. Tim. 4. v. 16. *Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciant ergo sacerdotes scripturas sacras & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat: atq; ædificent cunctos tàm fidei scientia, quam operum disciplina.* Et S. Leo Magnus, vt habetur ibidem c. 4. *Si vix in laicis videtur intolerabilis insciția, quantò magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia.* Similiter S. Augustin. de pœnit. cap. 20. & habetur de pœnit. c. 1. *Qui vult* §. *Caueat spiritualis iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet vt sciat cognoscere, quicquid*

debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt q debet iudicare discernat. Et Isidorus l. 3. de summo bono. c. 35. *Sicut*, inquit, *iniqui, & peccatores ministerium Sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti, & imperiti, tali officio retrahuntur, illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt; isti verò sua ignauia iniquos corrigere nesciunt. Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Cæcus enim si cæco ducatum præbuerit, ambo in foueam cadunt* Matth. 15. Et S. Chrysosto. homil. 10. in Matth. *Boni*, inquit, *Sacerdotis conuersatio sine verbo tenet quidem Sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis non potest.* Sanè vetustissimus & doctissimus Origen. hom. 2. in Leuit. ait: *Obseruandum est, quod in peccato Sacerdotis non addit Legislator: quia per ignorantiam aut non voluntate peccauerit. Neq; enim ignorantia cadere poterat in eum, qui et cæteros doceret, prouectus est.* Gelas. epist. 1. per Lucaniam c. 18. & habetur dist. 36. c. 2. *Illiteratos, inquit, aut aliqua corporis parte vitiatos vel diminutos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere, quia literis carens non potest aptus esse officiis, & vitiosum nihil prorsus offerre Deo legalia præcepta sanxerunt.*

Virtus sine scientia minus Ecclesiæ vtilis.

§. Eandem omnino rationem adducit S. Hieronym. epi. 103. ad Paulinum. c. 4. *Sancta*, inquit, *rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.* Daniel in fine sacratissimæ visionis iustos, ait, *fulgere sicut stellas, & intelligentes, hoc est, doctos quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent, iusta rusticitas, & docta iustitia? Alii stellis, alii cœlo comparantur: quanquam iuxta hebraicam veritatem, vtrumque de eruditis possit intelligi, ita enim apud eos legimus Daniel. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Apostolus Scriptura sacrarium.

Cur dicitur Paulus Apostolus vas electionis? Nempe quia vas legis & S. Scripturarium armarium est.

Iterum

Iterum S. Hier. epist. 83. ad Oceanum c. 4. & habetur dist. 43. c. 1. *Quod autem doctrina à Sacerdotibus expetatur, & veteris sunt præcepta legis, & ad Titum plenius scribitur. Innocens enim & absq; sermone conuersatio, quantum exemplo prodest tantum silentio nocet: nam & latratu canum baculoq; pastoris luporum rabies deterrenda est.*

§. S. Gregor. libr. 2. epist. 25. & habetur. dist. 34. c. 11. *Præcipimus ne vnquam ignorantem literas ad sacros Ordines permittas accedere.* Et 1. p. Past. c. 1. idem S. Pontifex & habetur dist. 38. c. 11. *Qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur. Paulo attestante, qui ait 1. Cor. 14. v. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum pastorum sæpè imperitia meritis congruit, sæpè subiectorum: quia quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant: districto tamẽ Dei iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam, hi etiam qui sequuntur, offendant Matth. 15. vers. 14. Si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueam cadunt.* Hilarius Papa cum Synodo Romana c. 3. & habetur dist. 55. c. 3. *Pœnitentes & insciti literarum aut aliqua membrorum damna perpessi ad sacros ordines aspirare non audeant.* De hac materia tota est distin. 59.

CAP. LXVIII.

CLERICVS NON SIT SIMVLATOR & fallax.

§. CApitale simulationis & fallaciæ odium contineant, vt omnia sincerè, simpliciter, candidè, nihil veteratoriè & subdolè agant & tractent. Recto pectore quod probandum probetur, ꝙ improbandum, improbetur. Veritatis est simplex oratio non fucata. Hoc non solum ab Episcopis & Sacerdotibus, sed etiam ab ipsis Diaconis & reliquis Ecclesiæ administris exigit Apostolus 1. Timoth. 3. vers. 8. *Diaconi*, ait, *Similiter pudicos non bilingues non multo vino deditos non turpe lucrum sectantes. Non sint bilingues, hoc est*, inquit

S.Chrysost.hom.11. in hanc epistolam, *non simulatores, non dolosi. Nihil enim ferme nos ita degenerare à spiritali nobilitate facit, vt fraus atq; dolus. Nihil in Ecclesia nocet magis, quam versuta simulatio. Bilinguis est, qui aliud profert ore, quam habet in corde, atq; ita fallit eum, cui loquitur, vt docet V. Beda in c.* 18. *Prouerb.* 8. *Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsq; ad interiora ventris.* 1.quasi defixius in ventre gladius cruciant. *Hi sunt*, vt habet Apostolus, *qui in hypocrisi loquuntur mendacium, & cauteriatam habent suam conscientiam* 1. Tim. 4. v. 2. *qui habent speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegant.* 2. Tim. 3. v. 5. *Hi falsi fratres* 2. Corinth. 11. vers. 26. amicitiæ prętextu pernciem creantes. Hi sunt scorpiones vultu blandientes, & venenatum cauda aculeum infigentes. Hi feles lingua demulcentes, & vnguibus dilacerantes. Hi Syrenes cantu in Charybdin allicientes. Hi ex eodem ore calidum flant, & frigidum.

Quis bilinguis.

Quanta bilinguiũ improbitas.

§. Sunt simulatores ficti laudatores, vt sint veri obtrectatores, vt illi Mat. 23. v. 15. vsq; ad 23. *Sunt sepulchra dealbata, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia* Matth. 23. ver. 27. *Sunt operarii subditi transfigurantes se in Apostolos Christi, & ministri Sathanæ, qui transfigurat se in Angelum lucis*, vt illustri specie decipiat incautos. 2. Cor. 11. versi. 13. 14. 15. Volunt hi contra naturam, quasi *ex eodem fonte dulcem profundere aquam & amaram.* Iacob. 3. v. 9. 10. 11. Hos notat & execratur Scriptura Psalm. 54. vers. 12. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Eccles. 19. v. 23. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo,* Iacob. 1. v. 8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*

§. Ejusmodi simulatores plærumq; sunt honorum cupidi. Rectè Innocentius III. de vilitate conditionis humanæ. lib. 2. *Ambitiosus*, inquit, *semper est pauidus, semper attentus: ne quid dicat, quod displiceat, humilitatem simulat,*

simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, universis se inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit, & osculatur.

§. Inuadit & hic fucus & simulationis pestis sæpè in Clericos, neque enim sine graui causa præcepit Apostolus tales in Ecclesiasticum Ordinem non cooptandos, vel confirmauit S. Ioannes Chrysostomus nihil magis nocere Ecclesiæ, quam versutam simulationem. *A Propheta vsq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, ait Deus* Hier. 6. v. 13. Ejusmodi simulator fuit in Apostolico cœtu Iudas, qui non solum in cœna, sed etiam in ipso proditionis articulo tanquam culpæ expers & Christi discipulus & amator esset, non dubitauit eum consalutare, exosculari, & sic hostibus tradere. Ejus farinæ potens simulator fuit sceleratus Sacerdos Alcimus 1. Mach. 7. v. 12. ad 19. Et 2. Mach. 14. v. 3. Talis Princeps Sacerdotum Ananias, cui dicebat Apostolus Actor. 23. v. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Promittuntur sæpè aurei montes nec præstantur ferrei. Non nemo captans Sacerdotium aut id genus aliud, & existimans singulorum promissione se manu omnium comprehendisse suffragia, post publicum conuentum quasi somniasset, aperit manum suam & nihil in ea reperit.

Proditorem Iudam hypocrita simulatur.

CAPVT LXIX.

VERSVTIA ET CALLIDITAS DEO odiosa.

§. HOc vsitatum quidem multis, sed immane scelus vt abhorreant, ejus turpitudinem & malignitatem attendant, *nam* 1. *inuisum planè* & odiosum est Deo: quia summæ veritati, simplicitati ac caritati, maximè contrarium Iob.13. versicul.16. *Ipse erit Saluator meus, non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* Talem non dignatur Deus, vt benignè faciat, respicere. Iob.27.v.8.9. *Quæ est enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia?* In spiritalibus & temporalibus miseriis ejusmodi hominem derelinquit Deus. Iob. 36. v. 13. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Prouerb.3. v.32. *Ipse deludet illusores & mansuetis dabit gratiam.* Prouerb.8.v.13. *Arrogantiam & superbiam & viam prauam & os bilingue detestor.* Sap.1.vers.5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

Simulata pietas duplex iniquitas.

§. 2. Hoc simulationis peccatum cum in cæteris negotiis omnibus tùm maximè in suo cultu & obsequio displicet Deo, & pinde potissimum cauendum Ecclesiasticis, Eccl.8.v.10. *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Sed & hoc vanitas,* Eccles.1. v.36. *Ne sis incredibilis timori Domini & ne accesseris ad illum duplici corde.* Hoc est, Ne sis immorigerus iis, quæ Dei timor suggerit, & hinc neq; diffidas Deo, ab eo in difficultatibus liberandus, verum hoc ex animo præstandum, & non externa tantum specie quasi Dominis seruias duobus, & quidem à se dissidentibus. Sequitur ver. 37. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, &*

non

non scandalizeris in labiis tuis. ver. 38. *Attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem.* v. 39. *Et reuelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogæ elidat te.* versic. 40. *Quoniam accessisti malignè ad Dominum & cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Id est, Ne simulatione pietatis hominum te commendes sermonibus, vt ab ijs religiosus habeare, & ne teipsum prædicando, vel mente à Deo & voluntate auersa precando, ruinæ, & peccati tibi causa existas ac dedecoris, dum Deus simulationis pallio tecta vitia manifestat, & nũc & extremo mundi die de talis existimationis gradu corã omnib. deturbet te, idcirco quod nequiter & fallaciter religionem præ te tulisti & non ex animo coluisti. Isa. 29. vers. 13. & dixit Dominus: *Eo quod appropinquat populus iste ore suo & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis. Ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic* (70. transferam eos, id est, toto orbe dispergam ait S. Hieron.) *miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Quot tales Ecclesiastici vel sedib. suis exterminati sunt, vel in summã improbitatis & hæreseos væsaniam prolapsi? Tales pietatis simulatores toto iterum cap. 58. apud Isaiam coarguit Dominus, vt & Malach. 1. v. 14. Istud adumbratæ & non solidæ sanctitatis in Scribis & Pharisæis figmentum creber & acer exagitat & suggillat Dei Filius Christus Dominus Matth. 6. v. 1. vsque ad 19. Matth. 23. v. 5. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus,* & toto illo capite Marci. 12. v. 40. *Qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium.* Luc. 16. v. 15. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

Abditã simulatoris nequitiam patefacit Deus.

CAP. LXX.

SIMVLATIO PROXIMIS VALDE noxia.

§. IDem hoc calliditatis, fictionis & versatilis linguæ scelus proximo pernitiosissimum est, humanam siquidem euertit societatem, cujus fundamentum est fides, id est, dictorum conuentorumque constantia & veritas. Leniſſimis verbis cor configunt, vt est Ps. 54. v. 22. Et Hierem. 9. v. 8. Prouerb. 29. v. 5. *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* S. Ambrosius epistola 44. ad Constantium: *Fouea alta est os maleuoli, grande innocentiæ præcipitium, sed maius maleuolentiæ. Hos*, inquit, S. Basil. homil. 7. in Hexam. *euitare nemo facile potest, propterea quod pietatis prætextu prauitas eorum fucata, & adornata profunde latet.* Et S. Chrysost. hom. 19. operis imperfect. *Nulla*, inquit, *res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum: nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur.* Sic serui Diaboli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando sè simulant Christianos, de quibus monet suos & nos Christus Matth. 7. versic. 15. *Attendite à falsis Prophetis, quæ veniunt ad vos in vestimenta ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Simulator lethale mul sum.

Quia magna virtus est hominem cognoscere malum, & firma tutela salutis est, scire, quem fugias.

CAP.

CAP. LXXI.

SIMVLATIO SIMVLATORI exitialis.

§. NVlli autem nocentior & peſtilentior eſt ſimulatio & hypocriſis quam ſuo auctori, nam ſceleribus illum cooperit. Iſa. 9. v. 17. *Omnis hypocrita eſt n. quam.* Matth. 23. v. 27. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia, ſic & vos à foris quidem paretis hominibus iuſti, intùs autem pleni hypocriſi & iniquitate.* Sunt enim miniſtri Sathanæ transfigurantis ſe in Angelum lucis 2. Corinth. 11. v. 15. *Simulatores nullius fugi homines.* 1.

§. 2. Eadem ſimulatio hominem miſerum reddit & infelicem. Eccleſiaſt. 3. v. 28. *Cor ingrediens duas vias ſeipſum ſtrui non habebit ſucceſſus, & cor prauum in illis ſcandalizabitur,* in duabus illis viis ſuſtinebit offendiculum & ruinam Iob. 8. v. 13. *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia eius.* Et c. 13. v. 16. *Congregatio hypocritæ ſterilis & ignis deuorabit tabernacula eorum.* Prouerb. 12. v. 27. *Non inueniet fraudulentus lucrum.* *Simulator technam in ſeipſum ſtruit.*

§. 3. Efficit hominem turpem & infamem Eccleſ. 5. v. 17. *Denotatio* (vituperatio, damnatio, quem omnes vituperent damnent) *peßima ſuper bilinguem.* Eccleſiaſt. 6. v. 1. *Improperium & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis.* Eccleſiaſt. 28. v. 15. *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Obtrectator aliud loquens in præſentia, aliud in abſentia dignus, quem omnes execrentur tanquam pacis perturbatorem. *Simulator ſibi ipſi ſtigma & ignominiæ notã nurit.*

§. 4. Eandem fictè ac ſimulatè agendi rationem præmaturo vlciſcitur Deus interitu. Pſalm. 54. ver. 24. *Immatura morte perit fraudulentus.*

Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Prouer. 28. versic. 10. *Qui decipit iustum in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona eius.* Qui fraude, dolo, blanditiis à virtute ad prauitatem alium pellexerit, vel ad quodcunque incommodum perduxerit, quod alteri parauit malum sentiet, eoque sublato sinceri & integri ipsius bona consequentur. 5. Priuat & simulatorem Deus sempiterna felicitate. Vnde toties Saluator Matth. 6. repetit hypocritas *recepisse mercedem suam. Tales,* inquit Sanctus Augustinus libro 2. de sermone Domini in monte cap. 3. *ab inspectore cordis Deo mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium rectissimeque his dicitur. Recedite à me operarii dolosi: nomen enim meum habuistis, sed opera mea non fecistis.*

Simulator sempiterna felicitatis exhæres,

Simulator perpetuo mulctatur supplicio.

§. 6. Deniq; hoc crimen Deus pœna castigat, plectitque sempiterna, id enim loci pars hypocritarum vbi fletus & stridor dentium Matth. 24. versicul. 28. Psalm. 11. versicul. 3. 4. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa & linguam magniloquam,* fraudes suas jactantem Ecclesiast. 2. versicul. 14. *Væ duplici corde & labiis scelestis.* Hierem. 9. evrsic. 8. & 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus aut in gente huiusmodi non vlciscatur anima mea?*

CAP.

CAP. LXXII.

FALSITAS ET ORATIONIS VANITAS Clericis euitanda.

§. COgnatum simulationi mendacium similiter ex Apostolica sententia vitandum 1. Eph. 4. v. 25. *Deponentes*, inquit, *mendacium loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo ; quoniam sumus inuicem membra.* Coll. 3. v. 9. *Nolite mentiri inuicem.*

§. 2. Prohibet & Deus Exod. 23. v. 7. *Mendacium fugies.* Leu. 19. v. 11. *Non mẽtiemini, nec decipiet vnusquisq; proximum suum.* Eccl. 7. v. 13. 14. *Noli arare mendacium aduersus fratrem tuum, neq; in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona,* id est, Ne machineris vel moliaris aliquid falsi contra consanguinitate vel amicitia conjunctos. Imò ab omni prorsus mendacio abstine, illius siquidem consuetudo valdè noxia & pernitiosa est. *Omne mendacij genus vitandum.*

§. S. Ambr. vt habetur 2. 2. q. 5. c. 20. *Cauete fratres ait mendacium : quia omnes qui amant mendacium, filii sunt Diaboli. Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Mendacium namq; est se Christianum dicere, & opera Christi nõ facere, mendaciũ est Episcopum Sacerdotem vel clericũ se profiteri, & contraria huic ordini operari.* Consentaneè Apostolo Tit. 1. v. 16. loquitur S. Ambrosius. *Confitentur se nosse Deum, factis autẽ negant, cum sint abominati & incredibiles & ad omne opus bonum reprobi. Ex fructibus arbor cognoscitur* Math. 7. v. 16. 17. 18. *Diabolus mendax est & pater eius Ioannis 8. Multis modis admittitur mendacium.*

§. S. August. in Enchir. c. 22. & habetur 2. 2. q. 2. c. 4. *Is autem. Omnis qui mentitur contra id q̃ animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtiq; verba propterea sunt instituta, nõ per quæ se inuicẽ homines fallant, sed per quæ in alterius quisq; notitiã cogitationes suas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciã,* *Quodcunq; mendacium, peccatum.*

Quis mentiatur.

Non, quisquis falsum dicit, mentitur.

non ad quod instituta sunt, peccatum est. Idem S. Augustin. lib. de mendacio cap. 3. *Ille mentitur qui aliud habet in animo & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enunciat. Ex quo fit vt possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse vt dicit, quamuis non ita sit, & vt possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enunciat; quamuis re vera ita sit, vt enunciat: ex animi enim sui sententia non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate mentiens aut non mentiens iudicatur. Ioci nunquam putanda sunt mendacia ait* ibidem c. 2. Beatus Augustinus. Et quæst. 145. libr. 1. Genes. & habetur 2. 2. q. 2. c. 18. *Quod autem. Mendacia à mendacibus seriò arguntur, non ioco. Cum autem quæ non sunt, tanquam ioco dicuntur, non sunt mendacia.*

Tria mendaciorum genera.

§. Enumerat autem S. August. lib. de Mend. in epilogo octo mendaciorum genera & habetur 2. 2. q. 2. c. 8. Primum est. Quæ Iuris Canonici & Theologiæ Doctores ad tria reuocant. 1. *Pernitiosum*, quod in alterius cedit detrimentum vel proprium & est semper mortiferum peccatum, nisi excuset materiæ exiguitas, vel deliberationis. 2. *Officiosum*, quod ad alicuius commodum dicitur. 3. *Ioculatorium*, quod neq; vtilitatem habet, neque damnum, quæ postrema venialia & minuta sunt peccata genere & natura sua, nisi iuramentum accesserit, quod omne mendacium efficit lethiferum, & tamen in quorundam ore non est infrequens, qui faciliter falsum affirmant, & juramento confirmant.

Veniale mendacium iuramento confirmatum est lethiferum peccatum.

Duo sunt omnino genera mendaciorum, inquit S. Augustin. in Psalm. 5. in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut, vt proximis prosimus, mentimur.

CAP.

CAP. LXXIII.

NVLLVM OMNINO MENDAcium culpa vacat; aut apud Deum est excusabile.

§. ILlud autem arctè teneant nullum prorsus esse mendacium, quod vllo colore vel prætextu apud Deum excusari possit, nam vt docet Sanctus August. lib. *contra mendacium, non licet mentiri pro hæreticorum inuestigatione & correctione cap. 1. nec vllius boni caussa cap. 7. nec vt proximus grauius peccatum vitet, vt stuprum, adulterium cap. 9 nec pro illius æterna salute cap. 20. Siquidem eorum qui dicunt, Faciamus mala, vt eueniant bona, damnatio iusta est,* vt affirmat Apostolus Rom. 3. v. 8. *Neq; modestiæ proferre, ergo mentiendum.* *Nec pro quolibet malo euitando nec pro quouis bono consequendo licet mendaciolũ*

§. Sanctus Augustin. serm. 29. de verbis Apostoli cap. 4. & habetur 2. 2. qu. 2. c. 9. *Cum humilitatis caussa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaras. Veritas autem ipsa in te non est, nisi te dixeris ita peccatorem, vt etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, vt quæ es, dicas. Nam quo modo ibi est humilitas, vbi regnat falsitas? Neq; mentiri conceditur pro temporali vita proximi.* Vt in Psalm. 5. habet Sanctus Augustinus, & habetur 2. 2. q. 2. c. 14. Ne quis. & c. 15. Faciat homo ex lib. de mend. cap. 6.

CAP. LXXIV.

MENDACII DETRIMENTA.

§. VVt cautius vitent hoc vanitatis & falsitatis vitium ejusq; incommoda considerent. Nam 1. oleum perdit & operam, nec consequitur, quod assequi

qui laborabat. Hoc enim est, quod ait Salomõ Prou. 10. v. 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes*, quia plærunq; deprehenditur, dum oblitus quæ prius dixerit, diuersa à superioribus loquitur. Hinc & Prou. *Mendacem memorem esse oportere.*

Mendacium ignominiosum.

§. 2. Notat hominem ignominia Prou. 13. v. 5. *Verbum mendax iustus detestabitur, impius autem confundit & confundetur*, i.e. mendaci ore suo & aliis dedecus inurit improbus & sibi: quia mendax ab omnibus contemnitur, vt cum quo nihil bona fide tractari possit.

§. 3. Tanto autem magis probrosum est mendacium, quanto quis altiori in dignitatis gradu est collocatus. Prou. 17. v. 7. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.* Euenitque perspæpè quod est Prou. 24. v. 12. *Princeps qui libenter audit verba mendacii* (in assentationibus, obtrectationibus, falsis dogmatibus) *omnes ministros habet impios: quia ad eius salutem & gratiam loquũtur.* Proinde & ipse Rex Salomon precabatur Prou. 30. v. 8. *Vanitatem & verba mendacii longe fac à me.*

Mendax dæmonis soboles.

§. 4. Mendax pedissequus est Diaboli, imò & filius 2. Par. 18. v. 21. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius* Ioannis 8. v. 44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium ex proprio loquitur, quia mendax est & pater eius. Iudæi & omnes impii sunt ex Diabolo & filii eius, imitando non nascendo* ait hic tract. 42. S. August. *non carnis successione, sed criminis*, inquit B. Ambr. lib. 4. in Lucam: quia cupiditates prauas quas & dæmon habet, & in eorum animos iniicit, magno studio persequũtur. Is à mundi exordio corporalem spiritalem & æternam mortem humano generi intulit, & mendacio intulit dicens: Gen. 3. v. 5. *Nequaquam morieminí, sed eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Neq; in naturæ suæ integritate & perfectione

Mendacium humani exitii origo.

fectione perseuerauit, qua veritatem affirmare potuisset, ꝙ inde liquet, quia nulla modo in eo est veritas, sed mera impostura, mendacium, fallacia, q̄ cum profert & exercet non doctus ab alio, sed suopte prauo ingenio & propria vtitur inuentione, quia mendax est & auctor, ac magister mendacii. *Mendacium igitur est fœtus Diaboli*, vt ait S. Basil. epist. 79. *& omnis mendax sine maligno spiritu esse non potest*, vt asserit B. Cæsarius hom. 16. Et hoc mentiendi & calumniandi artificio maximè aduersus pios & justos vtitur, quo pertinet illa S. Cypria. ad Antonium lib. 4. epist. 2. sententia. *Hoc esse semper opus Diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret.*

Deo mendax inuisus.

§. 5. Cum ergo mendaces tanquam perfidiosi à Dei castris transfuge, sub Diaboli militent signis, q̄d mirū ꝙ maximo pariter odio & supplicio illos persequatur Deus infinita veritas? Prou. 6. v. 16. *Odit Dominus linguam mendacem.* & c. 12. v. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt placent ei.* Ps. 5. v. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Prou. 19. v. 5. & 9. *Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur non effugiet*, Sap. 1. v. 11. *Os ꝙ mētitur occidit animā.* Ideoq; teste S. Amb. in Ps. 35. p̄clarè ait Dauid Ps. 26. v. 12. *Et mentita est iniquitas sibi. Sibi n. ante mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi innocentiæ eripit suauitatem.* Eccl. 20. v. 26. 27. *Opprobrium nequam in homine mendacium & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis, perditionem a. ambo hæreditabunt.* Ostendit sapiens ꝙ mendacium maculam & ignominiam gravem afferat: quia parum honestus habetur mendax, & vt ait S. Hieron. epist. 37. ad Iul. *Antiquus sermo est. Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur*, quod & Aristot. dictum est apud Laërt. lib. 3. nec nisi à malè informatis & moratis vsurpatur mendacium, cuius assiduitas & furto deterior

terior, & vterque Reipublicæ perturbator præsens & æternum exitium & supplicium perpetietur: nam omnibus *mendacibus pars erit in stagno ardente igne & sulphure* Apoc. 21.

Mentiendi prurigo & Ecclesiasticos vrit.

§. Neque raro sacri homines ista mentiendi labe aspersi fuere. Tale commentum Aaronis Iudæorum Pontificis 1. Exod. 32. versic. 24. *Proieci aurum in ignem egressusq; est hic vitulus.* 2. Et Coritarum qui Leuitæ erant Num. 16. v. 13. *Cur eleuamini super populum Domini.* 3. Alcimus Sacerdos calumniis & mendaciis onerauit Iudam & fratres ejus tanquam Reipublicæ perturbatores, cum essent libertatis vindices & circumuentos perjurio sexaginta viros trucidauit. 1. Mach. 7. ver. 3. & 16. 4. S. Petrus metu perculsus ter Christum negauit. Quæ non mendacia in S. Athanasium architectati sunt Ariani Episcopi? Id videre est in illus vita.

CAPVT LXXV.

DE ASSENTATIONE, VITIO SIMULATIONIS & mendacii affine.

§. ADulatio, quæ est fallaci laude seductio, summopere Clericis vitanda, vt nec ipsi adulentur nec adulatoribus aures patefaciant. Et quidem hoc peccatum, de quo S. Thomas 2. 2. qu. 95. mortiferum est, 1. cum aliquis alium in peccato laudat mortali Isa. 3. v. 12. *Populo meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Et cap. 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Talis adulatrix fuit Iezabel, quæ impiissimo

Regi

Regi Achab blandiebatur 3.Reg.21.v.7. *Grandis auctoritatis es, & benè Regis regnum Israhel. Laudatur peccator in desideriis animæ, & iniquus benedicitur. Propterea exacerbauit Dominum peccator,* Psal. 9. *In quem Psalmum commentans D. August. Adulantium,* inquit, *linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cuius peccatis deest vltor, & adest laudator. Maior hæc ira Domini.* Ita Sanctus Augustinus.

§. Secundo assentatio lethiferum scelus est, cum quis alteri adulatur, vt vel corporaliter vel spiritaliter noceat. De quibus Psalm.140. v. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Prouerb.1.v.10. *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Vbi S. Hieronymus, *Duobus modis lactant peccatores quos decipiunt: quia aut ad faciendum scelera, blandimentis alliciunt: aut facta iam fauoribus, quasi laudabiliter acta sustollunt.* B. Augustinus in Psalm. 69.v.4. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge euge. Duo,* inquit, *sunt genera persecutorum: vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.* Talis Iudas blanda salutatione & osculo hostibus Christum prodens. Lucæ 22.

§. Tertio, lethalis culpa est adulatio, quando hac alteri datur occasio mortiferè peccandi. Hoseæ 7. *In malitia sua lætificarunt regem & in mendaciis suis principes.* D.Gregorius lib.18.Moral.c.3. & habetur distinct.64. cap.3. *Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerant. Hinc enim per Prophetam dicitur: Væ his, qui consuunt pulluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubito pulluillus vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulluillum sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus*

molliter quiescat. Hinc rursus scriptum est: Ezech. 13. Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerse agentes ædificant, ipsi adulantes quam nitidum reddant. Sed sanctus vir sicut mala de bonis non æstimat, ita iudicare bona de malis recusat, dicens: Absit hoc à me, vt iustos vos iudicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

Adulatio venialis
1. Quum exceditur laudando placendi vel delectandi cupiditate.
2. Quando exceditur, vt euitetur aliquod malum sine alterius detrimento.
3. Cum exceditur, vt quis in necessitate aliquod bonum consequatur sine alterius incommodo.

Hoc adulandi vitium tàm Ecclesiæ inuisum in viro Ecclesiastico, vt illa in Concilio 4. Carthag. c. 59. decreuerit: vt & habetur dist. 46. can. 4. *Clericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.*

CAP. LXXVI.

PROVIDENTISSIME CAVEANT clerici ne in aliorum veniant contemptum.

§. NE sua culpa despicatui sint, ait S. Greg. hom. 17. in Euang. explanans verba Thre. 4. v. 1. *Quomodo obscuratum est aurum*, prouideant, nec vlli offendiculum vel peccandi occasionem objiciant Matt. 18. v. 7. *Væ mundo à scandalis. Necesse est n. vt veniant scandala* (non absolutè, sed ex hominum peruersitate) *Verumtamen væ homini illi per quem scandalũ venit.* Hortatur Apostolus Timo-

Timotheum suum 1.ep.4.v.12.ita moderetur & vitam temperet, vt propter iuuenilem ætatem non despiciatur. *Nemo*, inquit, *adolescentiam tuam contemnat*, quę nunquam jure spernitur, *si iuuenilia desideria fugiat, sectetur verò iustitiam, fidem, spem, caritatem & pacem* 1.Tim.2.v.22. *Nam* vt ait Salomon Sap.4.v.8. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

Cor canum etiam in iuuenili pectore honorandum.

§. Rursum Apostolus Tit.2.v.15. *Nemo te contemnat.* Vbi S.Hieron.in Comment. *Talem te exhibe, vt contemni non possis.* Et 1.Tim.3.v.7. *vt non in opprobrium incidat*, id est, non pateat aduersariorum calumniis & morsui sycophantarum.

CAP. LXXVII.

GLORIÆ DEI ET HVMANÆ SALVti plurimum officit Ecclesiasticorum improbitas.

Expostulatio Dei cum nequam sacerdotibus.

§. QVam verò praua clericorum vita & diuino honori & toti Ecclesiæ detrimentosa sit & exitialis operæ pretium est, vt considerent. Expostulat Deus cum Sacerdotibus. Ierem.23.v.11.12. *Propheta & Sacerdos polluti sunt: & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim & corruent in ea: afferam enim super eos mala annum visitationis eorum ait Dominus*: Qui idem Dominus queritur Ezech.22.v.26. quod 1. non ignorantia, non imbecillitate sed destinata malitia legem ipsius pessundarint. 2. quod non solum foris, sed in ipso etiam templo variis se sceleribus astrinxerint, *cum Dei domum deceat sanctitudo in longitudinem dierum*, h.e. semper Ps.92. v.5. *& quasi à facie colubri fugiendum sit peccatum* Eccl.21:v. 2. vt & nemo velit domi suæ dracones fouere vel viperas. 3. q inter cibos mũdos & immundos, lege cõcessos

aut non conceſſos delectum non habuerint. 4. quod non conſiderauerint, quomodo Sabbathis ſacriſque diebus Deum ritè colerent, propitiarent, conciliarent, & cum viderent populum feſtos dies violantem conuixerint. 5. quod hinc conſecutũ, vt Deus ac ipſius honor ac cultus negligeretur, contemneretur, Pophetæ verba ſunt iſta: *Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt & à ſabbathis meis auerterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum.*

Deus propter improbos ſacerdotes contemnitur.

§. De eodem ſcandalo à Sacerdotibus & Leuitis dato & populis præbito conqueritur Deus Ezechiel. 44. v. 12. *Pro eo quod miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum & facti ſint domui Iſrahel in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem ſuam, & non appropinquabunt ad me, vt Sacerdotio fungantur mihi, neq; accedent ad omne ſanctuarium meum, &c.*

Improbi Sacerdotes plurimum populo nocent. Piſcis primũ à capite fœtet.

§. Culpæ ſimiliter & probro iiſdem vertit, quod populum, quem ad virtutem dirigere & incitare debuiſſent ſuis vitioſis moribus & dogmatibus depranauerint, Hoſeæ 5. v. 1. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſrahel, & domus Regis auſcultate: quia vobis iudicium* (damnatio) *eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi* (ſcandalum populo quem ſpeculari & cuius curam gerere debuiſtis) *& ſicut rete expanſum ſuper Tabor*, id eſt, ex ſententia S. Hieron. *Irretiiſtis reliquos & eis exitium attuliſtis*, per vos enim inciderunt in idololatriam.

§. Rurſum iiſdem opprobrat, quod à morum ſanctitate & legis cuſtodia deflexerint, & ſuo malo exemplo aliis occaſio ruinæ & peccati fuerint Malach. 2. v. 8. *Vos autem*, ait, *receßiſtis de via, & ſcandalizaſtis in lege plurimos.* Et quod huius mali ſupplicium? Propter quod, inquit, deinceps, *& ego dedi vos contemptibiles, & humiles*

Improborum Sacerdotum pœna.

humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege, hoc est, secundùm B. Hieronym. in Comment. *Non causas, sed personas considerastis, iustumq; pauperem despicientes, iniquos diuites suscepistis & honorastis.* contra diuinum judicium. Leuit.19.versi.15. *Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo.* Psalm. 81. v.2. *Vsquequo iudicatis iniquitatem & facies peccatorum sumitis.* Deut.1.v.17.& cap.16.v.19. Gal. 2.v.16. Iacob.2.v.1.vsque ad 9. Sanctus Thomas 2.2.q. 63.artic.1.

Personarũ acceptio.

§. Itaq; despicationis Sacerdotum & Clericorum caussa est vitæ improbitas: alioquin Sacerdotio & Clericatu nihil sanctius, nihil honorabilius, sed ipsi scelerum maculis dehonestant dignitatem suam & contaminant. Sanctus Gregorius libro 3. epistola 5. ad Bonifacium Episcopum Regium. *Nihil de clero tuo prauum, nihil quod contra Ecclesiasticam disciplinam pertinet, audiatur. Ad ornatum quippe eius, non ad fœditatem actuum eorum pertinere debet officium.* Quocirca dies in singulos impletur, quod Sacerdoti comminatus est Deus 1. Reg.2. v. 30. *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me: erunt ignobiles.*

CAP. LXXVIII.

ECCLESIARVM ANTISTITES siue prælati suos emendent.

§. MOnentem proinde Triden. Synodum sess. 14. in Proœm. de Refor. aut potius in ea loquentem Spiritum S. audiant: *Cum propriè Episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere: hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniuentibus ducant. Nam si eos prauis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos, de ipsorum vitiis redarguēt, qui vno ab eis sermone conuinci possent, quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quicunque ordine fuerint vt conuersatione, sermone & scientia, commisso sibi Dei populo præeant, memores eius, quod scriptum est* Leuit. 11. versic. 1. *Sancti estote quia & ego sanctus sum.* Et juxta Apostoli vocem 2. Cor. 6. v. 3. *Nemini dent vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se ministros Dei, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis* Ezech. 22. Sophon. 3. *Sacerdotes Dei contaminant sancta & reprobant legem.*

Notet oculis & animo hanc sententiam Ecclesiasticus.

§. Præclarè more suo hanc in sententiam loquitur S. August. & habetur dist. 40. capit. 8. ex eius epistola 148. ad Valerium. *Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore facilius, & latius & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie atq; adulatorie res agatur: Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore difficilius,*

lius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur, quo noster Imperator iubet.

§. S. Gregor. 1. part. Past. cap. 2. & habetur dist. 83. cap. 2. *Nemo quippe*, ait, *amplius in Ecclesia nocet, quam qui peruerse agens nomen vel ordinem Sanctitatis habet. Delinquentem namq; hunc nemo redarguere præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur: quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* Idem B. Gregor. homil. 17. in Euang. *Nullum*, inquit, *puto fratres carissimi ab aliis maius præiudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peecata debuimus.* *Siquidem* vt ait S. Isidorus & habetur distinct. 41. c. 9. *Sicut. Sacerdotium citius corrumpitur, & ad terram trahitur, nisi legaliter conseruetur, nisi iuste viuendo laudetur.*

Nemo nocentior Ecclesia quam peruersus Clericus.

§. Hoc inde fit, quod vnius etiam personæ vitium toti Ordini, Statui, congregationi à maleuolis obtrectatoribus asscribatur. *Ad quid aliud sedent isti*, ait Sanctus August. epist. 137. *& quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus vel Clericus vel Monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, iactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proiiciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.*

Grex scabie laborare putatur, cum vna scabiosa ouis cernitur. Vulgus suspicax

CAP. LXXIX.

INSIGNI VIGILANTIA ET STVdio in suorum salutem incumbant Ecclesiæ Præpositi.

§. INterim Ecclesiæ Antistites & Prælati sic animo semper excubent, vt quantum fieri potest nulla à Clero scandala oriantur. Nec tamen deerunt, etiamsi vniuersas eo curas contulerint, quanto magis abundabunt, si fuerint negligentes. Rectè S. Augustinus 137. ad suos Hipponenses, & habetur dist. 47. cap. 10. *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ*, inquit, *homo sum & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quam arca Noe, vbi tamen inter octo homines, reprobus vnus inuentus.* Gen. 8. 2. *aut melior sit quam domus Abrahæ, vbi dictum ist. Eiice ancillam & filium eius.* Genes. 21. v. 16. 3. *aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Mal. 1. v. 2. 4. *aut melior sit, quam domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incœstauit* Gen. 35. v. 22. & cap. 49. v. 4. 5. *aut melior sit quam domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit* 2. Reg. 13. vers. 14. *cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit* 2. Reg. 15. 6. *aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui si inter omnes bonos habitaret nõ diceret* 2. Cor. 7. v. 5. *foris pugnæ intus timores, nec diceret cum de sanctitate & fide Timothæi loqueretur*, Phil. 2. v. 20. *Neminm habeo qui germanè de vobis solicitus sit. Omnes n. quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi:* 7. *aut melior quã cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua vndecim bonæ perfidum & furem Iudam tolerauerunt*, Ioannis 6. v. 71. 8. *aut melior sit postremo, quam cœlum, vnde Angeli ceciderunt Lucæ* 10. *versic.* 10.

Palea & lolium cũ tritico Matth. 13.

Mali sim per bonis permisti.

CAP. LXXX.

QVÆ RATIO MODVS QVE ECclesiasticam conseruandi disciplinam.

§. PRouidendum Ecclesiæ Antistitibus, ne immoderata humilitas disciplinæ vigorem dissoluat aut relaxet. Docet id D. Gregor. part. 2. Pastor. cap. 6. *Solerter intuendum est, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis, & dum prælatus quisq; plus se quam decet deiicit, subditorum vitam distringere, suæ disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo rectores exterius quod pro aliorum vtilitate suscipiunt, seruent interius quod de suæ æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus eos apud se esse humiles etiam subiecti deprehendant, quatenus & in auctoritate eorum quod formident, videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, vt eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur, ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animam rapiat, ne iam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Ne enim præsidentis animus ad elationem potestatis sui delectatione rapiatur, rectè per quendam sapientem dicitur Eccl. 32. v. 1. Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis. Hinc etiam Petrus ait 1. Pet. 5. v. 3. Non dominantes in clero, sed forma facta gregi. Hinc per semetipsam veritas ad altiora nos virtutum merita prouocans dicit Matt. 20. v. 25. Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, fiat sicut minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Hinc est quod seruum ex suscepto regimine elatum, quæ post*

Magnanimitas non pugnat cum humilitate.

Modus conseruandi Ecclesiasticam disciplinam.

Impotens dominatus præsidi vitandus.

supplicia maneant, indicat dicens Mat. 24. v. 48. Quod si dixerit malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriis, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in vsum dominationis. Et tamen nonnunquam grauius delinquitur, si inter peruersos plus æqualitas quam disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit 1. Reg. 2. v. 23. apud districtum Iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc namq; diuina voce redditur 1: Reg. 2. v. 29. Honorasti filios tuos magis quàm me. Hinc pastores increpat per Prophetam dicens Ezech. 34. v. 4. Quod fractum est, non alligastis, & quod abiectum fuerat non reduxistis. Abiectum enim reducitur, cum quisq; in culpa lapsus, ad statum iustitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore reuocatur. Fracturam verò ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit ne plaga vsq; ad interitum defluat, si hanc districtionis seueritas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita vt grauius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Vnde necesse est, vt cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur, quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, vt pietatis viscera non amittat.

Curandum quippe est vt rectorem subditis & matrem pietas, patrem exhibeat disciplina.

Benedictus sit Deus Pater, vnigenitusque Dei Filius, sanctus quoq; Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Finis Libri secundi.

DE

DE ECCLESIASTICORVM VITA, MORIBVS, OFFICIIS, LIBER TERTIUS requisitam ab illis virtutem, sanctitatem, perfectionem explanans

In Paulino hactenus ac diuino speculo viderunt Domini Ecclesiastici, quales esse non debent, nunc quales esse addeceat in eodem contemplentur.

CAP. I.

ABSOLVTIONEM PERFECTIONEMQVE virtutis in Clerico desiderat Apostolus.

NOnsatis vacare culpa Ecclesiasticum, eximia & virtute antecellat, necesse est, vt Sacerdos sese aliquis ab omni peccati labe, ait Diuus Gregorius Nazianzenus Apologet. 1. *purum tueatur, aut ad id certè quam proximè accedat, haud tamen scio, idne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neque enim*

enim ab eo, cui hæc cura commissa sit, hoc solum requiritur, vt à vitiis alienus sit, (quod subditorum quoq; plerisq; turpissimum esse censetur) verum etiam vt virtute præcellat, iuxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo & bonum facere iubemur, Psalm. 33. v. 1. & 36. nec satis habere debet vitiosas animæ formas obliterare; nisi meliores quoq; notas ipsis substituat, vitæq; integritate magis, quam dignitate atq; auctoritate præstet: nec modum sibi vllum honestè viuendi, atq; in virtute progrediendi constituat, nec lucro potius id quod complexu tenet, quam detrimento id quod effugit, deputet: verum quod præpedibus est, ascensum ad id quod deinceps sequitur, esse arbitretur: nec magnopere amplum atq; illustre iudicet, si promiscuam plebem virtute antecedat, sed damno & calamitati ducat, si minus plenè cumulateq; officio suo fungatur, præclareq; facta ad legis diuinæ normam, non ad hominum mores exigat, siue illi flagitiosi & scelerati sint, siue mediocri virtute præditi: nec virtutem, quæ Deo optimo maximo, à quo omnia, & in quem omnia, debetur, exigua lance perpendat.

Animus prauis cogitationibus expurgandus & sanctis imbuendus.

Ne simia sit in puppura.

Assidua iustitiæ sitis.

Ascensiones in corde disponenda.

Sit aquila in nubibus.

§. Strenuam virtute nauent operam, & toto pectore in perfectionis studium incumbant. *Oportet n. clericũ irreprehensibilem esse* 1. Timoth. 3. v. 2. *quo vno sermone omnes* teste S. Hieron. epistola 83. ad Oceanum capitul. 4. *virtutes comprehendit Apostolus, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum etiam in verbo otioso reprehensione dignum est, quis est, qui absq; peccato versetur in hoc mundo?* Idem Sanctus Hieronymus libr. 1. aduersus Pelag. c. 8. *Primum quod dixit irreprehensibiles, aut nullus aut rarus, quis est enim, qui non, quasi in pulchro corpore aut næuum aut verrucam habeat.*

Integerrimus sit Ecclesiasticus.

§. S. Chrysostomus homil. 10. in 1. Timotheicam. *Irreprehensibilem. Hoc vnico verbo*, ait, *genus omne virtutis expressit. Itaq; qui sibi vel leuis culpæ conscius est, malè profecto facit, eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit. Non enim decet eiusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar*

Rara auis.

instar Solis cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, vt in illum omnes & in eius vitam, velut in exemplar aliquod excellens intueantur.

Cur virtutis absolutionẽ à clericis exigat Apostolus.

§. *Facit autem hoc Paulus non absq; ratione, qui huiusmodi monitis vtitur. Quia par erat plurimos eius rei desiderio allici, idcirco illum tanta diligentia pingit, vt qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantam virtutis celsitudinem sibi euadendum esset, agnoscerent.* Plutarchus libr. de doctrina *Principum. Sunt Principes*, inquit, *tàm sacri quam prophani instar lucentium gemmarum, atq; adeo si quis in illis nævus apparet, detractioni patet & calumniæ.*

Virtus Clerici ornamentum.

§. Postulat ibidem Apostolus 1. Timoth. 3. vers. 2. *vt sit ornatus*, id est virtutibus decoratus moribus honestis, ac laudabilis, vultu, voce, gestu, incessu, habitu compositus & temperatus. S. Hieronymus epistol. 83. ad Oceanum cap. 4. *Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur: qui virtutibus pollet, ornatus est.* Idem B. Pater epistola 2. ad Nepot. de vita Clericorum cap. 16. *Vis*, inquit, *scire quales Dominus quærit ornatus? Habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem. Nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius.*

Bonum constat ex integra caussa, malum ex singulu defectibus.

§. Tit. 1. v. 8. requirit D. Paulus, vt Clericus *sit iustus.* Quæ justitia omnibus nititur virtutibus, & vnius virtutis subductione labascit tota & interit Eccles. 9. v. 18. *Qui in vno peccauerit multa bona perdet.* Vbi S. Hieronym. in Commentar. *In Hebræo potest legi. Et qui peccat vnum, perdet bonitatem multam: Sic sentiendum est, quod propter vnum peccatum, multæ iustitiæ retro pereant, & inuicem se virtutes sequi, & qui unam habuerit, habere omnes, & qui in vno peccauerit eum omnibus vitiis subiacere.* Et Iacob. 2. vers. 10. *Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit etiam: Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis:* Nam vt virtutum *omnium moralium*

funda-

Vt ansa ansa into que ita in prudentia & caritate inuicem omnes inhærent virtutes.

fundamentum & vinculum est prudentia, vt docet S. Thomas 1.2.q.65.art.1.in c.ita & diuinitus ingenitarum virtutum sedes & colligatio est caritas, vt ibidem probatur artic. 2.

§. Hæc & aliorum SS. Patrum quos libenter Beatus Thom. sequitur, sententia est Ambr. in c. 6. Lu. l. 5. *Connexæ sibi sunt, concatenatæq; virtutes, vt qui vnã habet, plures habere videatur: & sanctis vna competit virtus, sed eius quæ fuerit vberior, vberius est præmium. Vnicuiq; plura præmia, quia plura incentiua virtutum. Sed & in aliquo merito copiosius, hoc etiam in præmio redundantius.* S. Aug. l. 6. de Trin. c. 4. *Virtutes*, inquit, *quæ sunt in animo nullo modo separantur ab inuicem.* Et D. Greg. l. 22. Mor. c. 1. *Vna virtus sine aliis, aut omninò nulla est aut imperfecta.*

§. Vult Apostolus Tit. 1. v. 8. *vt sit sanctus, id est, purus, innocens, honestus Clericus*, quam sanctitatem in Ordinis Sacramento accipiunt gratiam nimirum justificantem, & ea à Deo adjumenta quib. & in gratia eadem perseuerare, & Ecclesiæ munia ritè decenter & sanctè obire possit. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 7. Vbi Theodor. Oecumen. Theoph. clarissimè pronunciant: in Ordinatione S. Spiritus dari gratiam, quę piis studiis & oratione fouenda sit, sicut oleo fouetur ignis.

CAP. II.

OMNIMODAM A CLERICIS perfectionem requirit Christus.

§. EAndem similemque virtutum absolutionem ab Ecclesiasticis & præsertim Sacerdotib. Apostolorum successorib. postulat jure suo Saluator Matt. 5. v. 13. *Vos, inquit estis sal terræ.* Vt sicut sal insipidis sapore reb. dat, easq; ne corrumpantur, conseruat, ita & vos insultos hoēs sapientia & virtute condiatis docendo veritatem & exemplo bonis in morib. confirmando. Ibid. v. 14. *Vos estis lux mundi*, vt eum doctrina & probi-

tate

tate veſtra illuſtretis. Eodem verſu: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*, cui ſcil. vos ſimiles eſtis. Itaq; neq; latebras ſceleribus quærere poteſtis, neq; vt veritatem non doceatis vos abſcondere & occultare. Et v. 16. *Neq; accẽdunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnib. qui in domo ſunt.* Accendi vos vt lucernas non vt lateatis ſed doctrina & ſanctitate luceatis. Proinde v.17. *Sic luceat lux veſtra coram hominib. vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Et v.20. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

§. Nec admirabuntur Eccleſiaſtici tantam vel Apoſtolum vel Chriſtum Dominum ab iis exigere virtutem & perfectionem, ſi quantam etiam à vulgarib. Chriſtianis requirat, conſideraverint, cum tamen his multo magis ratione ſtatus, ꝓmiſſionis, excellentium donorum, commoditatis & prouentuum obligentur. Nam vt ait Dominus Luc.12.v.48. *Omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Etſi n. diſcipulis loqueretur idem tamen & nobis dictum, ꝓſuaſum & id etiam imitandũ eſſe voluit. *Dubitare*, inquit S. Leo ſerm.9. de Quadrag. *non debemus non ſolum ad diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles, totamq; Eccleſiam pertinere, qui ſalutare ſuum in iis qui adorant, vniuerſaliter audiebat. Quapropter & illos hiſce verbis compellat Matt.28.v.10. Docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mãdaui vobis. Et Mar.3.v.27. & vobis dico, omnib. dico, vigilate.*

Clericus ſæculari debet eſſe melior.

§. Iam v. quam non perfectionem à ſingulis requirit Chriſtianis? Nam in Deum quidem quam fidem, ſpem, timorem, aſſiduum precationis ſtudium, amorẽ in toto corde, in tota anima & in omnib. virib. ꝓfinit? In proximum q̃ accurata ꝓſcribit mandata? Iubet illũ ęquè diligi à nobis atq; nos ipſos diligimus, miſericordiã oẽm in eius calamitatib. exhibere & patientiam in ꝙbusvis ſeruare iniuriis, auferenti palliũ addatur vltro & tuni-

Quanta virtutũ præſtantia & à ſæcularibus exigitur.

& tunica, percutienti maxillam præbeatur & altera: diligamus inimicos, benefaciamus his qui oderunt nos, oremus pro persequentibus, & calumnianibus nos. Erga nos ipsos quomodo majora postulasset, quam semper vigilare, vitam odisse, ferre crucem, abnegare nos totos, perdere animam, renunciare omnibus, quæ possidemus, vendere & dare eleemosynam, intrare per angustam portam, vim facere regno cœlorum? Denique ait Matth. 5. v. 48 *Estote vos perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Iacob. 1. v. 4. *Sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* 1. Pet. 1. vers. 15. *Vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est,* Leuit. 11. v. 44. & 19. v. 2. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* 1. Ioannis 3. v. 3. *Et omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

CAP. III.

EX VETERIS TABERNACVLI SIVE Templi ministrorum sanctitudine colligitur quanta opus sit sanctitate Ecclesiæ ministris.

§. FVerunt in Mosaica lege Sacerdotes & Leuitæ, sed vmbratiles, *vt lex fuit vmbra futurorum* Hebr. 10. v. 1. & tamen si sanctitudinem ab iis postulatam considerauerimus, quid à nobis meritissimè exigatur, intelligemus. Leu. 8. v. 7. Tunica Sacerdotalis erat hyacinthina, coloris cærulei & cœlestis, vt moneretur cœlestem se debere ducere vitam Leuit. 21. v. 6. *Sacerdotes sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Sancti erunt, cui? Deo renes & corda scrutanti, vera & interna sanctitate, non tantum fucata vel externa specie.

ſpecie. Et quid incenſum quid panes ad Dei Filium, quem immolamus?

§. Deut.33.v.8. in benedictione Leui hunc in modum precatur Deum Moſes: *Perfectio tua & doctrina tua viro ſancto, quem probaſti in tentatione* ſubaudi *detur*, vt ex verſione LXX. cognoſcitur. Vbi ex Hebræo verti poſſit: *Illuminationes & perfectiones tuæ tribuantur*: quia magna & multiplex tàm eruditio & ſapientia, quam integritas & ſanctimonia in Sacerdotibus & Clericis deſideratur. Quam & ijs precabatur Salomon Pſalm. 131.v.9. *Sacerdotes tui*, inquit, *induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent.* In Hebræo habetur, *laudent te, vel iubilent tibi.* Senſus eſt. Oro Domine duo hæc per gratiam tuam Sacerdotibus qui tibi miniſtrant & populum docent, tribuas. Alterum eſt, vt quemadmodum veſtis tegit turpitudinem, ornat hominem & diſtinguit à cæteris, ita Sacerdotes vndiq; intus & foris eximia ſãctitas cooperiat, vt nihil in illis flagitioſum cernatur, & omnium virtutum ornamenta illos honeſtent, quibus à vulgarium vita plurimum diſtent & diſcernantur, ne ſit ſicut populus, ſic Sacerdos Hoſeæ 4.v.9. S. Chryſ. homil.23. in Geneſ. c.6.ver.9. *Noe vir iuſtus. Hac*, inquit, *appellatione omnem virtutem complectitur.* Et in Pſalm. 14. *Iuſtitia conflatur ex multis virtutibus, & vna virtus actiua non facit iuſtitiam, quemadmodũ nec vna tabula perficit nauigium nec vnus lapis domum.* Alterum vt magna alacritate, religione, conſtantia te collaudent, ſiue dum ſacrificant, ſiue dum pſallunt & laudes tuas concinunt, & gratiarum actionis tributum propter accepta à te beneficia pro ſe ac toto populo perſoluunt. Si tanta virtus, & ſanctitas, tantum ad Deum ritè laudandum ſtudium & contentio in vmbraticis Sacerdotibus illis qui oues & boues immolabant, & pro temporalibus beneficiis Deum laudabant, requirebatur, quid à nobis Sacerdotibus exigitur, q ſacrificamus diuinum Agnum mundi pec-

Quales Sacerdotes vetlit Spiritus ſanctus.

di peccata tollentem Dei virginisq; filium & gratias agimus pro spiritalibus & sempiternis beneficiis? 1. Mach. 4. v. 42. *Iudas elegit Sacerdotes sine macula habentes voluntatem in lege Dei.*

Sancti Sacerdotes sine honore apud græcos honoris causa dicebantur, teste Elut de Oraculo defec. in fine.

§. Ejusmodi Sacerdotes fuere Moyses & Aaron Psalm. 98. v. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* De primo innocentiæ illustre extat testimonium Num. 16. v. 15. De altero Sap. 18. vers. 12. *quod fuerit homo sine querela* ἀνὴρ ἄμεμπτος vir irreprehensibilis cum ob alia bona, tum ob minimè affectatum Pontificatum. Similiter Onias 2. Mach. 3. v. 1. & c. 4. v. 37. Eleazarus 16. c. 6. v. 18. Simon Eccles. 50. v. 1. & seq. Zacharias S. Ioannis parens Luc. 1. v. 6. Talis Sol ille justitiæ & oriens ex alto velut inter astra minora Christus Dominus, qui ait Ioan. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et c. 14. v. 30. *Venit Princeps mundi huius & in me non habet quicquam.* Et Heb. 7. v. 26. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlo factus.* Tales Apostoli & innumerabiles Episcopi, Presbyteri, Clerici, quorum vel nomina perstringere nimis longum esset.

CAP. IV.

ECCLESIÆ ANTISTITES ALIOS virtute antecellant.

Mundus nè sua accuirabit magis quam Ecclesia?

§. ISTam virtutis præstantiam in Ecclesiæ præsulibus potissimum desiderat Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. de Reform. nam vt ait S. Leo epist. 85. ad Episcopos Africanos, & habetur dist. 61. c. 5. *Miramur. Integritas præsidentium salus est subditorum, & vbi est incolumitas obedientium, ibi sana est forma doctrinæ. Et totius familiæ Domini status vacillo nutabit, si quod requirit cor in corpore non inueniatur in capite. Et. Si. nim ad honores mundi sine suffragatione temporis, & sine meritis laboris indignum est peruenire, & notari ambitus potest*

lent, quos probitatis documenta non adiuuant : quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cœlestium dignitatum. Et dist. 81.c.2. Nemo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat: & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat.

§. S.Hier.ep. 2. ad Nepot. c. 8. Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunio disputat. Accusare auaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. S.Greg.lib.34.Mor.c.30. Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene viuendo præire, nequi ad hoc eligitur, vt aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit ipse committat. Et 1.p.Past.c.10. Talis ad regimen quisq; debet venire, qui ita se imitabilem cæteris, in cunctis quæ agit, insinuat, vt inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat. Et p.1.Past.c.1. Tantum debet actionem populi, actio transcendere præsulis quantum distare solet à grege vita pastoris. Ibid. cap. 3. Sit Rector operatione præcipuus: vt vitæ viam subditis viuendo denunciet: & grex qui pastoris vocem moresq; sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur: Qui enim loci sui necessitate compellitur summa dicere: hac eadem necessitate compellitur summa monstrare: Illa vox namq; libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia dum quod loquendo imperat: ostendendo adiuuat, vt fiat. Hinc diuina lege Exod. 29. Sacerdoti in esu pectusculum cum armo tribuitur, vt non solum pectore quæ recta sunt, cogitet, sed etiam spectatores suos ad sublimia armo operationis inuitet: nulla præsentis vitæ prospera appetat: nulla aduersa pertimescat. Et rectè superhumerale ex auro hyacintho & purpura coccoq; bis tincto & bysso fieri retorta præcipitur. Exod. 28. v.6. vt quanta Sacerdos claresceret virtutum diuersitate deberet demonstretur. Et 8.quæst.1.c.15.Licet. Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium. Ha-

Bene potus sobrietatem suadet.

Exemplar omnimoda sit virtutis aliorum rector.

ctenus generatim de clericorum perfectione disserimus, nunc sigillatim virtutes ipsis necessarias explanemus.

CAP. V.

MODESTIA SEV SVBMISSIO maximum Ecclesiastici viri ornamentum.

Quid humilitas.

§. HVmilitatem animiq; demissionem, *qua 1. est vna de se existimationis depositio*, vt in c. 2. Isa. ait S. Basil. 2. *vel contemptus propriæ excellentiæ*, vt docet S. Bern. epist. 148. ad Henr. Senonensem Archiepiscopum, 3. *sue virtus qua homo verissima sua cognitione sibi vilescit*, vt idem S. Bern. tradit tract. de humilitatis gradibus. 4. vel vt habet S. Thom. 2. 2. q. 161. art. 1. ad 1. *Virtus qua quis animum continet. 5. Et ad 2. Est laudabilis sui ad ima deiectio*, hanc inquam humilitatem sibi invisicerent, ex animo complectantur, & assiduè colant, hoc enim desiderat Apostolus cum non tolerat Clericum esse insolentem, superbum, elatum Tit. 1. v. 7. & cauet ne dignitatis occasione fastu *intumescat & pereat* 1. Timoth. 3. v. 7. qui autem superbus non est, humilis, moderatus suique cognoscens sit, necesse est. Quod & indicat Apostolus dicens 1. Tim. 3. ver. 3. *Oportere eum esse modestum*, qui se extra modum suum non efferat, sed intra modum se contineat, sit æquus & sedatus.

Animi submissionem à Clericis postulat Sanctus Paulus.

§. Nec mirum quod Apostolus hanc nobilissimam virtutem cupiat splendere in Clericis, cum eandem omnibus Christianis persuadere & inculcare nitatur, ad Ephes. 4. v. 1. 2. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate,*

Multiplex Humilitas omnibus amplectenda.

cum

cum omni humilitate. 1. & mentis agnoscentis & considerantis suam vilitatem. 2. & voluntatis cupientis, vt vilis habeatur. 3. & sermonis se non jactantis, sed & rectè facta reticentis. 4. & oculorum non se extollentium sed deprimentium. 5. & operis se in contemptis rebus exercentis, præclara sua facinora vni Deo adscribentis. 6. & erga omnes siue amici sint siue inimici, siue magni siue tenues se talem exhibentis. 7. & in habitu cultuque corporis omnem modestiam declarantis. Qui talis est dignè ambulat. Ita ferè Sanctus Chrysostomus homil. 9. in hanc Ephesinam Epistolam. Philipp. 2. ver. 3. *Nihil per contentionem, neq; perinanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, &c.* Colos. 3. versiculo 12. Induite vos humilitatem, ea tanquam pulcherrima veste vos vndique exornate.

§. Hujus submissionis est illustre exemplum S. Paulus qui ait Actor. 12. versiculo 18. *Vos scitis à prima die, quæ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis, &c.* Et 1. Thess. 2. versic. 7. Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli, sed facti sumus, sicut paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos. Verum multò illustrius submissionis exemplar Clericis est Dei Filius, de quo nunc agendum.

CAP. VI.

SALVATOR HVMILITATIS DOctor & exemplar.

§. CHristus Dominus, qui in forma Dei existens formam serui accepit, & semetipsum humiliauit vsque ad mortem crucis Philip.2. v.6. 7. 8. vt facto potius quam verbo humilitatem doceret, eam cum fidelibus vniuersis tum maximè suis discipulis eorumq; successoribus Ecclesiasticis commendatissimam esse voluit. Christi Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat, q cap.32. lib. de S. virgi. S. Aug. demonstrat. *Sermo Christi,* inquit, *quem primum prolixiorem ad discipulos habuit, inde cœpit. Beati pauperes spiritu: Quoniam ipsorum est regnum cœlorum* Matth.5. versicul. 3. *quos sine vlla controuersia humiles intelligimus. Fidem Centurionis illius ideò præcipuè laudauit, nec se inuenisse in Israhel dixit tantam fidem: quia tale tam humiliter credidit, vt diceret. Non sum dignus, vt sub tectum meum intres* Matth.8. versicul.8 *Hinc & mulieri illi Chananeæ dicit* Matth.15.v.28. *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, quam superius canem appellauerat, nec ei panem filiorum proiiciendum esse responderat. Quod illa humiliter accipiens dixerat: Ita Domine, nam & canes edunt de mensa Dominorum suorum. Ac sic quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. Hinc illi duo proponuntur orantes in templo* Luc.18.versicul.10. *vnus Pharisæus & alter Publicanus, propter eos qui sibi iusti videntur, & spernunt cæteros & enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. Et caussa ostenditur, cur hoc iustum sit: Quoniam omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Quid illud quod quærentibus inter se discipulis, quisnam eorum maior esset, puerum paruulum constituit ante oculos eorum*

Christus Dominus in cõmendanda humilitate multus.

Centurionis fidem gratã fecit commẽdauitq; humilitat.

Infinus chananeæ animi demissio.

Deo magis placet peccatorum quã recte factorũ commemoratio.

rum Dominus Matth.18. versicul.3. Nisi fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum ? nonne humilitatem maximè commendauit, & in ea meritum magnitudinis posuit? Vel cum filiis Zebedæi latera eius in sedium sublimitate concupiscentibus ita respondit, vt passionis eius calicem bibendum potius cogitarent, in quo se humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis, quam superbo appetitu præferri cæteris postularent, quid ostendit, nisi eis se futurum altitudinis largitorem, qui eum doctorem humilitatis antea sequerentur? Matthæi 20. versiculo 20. Iam verò quod exiturus ad passionem lauit pedes discipulis monuitque aptissime, vt hoc facerent condiscipulis atque conseruis, quod eis fecisset magister & Dominus, quantum commendauit humilitatem, cui commendandæ etiam illud tempus elegit, quo eum proximè moriturum cum magno desiderio continebant, hoc vtiq; præcipuè memoria retenturi, quod magister imitandus vltimum demonstrasset.

Quanto quis humilior tãto sanctior.

§. Hæc eo cap. S. Augustin. qui & cap. 35. incomparabilem Filii Dei humilitatem eam filiis hominum imitandam proponentis stupens exclamat: Ille ille, cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit, nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit reuelare, non dicit: Discite à me mundum fabricare, aut mortuos resuscitare: sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem, O magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est. Noluit docere, quod ipse non esset, noluit iubere quod ipse non faceret: Video te bone Iesu oculis fidei, quos apparuisti mihi, tanquam in concione generis humani clamantem atque dicentem. Venite ad me & discite è me. Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia fili Dei & idem qui factus es inter omnia fili hominis? Quid vt discamus à te, venimus ad te: Quoniam inquit Matth.11.v.29. mitis sum & humilis corde. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit in te Coll.2.v.3. vt hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est esse paruum, vt nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci

Summè summam filii Dei humilitatem admiratur D. Augustinus.

omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

CAP. VII.

HVMILITAS CLERICIS SVMMOpere necessaria.

§. HÆc animi de se submissè modesteq; sentientis virtus Ecclesiasticis comprimis necessaria est. 1. Illi siquidem in altum dignitatis locum ascenderunt, his autem præcipit Dominus Luc. 22. v. 26. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Optimè S. Basil. serm. de abdicatione rerum. *Non tibi Cleri gradus vllus, ait, animos in altum extollat, humiliet potius: animi enim in virtute progressus, in humilitate progressus est: contraq; in postremis relinqui, & inhonoratũ esse, id non aliunde, quam elatione progignitur. Quanto ad maiores Sacerdotii gradus accedere tibi propinquius contigerit, eo animos tuos magis dimittito idq; territus exemplo filiorum Aaron, Num. 10.*

Quanto clenistrator. Quanto honoratior, tanto sit submissior.

§. Nec minùs benè S. Augustl. lib. de S. Virginitate. cap. 31. *Veniat in mentem quod scriptum est Eccles. 3. ver. 20. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam. Mensura humilitatis cuiq; ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplas amplioribus insidiatur.* Et ibidem cap. 33. *Cum Christiani omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter inuetur, qui non cum doctorem humilitatis inueniat, tum maximè huius virtutis Sectatores & conseruatores eos esse conueniat, qui magno aliquo bono cæteris eminent.*

§. Quales

§. Quales sunt Ecclesiæ præsides, qui proinde non clariores sed modestiores esse debent & submissiores, vt eos monet Scriptura Eccl. 3. v. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et capit. 11. v. 4. *In die honoris tui ne extollaris.* Et cap. 32. v. 1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Matth. 20. ver. 26. *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, &c.*

Potiora Dei erga Clericos dona profundiorem requirunt humilitatem.

§. Deinde Clerici majora ac plura à Deo acceperunt beneficia, quam laici. *Num parum vobis est*, ait Leuitis Moyses Num. 16. v. 9. *quod separauit vos Deus Israhel ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei?* Et Apostolus 1. Cor. 4. ver. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Rectè autem S. Gregorius hom. 9. in Euang. explanans parabolam de talentis ad faciendum lucrum servis à Domino traditis & post rationem expoſcente & quæstum. *Lectio sancti Euangelii*, inquit, *fratres carissimi, sollicitè cõsiderare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mũdo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi grauius inde iudicemur, cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisq; debet esse ex munere, quanto se obligatiorẽ esse conspicit in reddenda ratione.*

Humilitate potißimũ Ecclesiastica munia peragenda.

§. Ad hæc Ecclesiastici se diuino honori & cultui vltro manciparunt. *At Deus ab humilibus honoratur*, Eccles. 3. vers. 21. vt ei assiduas preces adhibeant, at vt ait Scriptura Psalm. 103. vers. 18. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* Iudith. 9. v. 16. *Superbi ab initio non placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Eccl. 35. v. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit & donec appropinquat non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Hoc benè intellexit S. Isidorus Pelus. libr. 1. epist. 157. *Si Christi*, ait, *altari ministras, da operam, vt cum ipsius legibus, munus tuum*

administres; mansuetum videlicet, atq; corde humilem, & submissum te præbens. Neq; enim forensem quandam præfecturam, atq; imperium fastu, ac pompa, & insolentia tumidam tractas, sed pacatum & tranquillum ministerium, &c.

Humilitate Christo conformamur.

§. Præterea sunt præcipua humillimi Christi capitis membra, in quo tanquam oculi virtutum claritate & splendore aliis prælucere debent, at nulla est vera virtus ab humilitate abiuncta, sed vmbra tantũ ac falsa virtutis imago, vt Dominus docet Matth. 6. sæpius. Et Sanctus Augustinus epistola 56. ad Dioscorum. *Nisi humilitas*, inquit, *quæcunque benefacimus & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum de manu extorquet superbia, vitia quippe cætera in peccatis, superba verò etiam in rectè factis timenda est: ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

Humilitas individua virtutis comes.

Vanum & inane opus carens humilitate.

§. Et Sanctus Gregorius homil. 7. in Euangel. ad finem. *Si qualibet*, ait, *bona adsint opera: nulla sunt nisi ex humilitate condiantur? Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento puluerem portat, & vnde aliquid sere cernitur, inde deterius cæcatur.*

Humilitas Clericatum exornat.

§. Denique humilitas & Sacerdotalis Ordinis & dignitatis prouectio & amplificatio, longè pulcherrimum eius ornamentum, Ecclesiasticæ pacis & vnitatis vinculum & conseruatio, & ad hoc constituti sunt Sacerdotes, vt documenta dent humilitatis. Sic enim docet Sanctus Gregorius libro 2. epistola 54. ad Ioannem Rauennatem Episcopum. *Sola*, inquit, *humilitas, vt bene nostis, est officii Sacerdotalis ornatus. Decorari pallio volumus forsan moribus indecori, dum nobilis Episcopali cervice splendidius fulget quàm humilitas.* Et libro 4. epistola 38. ad Ioannem Episcopum Constantinop.

Nullus torques ornatus ex clerici collo pendet quam humilitas.

Vter

Vere, inquit, *flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quod ille meus frater inimicusq; ad humilitatem reduci non valuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem perducat: quod ille qui veritatem docet alios, nec me quoq; deprecante consensit. Humilitatem ergo frater carissime totis visceribus dilige: per quam cunctorum fratrum concordia & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri. Et Sacerdotes militant ceruici elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ductum præberent humilitatis.* *Æthiops æthiopem nõ dealbat.*

§. S. Bernard. epistol. 42. Henrico Senonensium Archiepiscopo scribens tres ei virtutes summoperè necessarias esse demonstrat. *Castitatem, caritatem & humilitatem, sed illæ, inquit, absq; hac nec virtutes esse videntur. Nempe vt castitas seu caritas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam, Iacob. 4. v. 6. Seruat acceptas, quia non requiescit spiritus Domini, nisi super quietum & humilem. Isa. 66. v. 2. Seruatas consummat: nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate perficitur.* 2. Corinth. 12. versi. 9. *Sola hac omnium propugnaculum quoddam turrisq; virtutum. Sola de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putauit. Respexit, inquiens Luc. 1. v. 48. Deus humilitatem ancillæ suæ.* Et rursum de ordine vitæ D. Bernardus. *Humilitas est custos pudicitiæ, & mater patientiæ.* Et Sanctus Basil. de Constit. Monast. cap. 17. *Humilitas tutissimus est omnium virtutum thesaurus.* *Humilitas castitatem impetrat & caritatem,*

CAP.

CAP. VIII.

FRVCTVVM HVMILITATIS breuiarium.

§. PLurima duobus proximè antegressis capitibus Humilitatis documenta præconia & inuitamenta præposita nunc vno fasce comprehendenda & animis oculos statuenda, vt illa ipsa humilitas illustrius conspiciatur, ardentius ametur, studiosius excolitur, & vigilantius custodiatur.

Humilitas Christi sectatrix.

§. 1. Humilitas est proxima Christi Dei ac Domini nostri imitatrix. Vnde S. Bernard. epistola 42. *Auctor & dator virtutum Christus. Discite,* ait Matth. 11. ver. 29. *a me non quod sobrius aut castus, aut prudens, aut aliquid eiusmodi: sed quia mitis sum & humilis corde. A me, inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo.*

Diaboli vexillum superbia, Christi signum, humilitas.

§. 2. Quod si qui certo & euidenter cognoscere desiderent, sub quo Imperatore stipendia faciant & mereantur, sub principe lucis, vel tenebrarum, sub demississimo Christo Dei Filio, vel crudelissimo tyranno dæmone sanctum auscultent Augustinum libro 14. de Ciuitate Dei cap. 13. *Hinc in ciuitate Dei & ciuitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in Rege, qui est Christus, maximè prædicatur: contrariumq́, huic virtuti elationis vitium, in eius aduersario quem Diabolus, maxime dominari, Sacrisluteris edocetur: profectò ita est magna differentia, qua vtraq́, ciuitas discernitur, vna scilicet societas piorũ hominum, altera impiorũ.* De hac imitanda Christi Saluatoris humilitate eleganter disserit S. Leo sermone de Natiuitate Domini. Sanctus Gregor. libro 34. Moral. cap. 21. & 22. quæ inculcat iterum l. 4. epist.

epistola 38. Ioanni Archiepiscopo Constantinopol. S. Bernard. serm. 1. de Natiuit. Domini.

Humilitas alia opera Deo gratiora efficit.

§. 3. *Humilitas fidem commendabilem Deoq; acceptam reddit, vt fidem faciunt Centurio* Matth. 8. v. 10. *Chananæa* Matth. 15. *v.* 28. Magdalena peccatrix Luc. 7. versi. 50. Deum precanti exorabilem, propitium, & benignum exhibet Psalm. 101. v. 18. Iudith. 9. v. 16. Eccl. 35. v. 21. vt & numero 2. memorato declarant exempla.

Acceptus Deo cultus, humilitas.

§. 4. Humilitas est maximus Dei cultus & honoris exhibitio ac desiderabile sacrificium Eccl. 3. versi. 21. Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Psalm. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies Dan. 3. v. 38. 39. 40.*

Euanida sine humilitate virtus.

§. 5. Sine hac virtute omnis virtus inefficax & vana. S. Chrysostomus homilia 15. in Matth. exponens Saluatoris sententiam cap. 5. versic. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quoniam,* inquit, *superbiam mentis esse constat causſam malorum & radicem fontemq; peccatorum, contrarium ægritudini remedium docendo conficiens, quasi fundamentum quoddam forte atque munitum hanc primam sententiam collocauit. Siquidem vnusquisque humilitate supposita tutissime cuncta alia supponit ædificans, hac vero subducta etiamsi ad ipsum vsque cœlum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Nam siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam siue pudicitiam, siue aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt cunctaq; depereunt. Quod etiam Pharisæo legimus accidisse* Lucæ. 18. versicul. 14. *qui quum ad ipsum virtutis cacumen ascenderet, amittens simul vniuersa descendit, quia scilicet non habuit matrem bonorum humilitatem. Sicut enim superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum.* Similia habet homilia 32. in Ioannem. Et homilia 38. ad Antiochenos. *Humilitati nihil æquale hæc*

Animi elatio peccatorum scaturigo, virtutũ fons humilitas.

hæc est bonorum mater & radix, altrix & occasio, simul & vinculum: hac semota abominabiles & sceleſti ſumus & immundi. Est autem virtutum fundamentum humilitas tum quia earundem impedimentum remouet ſuperbiam, tum quia diſponit & præparat hominem, vt ad capeſſenda ſpiritalia bona ſit idoneus. Deus enim ſuperbis reſiſtit, (tantum abeſt, vt dona ſua largiatur) *humilibus autem dat gratiam, quacum omnis virtus infunditur* Iacob. 4. v. 7. 1. Pet. 5. v. 5. Sicergo quod ait S. Bernard. in fine lib. 5. de Conſideratione: *Virtutum bonum quoddam & ſtabile fundamentum eſt humilitas,* veriſſimum eſt. Et S. Aug. ſerm. 10. de verbis Domini: *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento cogita prius humilitatis & peruenies ad faſtigium caritatis,*

Cur virtutũ fundamentum humilitas.

Humilitas radix & baſis virtutum

§. 6. Humilitas eſt ſuauiſſima quies & animi tranquillitas, quemadmodum affirmat Dominus Matth. S. Chryſoſt. homil. 3. in Matth. *Vt ergo,* inquit, *hic & in optata requie multa cum gloria perfruamur, humilitatem matrem bonorum noſtris penitus mentibus inſeramus. Sic enim & iſtius vitæ pelagus abſque vllo tumore fluctuum tranſire poterimus, & in tranquilliſsimum illum portum enauigare gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt gloria & imperium cum Patre & Spiritu in ſempiterna ſæcula ſæculorum, Amen.* Humilitas è dæmonum inſidiis eripit, quemadmodum docet Sanctus Ephrem, de rectâ vitæ vocatione cap. 8. *Amplectere,* ait, *humilitatem, & Diaboli retibus nunquam capieris: leniſsimis enim humilitatis alis ſublatus velociter ac ſublimior exiſtes, quam vt ab eo capi poſsis.*

Humilitas ab omni perturbationũ tempeſtate tutiſsimus & ſecuriſſimus portus.

§. 7. Eſt Eccleſiaſticę tum dignitatis tum pacis acceſſio pariter & ornatus. *Qui humilis eſt,* inquit Beatus Ioannes Chryſoſtomus homil. 1. in epiſtolam 1. Corinthiacam, *& gratioſus omnibus & iucundus, & perpetuæ pacis ſocius, nullam bellorum habet materiam: Quippe tacitus omnia æquo animo perfert, & incredibili in omnes pace vtitur.* Sanctus Gregorius libr. 11. epiſt. 45. ad Cyriacum Patriarchiam

Humilitas Eccleſiaſticæ dignitatis & concordiæ conſeruatrix & exornatrix.

cham Constantin. *In radice pacis*, ait, *aliter viuere non valemus, nisi mente & actu humilitatem, quam auctor ipse pacis, docuit, teneamus.*

Humilitas præsentiæ Dei gratiæ indicia.

§. 8. Eadem modestissima virtus est præsentis diuinæ gratiæ argumentum, hanc enim vt Scriptura sæpiusculè testatur, dat humilibus. S. Augustin. serm. 27. de verbis Domini: *Confluit aqua ad humilitatem vallis denatat de tumoribus collis.*

Honorem & gloriam parit humilitas.

§. 9. Humilitas hominem non deprimit, sed extollit. Prouer. 18. v. 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.* Et Prou. 15. v. 33. *Gloriam præcedit humilitas.* & c. 16. ver. 18. *Contritionem præcedit superbia & ante ruinam exaltatur spiritus.* Quod idem est cum Saluatoris sententia Luc. 14. v. 11. & sæpius alibi iterata: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* S. Aug. lib. 14. de Ciu. Dei c. 13. *Pia humilitas*, inquit, *subditum facit superiori, nihil est autem superius Deo & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso, quo respuit subiectionem & cadit ab illo, quo non est quicquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit, quod scriptum est*, Psal. 72. v. 18. *Deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait: Cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deiicerentur: sed cum extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli iam deiici est.* Idem Sanctus Augustin. 175. serm. de Tempore. qui est 2. de Domini Ascens. *Videte fratres*, ait, *magnum miraculum. Altus est Deus, erigis te, & fugit à te, Humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta de longe cognoscit* Ps. 137. v. 6. *Humilia de proximo aspicit, vt attollat, alta, id est, superba de longe cognoscit vt deprimat.* Diuum Augustin. sectatus B. Greg. p. 3. Past. admonit. 18. *Dum se*, inquit, *humiles deiiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Quid humilitate sublimius, quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super omnia coniungitur.* Sanctus Chrysostomus homil. 66. in Matth. *Humilibus*

Cor extollit humilitas.

quid

quid iucundius? quid beatius est? qui quum Deo gratissimi sint, non paruam etiam ab hominibus, quam non quarunt, gloriam reperire solent. Nempe ab hominibus quasi parentes colluntur, quasi fratres amantur, quasi propria membra fouentur. Amplectamur igitur humilitatem, si sublimes fieri desideramus, præsertim cum videamus ab insolentia dejici homines Lucæ 1. versicul. 32. *Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles.* Etsi autem Sancti ex sua conditione & nihilo humiles sunt, magnanimi tamen sunt in Deo suo dicuntque cum Regio vate Psalm. 17. v. 30. *In Deo meo transgrediar murum.* Hoc est à Deo confirmatus ejusq; cœlesti ope subnixus vniuersa quantumuis difficillima quale esset, altissimum transcendere murum, peruincam. Et cum Apostolo Phil. 4. v. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* S. Greg. l. 6. in 1. Reg. c. 3. *Electus quisq; ait humilis est, & sterilis non est, quia quotidie magna agit, sed de se magna non sentit.* Et iterum. *Qui verè humiles sunt, foris se deiiciunt, sed per internam societatem in summis & æternis pascuis immorantur.*

Ad cœlestes eosq; maximos honores prouehit humilitas.

§. 10. Humilitas etsi in hoc sæculo hominem honestet & ornet, potissimum tamen ad celsissimam cœlestis gloriæ sedem effert, & hæc est illud regnum quod humilibus pollicetur Christus Dominus Matth. 5. v. 3. & ista exaltatio, quam promittit Matth. 23. v. 12. Luc. 18, versicul. 14. cuius rei exemplum ipse dedit, humilians se vsque ad mortem crucis & exaltatus ad Dei Patris gloriam accepit nomen quod est super omne nomen Philipp. 2. S. Chrysostomus hom. 66. in Matth. *Hoc superbiæ opus est, vt non modo nihil boni nobis asserat, sed etiam quæ habemus, corrumpat. E contra vero humilitas facit: nam ea, quæ nobis adsunt, bona conseruat, & quæ non habemus facile adducit. Hanc igitur admiremur, hanc sequamur, vt & in hac vita honorifice conuersemur & futura gloria potiamur.* Et hom. 45. in Math. *Quemadmodum non est possibile animal sine capite viuere, sic sine humilitate salus haberi non potest. Hinc enim*

tim omnia bona originem trahunt. S. Bern. serm. 1. de Natiuit. Domini Studete, inquit, *humilitati, quæ fundamentum est cuiusque virtutum, sectamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras.*

Decreto nobis à Deo beatitatis

§ 11. Denique cum humilitas sit aptissimum gratiæ virtutisque receptaculum æternæque beatitudinis ei facta sit à Deo promissio, non est mirum, quod sit illustre prædestinationis nostræ indicium. *S. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 24. Quia Redemptor noster,* inquit, *corda regit humilium, & Leuiathan iste Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum.*

sempiternæ illustris nota humilitas.

Dæmon exprobratione suæ superbiæ infecta dæmo expellitur S. Greg. 3. dial. c. 4.

CAPVT IX.

PROPRIAE INDIGNITATIS ET DIVINAE excellentiæ contemplatio.

HIs diligenter consideratis nemo non huius virtutis amore inardescit, & eius obtinendæ desiderio tenetur. Ad quod cum multa adiumenta suppeditent, illud tamen caput humanæ vilitatis, & diuinæ Maiestatis ac præstantiæ contemplatio. Precandum cum *S. Augustin. Nouerim te, nouerim me, nouerim te, vt amem te, nouerim me, vt contemnam me.* Sui suæque abiectionis notitia comparatur humilitas, cum se homo sistit coram Deo & cœlitibus [quia vt ait *S. Bernard. serm. 42 in Cant ad illud lumen veritatis constitutus homo seipsum, & sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione diiudicat. S. Greg etiam lib. 32. Moral. cap 1. Sancti viri, ait, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius, indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi lux fiunt, quicquid eos in seipsis latebat, inueniunt, & tanto magis foris sibi deformes apparent, quanto minus pulchrum est, quod intus vident.* Tunc expēdit & ponderat, quis corpore sit, quis animo, quod

Nosce teipsum, vt sis humilis & Deo gratus.

ex nihilo conditus, in nihilum relapsurus, nisi præpotenti Dei manu sustentaretur, quod corpus sordidum, saccus stercorum, putredinis & fœtoris receptaculum. *Quid superbit terra & cinis?* Ecclesiast. 10. vers. 9. quod ignauus ad omne peccatum procliuis, quod ad virtutem tardus & imbecillis, quod ad res infimas & contemptissimas abjectus, quod ad omne momentum inconstans & mobilis, quod innumeris calamitatib. expositus, quod infinitis sceleribus coopertus, quod in Deum optimum parentem ingratissimus, perfidiosissimus, sceleratissimus, quod mille supplicia commeritus, quod ex se nihil sit, nihil possit, nihil boni habeat. quod ipse omniaq; sua assiduè à diuina bonitate pendeant, sicut vmbra à corpore, lumen à Sole, suspensum in aëre pondus à tenentis manu. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus*, Actor. 17. v. 28. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ.* Hebr. 1. ver. 3. *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia* Rom. 11. v. 36. Quapropter rectissimè S. Chrysostomus homil. 38. ad Antioch. *Ne altum sapiamus O homines, ne inflemur cum terra simus & cinis, fumus & vmbra.*

In diuinæ celsitudinis luce clarissimè cernitur nostra abiectio.

§. Vt autem sui cognitio perfecta sit, necesse vt eam comitetur cognitio Dei, cujus præcellentissima Majestate cogitata maximè se Sancti omnes demittunt & humiliant. 1. Seraphim velant & obtegunt facies suas & pedes suos tanquam indigni qui coram astantes Deum intueantur Isa. 6. v. 2. 2. *Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super capita eorum* (Cherubinorum) *stabant & submittebant alas suas* (reuerētiæ, submissionis & honoris ergo) Ezech. 1. v. 25. 3. *Abraham* Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* 4. *Iacob* Gen. 32. v. 10. *Domine minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo.* 5. *Moyses* Dei puritatem & sanctitatem attendens Exod. 34. v. 7. *Nullus*, inquit, *apud te, per se innocens est.* 6. *Iob* stupens infinitam illam Dei amplitudinem ad contemptissimi hominis

Coram Deo se humiliantium exempla.

nis curam se demittere, *Quid est*, ait c.7.v.17. *homo? Quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et c.42. v.5. & 6. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Septuaginta Interpretes hoc loco habent: *Propterea despexi meipsum, & putaui me terram & cinerem.* 7. Dauid interminatam Dei Maiestatem, cum extrema hominis ignobilitate & miseria componens exclamat Psal.8.v.5. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Et Psalm.143.v.3.4. *Domine, quid est homo, quia inuoluisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra pretereunt.* 8. Isaias conspecto Domino, quantum fas est videri ab homine mortali, cap.6.vers.5. *Væ*, inquit, *mihi, quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* 9. Deiparæ Virginis ingenua confessio est, Lucæ 1.vers.48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ*: quia vt ex naturæ conditione nihil, ita ex Dei donis præcellentissima. 10. S. Joannes Baptista, Marci 1.vers.7. *Venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamenti eius.* 11. S. Petrus præsentia Domini indignum se iudicans. *Exi*, inquit Lucæ 5. vers. 8. *à me Domine: quia homo peccator sum.* Ex quibus liquido constat, sanctissimos etiam viros, cum in naturæ suæ angustias, & diuinæ præstantiæ infinitatem, mentis oculis intenderent, se abiectissimos, & contemptissimos agnouisse semper, & ingenue professos esse.

Liberalitas Clericis præcepta.

CAPVT X.

Beneficus & largus sit vir Ecclesiasticus.

Liberalitas cupiditatis pecuniæ, rerumque pecuniæ æstimabilium & parabilium moderatrix, earũdemque, cum vsus & ratio exigit, lubens ac beneuola largi- *Quid liberalitas.*

largitrix, prompte ac frequenter Ecclesiastico viro v-
surpanda: siquidem Apostolus, qui hominem auarū,
inhumanum, sordidum ex Clericorum ordine & clas-
se submouet, 1.*Timoth.*3.*v.*3.*Tit.*1.*v.*7. absque dubio li-
beralem ac beneficum exposcit. 2. Sed & quærit hospi-
talem, 1.*Timoth.*3 *v.*2.*Tit.*1.*v.*8. qui cupidus sit amandique
hospitum & peregrinorum, vt illos domo excipiat,
tractet, foueat, ac multo magis qui vicinis ciuibusque
suis indigentibus benignè facere velit. 3. Qua voce, vt
sit benignus, etiam vtitur Tit 1.v.4. hoc est, qui bono-
rum rerum & hominum sit amans & studiosus, vtilis
& semper bene velit, & pro facultate bene faciat, *di-
gatque opere & veritate*, 1.*Ioan.*3.*versit* 18. Optima viuendi
præcepta Timotheo tradidit Apostolus, sed ita tradi-
dit, vt egregium eorundem specimen daret. At quid
Timotheo iniungit? *Diuitibus*, inquit 1.ep.cap.6.v.
17.18.19. *huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque spe-
re in merito diuitiarum, sed in Deo viuo* [*qui præstat nobis omnia
ad fruendum*] *bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilem-
buere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum
in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Hoc ergo
multo magis Timotheo sacerdotibusque ac Clericis
præstandum. 5. Ephesinæ etiam Ecclesiæ presbyteris
dixit *Act.*20.*v.*33. *Oportet meminisse verbi Domini Iesu, quo-
niam ipse dixit* [*Beatius est magis dare quam accipere.* Nam
cui tribuitur, is accipit munus temporale, qui tribuit,
recipit donum spiritale & cœleste. Vnde quod ait A-
postolus 2.*Corint.*9.*v.*10. *Augebit incrementa frugum iusti-
tiæ vestræ*, interpretatur ibi Theophilactus; Dabit Deus
hic incrementa iustitiæ, & gloriæ in cœlo. *Non sit pro-
recta manus tua ad accipiendum, & ad dandum colligita.* Item
*Ecclesiast.cap.*4.*v.*36. 6. Eandem beneficentiam & libe-
ralitatem exigit à suis discipulis *Matth.*5.*v.*44. *Diligite ini-
micos vestros, benefacite his qui oderūt vos.* Et Mat.24.*v.*45.&
46. *Beatus ille seruus, qui Christi familiæ dat cibum in tempore.*

Quis hospitalis.

Quis benignus.

à Domino super omnia bona constituendus. Luca 6. v. 30. Omni petenti te tribue. D Polycarpus Episcopus, Martyr, ac S. Ioan. Apostoli discipulus epistola ad Philippens. Presbyteri, ait, simplices sint in omnes, in omnibus misericordes, omnes ab errore conuertentes, infirmos visitantes, viduas, pupillos, pauperes non negligentes.

Quæ liberalitatis natura.

CAPVT XI.

MAGNA VOLVNTATE LARGIANtur Ecclesiastici.

HÆc liberalitas, & omnis virtus inter duo extrema posita est, tenacitatem & prodigalitatem, de quibus *S. Hier. lib. 16. comment. in Isaia cap. 57. Liberalitas*, inquit, *& dispensatio virtus maxima est, & via regia, à qua declinat ad dexteram qui parcus est, & non solum aliis, sed ne sibi quidem tribuit, quod necesse est. Ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, Lucæ 15. & dicit cum Israhel Isa. 22. v. 13. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*

§. Liberalitas beneuolentia constat & beneficentia, vt nimirum libenter simul ac prolixè largiaris. *Isa. 58. Quum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris. 70. Si dederis esurienti panem tuum ex animo tuo, & animam humiliatam saturaueris. Vbi S. Hier. Esurienti demus nõ tantum panem nostrum, sed animam nostram, vt eum in quibuscumque pressuris adiuuemus; & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus: accipientes magis quam dantes beneficium* Nam vt dicit Apostolus 2. Cor. 8. v. 10. 11. *Non tantum facere sed & velle cœpistis ab anno priore: Perfectorum vtrumque est, ait S. Ambros. libro 1. offic. cap. 30. non pars. Itaque docet & liberalitatem sine beneuolen-*

tia, & beneuolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Vide ad perfectum hortatur dicens ibidem. Nunc ergo & facere consummate, vt quemadmodum in vobis prompta est voluntas faciendi, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis. Et vt idem ait S. Ambr. l. 1. offic. c. 30. & habetur dist. 86 c. 15. Non satis est bene velle, nisi studeas etiam benefacere, neq; satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte procedat, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7 Nam si inuitus facias, quæ tibi merces est? ibid. v. 17. Vnde Apostolus generaliter, inquit: Si volens hoc ago, mercedem habeo; si inuitus dispensatio mihi credita est. Et S. Bern. epistol. 258. ad Eugenium Papam. Nemo, vt ait S. Ambr. benefacit, etiamsi bonum est, quod facit: quia nihil prodest spiritus tumori, vbi non est spiritus caritatis.

Eleemosynæ ac cuiusuis beneficij meritũ & præmium potiũ in animi alacritate cõsistit, quam doni magnitudine.

§. Vnde cum in animo, vt omnis virtus, liberalitas insideat, nihil prohibet, eum esse magis liberalem, qui pauciora largitur, modo maiori animo, beneuolentia, & alacritate largiatur. S. Ambr. l. de viduis: Docuit Scriptura, quam misericordem in pauperes, & liberalem esse conueniat, nec paupertatis debere contemplatione, reuocari: quia liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu. Denique Dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est Lucæ 21. v. 3. Vidua hæc plus omnibus misit. In qua moraliter Dominus instituit vniuersos, ne quis à collationis ministerij paupertatis pudore reuocetur, nec sibi diuites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam pauperes, vberius est enim nummus, è paruo, quam thesaurus è maximo; quia non quantum detur, sed quantum resideat expenditur. Et l. 1. offic. cap. 30. idem S. Ambr. Affectus diuitem collationem facit, aut pauperem, & pretium rebus imponit.

Non donũ, sed donãtis animũ spectat Deus.

§. S. Greg. hom. 5. in Euang. Exteriora nostro, inquit, Domino quamlibet parua sufficiunt, cor namque & non substantiam pensat. Nec perpendit, quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Nihil

quippe

quippe Deo offertur ditius bona voluntate. Optimum proinde est D *August.in Psal.*103.*conc.*1. consilium: *Supplicem, inquit, nullum spernas, & cui dare non potes, quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da: si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, vbi nō inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Caritas non de sacculo erogatur.*

CAPVT XII.

DVAE LIBERALITATIS FORMAE.

Liberalitatis ratio est duplex, inquit, *Cicero lib.*2. *de officiis, nam aut opera benignè sit indigentibus aut pecunia, facilior est hæc posterior, locupleti præsertim, sed illa lautior ac splendidior, & viro forti claroque dignior.* Ex quo mutuatus Sanctus Ambrosius *lib.*2.*offic.cap.*15. *Est duplex liberalitas, vna quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecuniæ, altera quæ operarum collatione impenditur, multo frequenter splendidior, multoque clarior. Et quis est, qui non aliquam proximo suo opellam commodare possit? Nemo igitur à liberalitate exemptus.*

Omnes liberales esse debent, & possunt.

CAPVT XIII.

IN QVOS DIVIDENDA LIberalitas.

Est autem liberalitas conferenda non in mimos, histriones, ludiones, venatores, stultitiam fingentes, & id genus & farinæ alios nequam homines, vt cauetur distinctione octuagesima sexta, capite nono vsque ad 15. neq; in res turpes, vanas, commessationes, perpotationes, nimis sumptuosam ædium, vestium, supellectilis procurationem, equos, canes, sed in egenos potissimum, peregrinos, ægros, viduas,

pupillos, captiuos, templi structuram, conseruationem, ornatum.

§ 1. Cæterum Dei traditio est, ait S. Ambros. ad cap. 18. Lucæ, & habetur dist. 86. cap. 21. vt prius pascas parentes; nam si iuxta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur. Exod. 21. v. 15. 16. Matth. 15. v. 4. quanto magis fames quæ mater grauior est?

§ 2. Idem S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. & habetur dist. 86. cap. 17. Est probanda & alia liberalitas, vt proximos semper non despicias, si egere cognoscas; melius est enim vt ipse fastidias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere, aut alienis postulare subsidium necessitatis; non tamen vt illi ditiores fiant velint, ex eo quod tu potes conferre inopibus, causam enim natura præstat, non gratia, neque enim, propterea te Deo dedicasti, vt illos diuites facias, sed vt tibi vitam perpetuam fructu bonis operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant separum poscere, præmium quærunt tuum, vitæ tuæ contendunt adimere fructum, & accusant quod eos diuites non feceris, cum te velint illi æternæ vitæ fraudare mercede.

§ 3. Rursum S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. & habetur dist. 86. cap. 15. §. Grandis culpa est, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, & famem tolerare, & ærumnam perpeti; qui præsertim egere erubescit. Et si omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius.

§ 4. Eadem dist. 86. cap. 18. ex eodem S. Ambros. lib. 2. offic. cap. 30. Consideranda est in largiendo ætas atque debilitas: nonnunquam & verecundia, quæ ingenuos prodidit natales, vt senibus plus largiaris, qui sibi iam nequeunt victum quærere.

§ 5. Similiter & debilitas corporis promptius est adiuuanda, tum si quis ex diuitiis concidit in egestatem, & maximè sine suo vitio, sed aut latrociniis aut proscriptione, aut calumnia, quæ habebat, amisit. Denique de omnibus prorsus hominibus optimè merendum, vt Lucæ 10. ver. 30. in parabola vulnerati & Samaritani demonstrat Saluator, qui & omni postulanti beneficium impertiendum esse docet Lucæ 6. vers. 30. & subiungit vers. 35.

Consanguinei sustentã non locupletandi Cõc. Trid sess. 25. c. 1. de Ref. Seuerè habet, ne sacra Ecclesiæ bona in cognatos conferãtur.

Domine quis credidit auditui nostro? Isa. 53. v. 1.

Eorum in egentium tuo habẽto liberali.

vers 35. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Apostolus etiam ad Galat. 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Caue, itaque Clerice, *ne inter loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum,* vt loquitur *S. Ambros. in Psal.* 118. Qui D. *Ambros. dist.* 86. *cap.* 21. *Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti.* Quod & ante scripsit Lact. *de vero Dei cultu c.* 19. *Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.*

CAPVT XIV.

IN PAVPERES CVRIOSE NON inquirendum.

PErfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendetur, vt ait *S. Ambros. lib.* 1. *offic. cap.* 30. *& habetur dist.* 86. *cap.* 15. §. *Item.* & vt idem ait, *lib.* 2. *offic. cap.* 21. *& habetur eadem dist. cap.* 19. *Pulchra liberalitas est in ipso quoque pauperis dato mensuram tenere, vt abundes pluribus, nec conciliandi fauoris gratia vltra modum fluere.*

§. Hoc & monet *S. Gregor.* 3. *par. Past. cap.* 21. qua ratione scil. & modo facultates sint expendendę his verbis: *Admonendi sunt, qui iam quæ possident misericorditer tribuunt, vt à cœlesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tanto humiliter præbeant, quanto & aliena esse intelligunt quæ dispensant. Cumq; in illorum ministerio, quibus accepta largiuntur constitutos se esse considerant, nequicquam eorum mentes tumor subleuet, sed timor premat. Vnde & necesse est, vt sollicite perpendant, ne commissa indigne distribuant, ne quædã quibus nulla, ne nulla quibus quædam, non dent.*

Diuites Dei bonorum dispensatores, Luc. 16. v. 1.

Diuites non efferantur, si dent sed timeant, si non dent.

dam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant, quibus impendere multa debuerunt, ne præcipitatione hoc, quod tribuunt inutiliter spargant, ne tarditate petentes nociuè crucient, ne recipiendæ sic gratiæ intentio subrepat, ne dationis lumen laudis transitoriæ appetitio extinguat, ne oblatum munus coniuncta tristitia absorbeat, ne in bene oblato munere animus plusquam decet hilarescat, ne sibi quicquã cum totũ rectè impleuerint tribuat, & simul omnia postquam peregerint perdant. Ne n. sibi virtutẽ
1.Pe.4.v.11 suæ liberalitatis deputent, audiant quod scriptum est. Si quis administrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus. Ne in
Luc.7.v.10 benefactis immoderatius gaudeant, audiant quod scriptum est. Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite, serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus Ne largitatem mi-
2.Co.9.v.7 stitia corrumpat, audiant quod scriptum est. Hilarem enim datorem diligit Deus. Ne ex impenso munere transitoriam laudem
Matt.6.v.3 quærant, audiant quod scriptum est. Ne sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, id est, piæ dispensationi, nequaquam se gloriæ vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitionem ignoret fauoris. Ne impensæ gratiæ vicissitudinem requirant, au-
Lu.14.v.-2 diant quod scriptum est. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; vicinos diuites, ne forte te ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cœcos, & beatus
Pro.3.v.18 eris, quia non habent, vnde retribuãt tibi. Ne quæ præbenda sunt citius, sero præbeantur, audiant quod scriptum est. Ne dixeris amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare. Ne sub obtentu largitatis ea, quæ possident, inutiliter spar-
2.Co.9.v.6 gant, audiant quod scriptũ est. Sudet eleemosyna in manu tua. Ne cum multa necesse sunt, pauca largiantur, audiãt, quod scriptum est. Qui parce seminat, parce & metet. Ne cũ parua oportet plurima præbeant, & ipsi postmodum nimiè inopiam tolerã-
2.Co.8.v.13 tes, ad impatientiam erumpant, audiant, quod scriptum est. Nõ vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate vestra abunduntia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Cum enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem

contra se impatientiæ exquirit. Prius namque præparandus est patientiæ animus, & tunc aut multa sunt, aut cuncta largienda, ne dū minus æquanimiter inopia irruēs fertur, & præmissæ largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Ne omnino nihil eis præbeant, quibus conferre aliquid paruum debent, audiant quod scriptum est. Omni petenti te tribue. Ne saltem aliquid præbeant, quibus omnino conferre nihil debent, audiant quod scriptū est. Da bono, & noli recipere peccatorē. Benefac humili, & non dederis impio. Et rursū. Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cū peccatoribus. Panem enim suum & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit. Vnde & nonnulli huius mundi diuites, cū fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit, ille non culpam, sed naturam diligit. Admonendi sunt etiam, qui iam sua misericorditer largiūtur, vt sollicitè custodire studeāt, ne cum commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei iustitiam æstiment, si cum curant pro peccatis nūmos tribuere, arbitrentur se posse inultè peccare. Melior quippe est anima quam esca. melius corpus quam vestimētum. Qui ergo escam aut vestimentum pauperibus largitur, sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est iustitiæ obtulit, & quod maius est culpæ cōmisit, sua enim Deo dedit, se diabolo. Hactenus B. Greg. Mag. Quod & ante docuit *Aristot l. 4. Eth c. 1. Liberalis*, inquit, *honestatis causa dabit, & recte: dabit n quibus oportet, & quot oportet, & cum oportet cæteraq; omnia obseruabit, quæ dandi actum rectum sequuntur.*

Lu. 6. v. 30. Eccl. 12. v. 6 Tob. 4. v. 18 Mat. 6. v. 25 Lucæ 22.

§. Verum nimis anxia earum rerum inquisitio illiberalem arguit animum. *& in vitio est, Amico quippiam rapere, ait S. Hier. ep. 2. ad Nepot. c. 19. furtum est: Ecclesiam fraudare sacrilegium est: accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, vel quod apertissimi sceleris est, aliquid indè subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor, & tu iudicas, quan-*

Qui multa interrogat, non libenter donat.

quantum ventri meo satis sit. Aut diuide statim quod acceperis, aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, vt sua ipse distribuat. Hinc & S. *Chrys. hom.* 11 *in epist. ad Hebr. & habetur dist.* 42. *cap.* 3. *Quiescamus,* inquit, *ab hac absurda curiositate & diabolica & pernitiosa. Si pro nutrimento postulat, nihil examines. Inquire quomodo Abraham hospitalitatem circa omnes transeuntes ostendebat, Gen.* 18. *v.* 1. *Si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquam angelos hospitio recepisset. Fortasse enim non putans eos angelos esse, cum reliquis repulisset, sed quoniam omnes suscipiebat, suscipiebat & angelos. Non enim ex vita accipientium à te retributurus est tibi Deus: sed ex voluntate tua, liberalitate multa, ex misericordia, ex bonitate. Haec sint in te omnia adipiscaris bona. Seneca lib.* 2. *de beneficijs cap.* 1. *Demus libenter, cito sine vlla dubitatione. Proximus est negantiqui dubitauit. Illud melius occupare, antequam rogeris.*

CAPVT XV.

DE LIBERALITATIS PROPRIETATIBVS.

DANDVM plenis & ambabus manibus, pinguimensura, ampliter & copiosè. Nam vtait *Apostolus* 2. *Cor.* 9. *v.* 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. S. Ambr. lib.* 1. *off. cap.* 30. *Neminem debet pudere, si ex diuite pauper fiat, dum largitur pauperi: quia Christus pauper factus est, cum esset diues, vt nos sua inopia ditaret.* 2. *Corinth.* 8. *v.* 9. *Detur regulam quam sequamur, vt bona ratio sit exinaniti patrimonij, si quis pauperum famem repulit, inopiam subleuauit Vnde & consilium in hoc dat Apostolus dicēs ibid. v.* 10. *Hoc enim vobis vtile est, vt Christum imitemini.* Qui idem D. *Ambros. lib.* 2. *off. cap.* 28. *& habetur distin.* 86. *cap.* 19. §. *Compatiamur. Hoc maximum,* inquit, *incentiuum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus, iuuemus, & plus interdum quam possumus. Melius est enim pro miseri-*

misericordiæ causas præstare, vel inuidiam perpeti, quam prætendere inclementiam, vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus. Felix ille est animus, ait *S. Leo serm. 3. de ieiunio 10. mẽsis, multumque mirabilis, qui facultatum defectionem, benefaciendi amore non metuit, & daturum sibi eroganda non diffidit, à quo quid erogaret, accepit. Aristot. lib. 4. Ethic cap. 1. Attinet etiam ad hominem liberalem, vt in dando adeo exciperet, vt sibi ipsi pauciora relinquat.*

§ 2. *Præcellens* & heroicus liberalitatis actus est, quo qui religionem ineunt se suaque omnia pariter DEO consecrant & largiuntur, imo propter Dei cœlestium- que rerum amorem & Saluatoris sui imitationem diuitias prorsus contemnunt. *S. Ambros. lib 1. off. c. 30. Beatus quidem qui dimittit omnia, & sequitur Dominum. Sed & ille beatus, qui quod habet ex affectu facit.* Et *ibidem* vt habetur *distinct. 86. cap. 16. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte, vt Helisæus, qui boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret, 3. Regum cap. 19. v. 19. & lib. de viduis. Nemo plus tribuit, quam qui sibi nihil relinquit.* *Liberalissimi qui Dei religionisq; causa derelinquunt omnia.*

§ 3. Non ostentationis causa, sed aduersus DEVM & homines pietatis ergo exercẽda est liberalitas, *Matt. 6. v. 3 Te aũt faciẽte eleemosynã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* S. Amb. l. 1. o. c. 30. *Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ magis causa quam misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Vides quam moralem iudicem habeas? Te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. Nesciat, inquit, sinistra tua, quid faciat dextera tua. Non de corpore loquitur, sed ẽt vt amicus tu⁹, frater tuus, quid facias, nesciat, ne dum hic queris mercedem iactãtiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas* *Exuatur vestis cõsciæ liberalitatis.*

beralitas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua Eccles. 29. v. 15. Conclude eleemosynam in corde [siue in sinu] *pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo,* i. e. beneficium in sinu egeni, tanquam thesaurum in tuto & occulto loco sine vlla ostentatione reconde, & illud citra popularem laudem impetrabit liberationem ab omni spiritali & corporali malo.

Male vsuro non tribuēdum beneficium.

§. Prouidendum etiam ne nostra beneficentia alicui sit detrimento. *Pulchrum est bene velle,* ait S. Ambr. l. 1. *off. cap. 30. & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adultero ad adulterij mercedem largiendum putes, non est beneficentia ista, vbi nulla est beneuolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri: si largiaris ei, qui conspiret aduersus patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnent Ecclesiam. Non est hæc probabilis liberalitas si adiuues eum, qui aduersus viduam & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniustè quærat, & iustè dispensandum putet.*

CAPVT XVI.

LIBERALITAS SANCTISSIMAE TRINITATIS in nos munificentissimæ imitatrix.

Qua ratione liberalitas in Deo.

EXcitamenta liberalitatis Ecclesiastico viro sunt quamplurima. 1. quod sit Dei imitatrix, vt docet Saluator noster Matt. 5. v. 45. & Lu. 6. v. 35. 36. Etsi enim liberalita, squatenus diuitiarum cupiditatem moderatur, in Deo non sit, ex ea tamen & multo potiori parte, qua est affectus ad faciliter, prolixè, sine remunerationis intuitu alijs benignè faciendū, maxime est in Deo; ipse enim ad largiendum promptissimus est & propēissimus, & quidem hilariter, copiosè, gratuito: quia

suam

ſuam decet benignitatem,& beneficentiſſimam naturam. Jac.1.v.5.*Deus dat omnibus affluenter,& nemini improperat.*1.largitur ſpontè ac perlibenter.2.cunctis ſine vlla exceptione. 3.affluenter,perbenignè ſine vlla reſtrictione. 4.poſtulantibus nimiam cupiditatem non exprobrat : quia ſine tædio & indigentiæ metu largitur. *Dives in omnes qui inuocant illum.*

Benigniſſimus in nos Pater,Filius,& Spiritus S.

§. Annon munificentiſſimus Deus pater , de quo Apoſtol.*Rom.*8.*v.*32. *Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum , quomodo etiã cum illo omnia nobis donauit ?* Et ad Eph.1.*v.*3. *Benedictus Deus,& pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus.*

§. Quid & liberalius in nos Dei filio, qui *propter nos egenus factus eſt , cum eſſet dives, vt nos illius inopia diuites eſſemus.* 2.*Cor.*8.*v.*9.*&* 1.*Cor.*1.*v.*5. *In omnibus diuites facti eſtis in Chriſto.*

§. Beneficentiſſimus & erga nos Spiritus S.qui dona illa ſua ſpiritalia & cœleſtia , quæ recenſet Apoſtol. cum alibi,tum 1.Cor 12.v.4.ad 12.& Gal.5.v.22 largiſſimè cum mortalibus cõmunicat , & quid bonum in nobis, non munus illius ?

§.Quod exemplum ſanctiſs.Trinitatis perpendens Eccleſiaſt. nunquam beneficentiæ fontes obturabit , nunquam loculos claudet indigentibus. hac enim ratione fit filius Altiſſimi,& diuinæ conſors naturæ. Nã vt ait *S.Greg.Nazianz.de pauperum amore: Nihil tam diuinum homo habet, quam de aliis benè mereri , tametſi ille maiora hic minora beneficia conferat,vterque nimirum pro viribus ſuis.* Et *S.Greg.Nyſſ.in oratione de amandis pauperibus. Beneficentia,*inquit,*eſt omnium laudatarum virtutum præſtantiſſima. Hæc eſt felicitatis comes. Hæc aſsidet Deo , & magna eſt cum ipſo neceſsitudine conjuncta.*

CAPVT

CAPVT XVII.

THESAVRVS ECCLESIAE INCALAMItosos dispertiendus.

ET illud ponderandum, cur tantæ opes Ecclesiis donatæ sint. *S. Ambros. lib. 2. offic. cap. 28 & habetur 12. q. 2. cap. 69. Aurum habet. Multo commodius anima Domino, quam aurum seruari ait. Qui n. sine auro misit Apostolos, Ecclesias sine auro congregauit. Aurum Ecclesia habet non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatib.* Quid opus est odire quod nihil adiuuat? *An ignoramus, quantum auri & argenti de templo Domini Assyrij sustulerint. Dan. 5. v. 2. Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegia contaminata asportet hostis?* Adeo liberales in egenorum subsidia debere esse Clericos iudicat, & sapientissimè iudicat S. Ambr. vt cum eo sua bona contulerint, nec alia suppetant auxilia, nec sacra vasis parcatur.

Quo mihi diuitiæ, si nõ conceditur vsus?

Quod nõ capit Christus, rapit fiscus.

§. Et ante B. Ambros. D. *Cyprian. de opere & eleemosyna: Patrimonium Deo creditum, nec Respub. eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit: in tuto hæredium ponitur, quæ Deo custode seruatur.*

CAPVT XVIII.

CONSIDERATA DIVITIARVM INANITAtis Ecclesiasticum liberalem reddit.

ILLVD etiam vt liberales sint, ruminent, & perpendant. 1. quid sint diuitiæ in se, quam viles, quam exiguæ, quam incertæ & instabiles. *S. Chrysost. homilia 2. de verbis Isaiæ. Vidi Dominum cap. 6. Metalla, inquit, sunt terra, & aurum nihil aliud est quam terra.*

§. *Dulcius ista S. Bern. serm. 4. de Aduentu Domini. Frig-*

dum

dam ait genus suarum & ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis diuitiis & gloria temporali? quæ nec veræ, nec vestræ sunt. Aurum & argentum nonne est terra rubra & alba, quam solus hominum error facit [aut magis reputat] pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius. Psal. 48. vers. 18. Veræ ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues sit. Quid sunt vniones, quam concharum excrementa? quid gemmæ nisi lapides? quid sericæ vestes, nisi viscera turpium vermiculorum? quid panni lanei nisi ouium vellera? quid pelliceæ vestes nisi bestiarum pelles, quid magnificæ ædes aliud sunt, quam lapidum congeries certo ordine coagmentata? Vsquequo igitur homo aggrauat contra se densum lutum? Habacuc. 2. v. 6.

Nō natura, sed opinione æstimantur rerū pretia. Quæ vera opes.

CAPVT XIX.

DIVITIAE, LVXVS, AEGRITVDINIS ET damnationis occasio.

CVM animo suo considerent ad quid valeant diuitiæ, nimirum ad fastum, ad sensuum oblectationes, & ad omnem mali licentiam. Diues ille *Luc. 16. versic. 19. induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendide, sed in inferno sepultus*, diriſſimiſque illius flammis cruciatus, nec vnquam aquæ guttam pro sua refrigeratione impetrabit, quanto satius illas diuitias ad Lazari inopiam subleuandam contulisset? tunc *misericors misericordiam consecutus fuisset. Matth. 5. v. 7. nunc iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Iac. 2. v. 13.* Propterea moneri vult diuites Apostolus, *1. Timot. 6. v. 17. vt sublime non sapiant, nec sperent in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Nam aliter facientibus, & ad corporis oblectamenta facultates suas vsurpantibus gehennæ supplicium comminatur Deus. *Hamos 6. v. 4. Væ*

Cantabat vacuus coram latrone viator.

Paruo constat fames, magno fastidium.

qui opulenti estis in Syon. Qui dormitis in lectis eburneis & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Et *Lucæ 6. v. 24. Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* 2. Videndum etiã qualem quantamq; curarum & molestiarum catenam acquirendo, augendo, conseruando secum diuites trahant. *Beatus ille,* ait *S. Bern. epist. 103. qui post illa non ait, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* 3. Secum reputent quam paucis natura sit contenta, quam illi multa sint superflua. *Habentes alimenta, & quibus tegamur hiscontenti simus,* ait *Apostolus 1. Tim. 6. v. 8.* Quod & confirmat *Eccles. c. 29. v. 28. Initium* (hoc est præcipuum) *vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum protegens turpitudinem.* 4. Multo honestius præstantiusque est dare quam accipere, illud enim affluentis est bonitatis, hoc exhaustæ indigentiæ. *S. Hier. epist. 2. ad Nepot. cap. 18. Nonquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius enim est, magis dare, quam accipere. Act. 20. Nescio enim quo modo etiam ipse, qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te postea vius veneratur.* S. Ambr. proinde *l. 2. off. c. 16. Quo plus te postea rari viderit populus, magis diliget. Scio plerosq; sacerdotes, qui plus contulerint, plus abundasse: quoniam quicunq; bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille officio suo dispenset, sciens quod ad pauperem, sua perueniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi suam proficere collationem.*

CAPVT XX.

ECCLESIASTICI NON SVA, SED CHRISTI Domini, cuius dispensatores sunt, bona largiuntur.

ILlud & operæ pretium vt animaduertant, qui dent, quid impertiant, cui largiantur, quo fine & fructu tribu-

tribuant. Qui donant œconomi sunt,& serui Domini Dei sui,cui rationem reddituri sunt , bonorum administratores. *S.Gregor.par.3.Past.cap.21. Admonendi sunt,inquit,qui iam quæ possident misericorditer tribuunt , vt à cœlesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tanto humiliter præbeant , quanto & aliena esse intelligant,quæ dispensant. Cumque in illorum ministerio,quibus accepta largiuntur constitutos se considerant , nequaquam eorum mentes tumor subleuet, sed timor premat.* Qua eadem de re rursum D.Gregor.ibid.cap.22. vbi ait: *Admonendi sunt,qui nec aliena appetunt,nec sua largiantur: Vt sciant sollicitè,quod ea,de qua sumpti sunt,cunctis hominibus terra communis est: Et idcirco alimenta quoq; omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant,qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant : qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur : quia tot penè quotidiè perimunt,quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cum qualibet necessaria indigentibus ministramus , sua illis reddimus, non nostra largimur,iustitiæ debitum potius soluimus,quàm misericordiæ opus implemus. Vndè,& ipsa veritas cum de misericordia cautè exhibenda loqueretur, ait Matth.6. v.1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Cui quoq; sententiæ etiam psalmista concinens dicit Psalm.111. v.9. Dispersit,dedit pauperibus,iustitia eius manet in æternum. Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset , non hanc vocare misericordiam,sed iustitiam maluit , quia quod à communi Domino tribuitur , iustum q; profectò est , vt qui cum accipiunt , eo communiter vtantur. Hinc etiam Salomon ait Prouerbior.vigesimo primo,versiculo 26. Qui iustus est,tribuit, & non cessabit.*

Ei licet dispensator ex Domini sui voluntate bona distribuit.

Inclemētes in pauperes eorum interfectores.

Eleemosynæ opus misericordiæ & iustitiæ.

§. Eleemosyna cùm sit misericordiæ actus appellatur in sacris literis iustitia 4. de causis. 1. quia est magna pars generalis iustitiæ , quæ est omnium virtutum complexio , ita vt si vna desit , homo fiat iniustus. 2. quia est iustitiæ & sanctitatis indicium.

Nouit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia. Prou.12.v.10. quia ad primam iustitiæ disponit eamque meretur de congruo; at secundam iusticiam, hoc est iustitiæ augmentum meretur de condigno, eamque conseruat. *Matth.5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 4. quia solis misericordibus datur corona iustitiæ. Matth.25. versicul.35.

Dives villicus siue dispensator.

§. Hoc ipsum, quod diuites sint œconomi & administratores bonorum Dei, cui de sua administratione rationem sint reddituri, parabola illa *Luc.16. vers.1.* demonstrat Saluator: nam dives ille homo significat Deum, qui ait *Psal.49.v.9. Meus est orbis terræ, & plenitudo eius.* & *Aggæi 2.v.9. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Oeconomus siue dispensator est homo opulentus & terrenis copiis affluens, quas illi Deus dispertiendas concredidit, quas & erogationibus suis consulit, & amicos acquirit recepturos illum in suum cœleste domicilium. Hinc v.9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* & *v.10. Qui fidelis est in modico, & in maiori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.* Id est: Qui bona temporalia, quæ minima sunt bona, pauperibus fide distribuendo administrauerint, & vt spiritalia rectè fideliterque administrent, probabile est, & idcirco eorum cura & administratio illis committenda, non luxuriosis nepotibus dissipatoribus. *Si ergo, ait Dominus v.11. in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis?* id est: Si in temporalibus falsis, vos fallentibus, speque frustrantibus, & interituris distribuendis, non fuistis Domino vestro fideles, quomodo veræ, spirituales, & perpetuo manentes diuitiæ rectè vobis committentur? Et *v.12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Si ex voluntate Domini temporalis

Dei donis, Dei regnũ mercamur.

porales opes, quæ alienæ sunt, & hic à vobis relinquēdæ, non tractastis, quis credet vobis spiritales diuitias, quæ vestræ idcirco sunt, quia vobiscum in cœlum ferre potestis, vobis concredet. Et *vers.* 13. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Non potestis DEO seruire & mammonæ.*

§. *Ex quibus* 1. *cognoscimus*, teste Theophilacto in Lucam. *Opulentos Dei comparatione non esse dominos diuitiarum, sed alienarū rerum dispensatores, quæ à Dom. Deo nobis concreditæ sunt, vt illas bene dispensemus, sicut ipse imperat, & iuxta mentem ipsius, cuius voluntas est, vt datis vtamur in conseruorum vsus non in proprias delicias. Et S. Ambros. in fine lib.* 7. *Comment. in Lucam. In quo*, inquit, *discimus non ipsi esse Domini, sed potius alienarum villici facultatum*, & addit *sermone* 125. *B. Petrus Chrysologus nos prorogationis temporariæ ministerium suscepisse, non inuenisse ius perpetuum possidendi.* Quod multis demonstrat Saluator dum Deum, Dominum, hominem villicum, siue dispensatorem vocat, eumque, ait, de Domini bonis malè expositis diffamatum, & accepti expensique rationes postulatum, Domini sui facultatibus erogandis sibi in posterum prouidisse. Quod si cæteris omnibus terrena bona possidentibus eam in curam & cogitationem incumbendum, vt ijs non nisi de sententia & voluntate Dei vtantur & erogent, quāto magis id censendum de bonis Ecclesiasticis, & ea præsertim fructuum parte quæ honestæ eorum sustentationi superfluit. *Diuites Dei dispensatores.*

§. Nam multorum & Theologiæ, & Juris Canonici Doctorum sententia, eaq; in obitu tutissima erit, eos istius redundantis partis dominos non esse, sed ex iustitia teneri in pia conferre opera, & si aliter in sumpserint ad restitutionem obligari, quod & sacri Canones 12 q. 2. tradunt, & illud si rectam rationem ducem sequi velint, facile æstimabunt fidelium tantis Ecclesiam opibus cumulantium mentem non fuisse, vt ex *An ei⁹ quod honestæ sustentationi Domini sint Ecclesiastici. pereſt*

sumptibus necessarijs superflua, non in luxum, & non potius in pium vsum conuerterentur. Sed est illorum singularibus beneficijs erectis, & post certos vnicuique prouentus assignatos, illius etiam portionis dominos esse, ita vt si profanè expenderint, ad restitutionem non teneantur, vt aliqui sentiunt, mortiferam tamen culpam cuiusuis boni temporalis iactura grauiorem non euadunt, cum illud Ecclesia in Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de Reformatione seuerissime prohibeat. Et fructus illi 1. res Dei appellantur: quia tum à donatoribus, tum ab Ecclesia destinati sunt, vt in Dei honorem cultumque impendantur. *Ipsæ res fidelium*, ait *Vrbanus I. epistola ad omnes Episcopos, & habetur 12. quæst. 1. cap. 16. Vidente: oblationes appellantur, quæ à fidelibus Domino offeruntur, & ibidem cap. 26. idem Vrbanus. Res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed vt communes & Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos vsus sunt fideliter dispensandæ.* 2. Nuncupantur & patrimonium Christi: quia propter Christum, & eius obsequium, & gloriam donatæ sunt, quæ Christi Domini hæreditas nequiter consumi nõ debet. 3. Dicuntur & bona pauperum, vtpote pauperibus impertienda. Quomodo etiam secũdum *Hieron in reg. Monach. c. de paupertate, & habetur dist. 42. c. Hospitalem: aliena rapere cõuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur.* 4. Sunt & Clerici quasi parentes & curatores pauperum. 5. Multi etiam Canones præcipiunt, vt fructus ecclesiasticorum reddituum, & fidelium oblationes quatuor in partes tribuantur, quarum vna cedat Episcopo, altera Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus. Ita habemus 12. q. 2. can. 26. Concessit 27. Quatuor, qui sunt Gelasij can. 28. de redditibus, qui est Simplicij can. 29. Cognouimus, & can. 30. Mos est, qui sunt Greg. Dispensatores itaq; & munifici dispensatores sint Ecclesiastici. *Omne quod supereſt necessitatibus, inquit S. Greg. c. 1. respons. ad Aug. Angl. Episcopum, & habetur*

Ecclesiæ prouentus res Dei patrimonium Christi, bona pauperũ.

Prouentus Ecclesiæ olim quatuor in partes tributi.

11.q.1.cap.8. *Quia tua: in causis piis ac religiosis erogandum est: Domino magistro omnibus dicente. Lucæ 11.v.41. Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Et can.13. Expedit, qui est S. Prosperi. Quisquis omnibus quæ habuit, dimissis aut venditis fit rei suæ contemptor, cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habuit Ecclesia, efficitur dispensator. Et can.23. Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reuerentia & timore Dei, participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, & iuxta Apostolū 1. Tim.6.v.8. Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Et can.21.* Indignè. *Non aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.*

Idem Ecclesiæ sensus, iudicium & desiderium post beneficiorum diuisionem permansit, quæ ante fuit.

§. Eadem vero Ecclesiæ mens, sententia & voluntas permansit à reddituum Ecclesiasticorum partitione, vt cognoscimus ex Trident. Synodo sess.25.c.1. de Reformat. & nisi id decretum habuisset Ecclesia, vt superflua in pios vsus impenderentur, imprudenter imo impiè tantam fructuum abundantiam Clericis concederet: nam illis ansam porrigeret luxus, superbiæ, libidinis, & id genus aliorum flagitiorum, frustraretque pia fidelium vota, deberetque potius bonam illis partem detrahere, & in meliores causas & vsus impendere. Qui enim causam damni dat, damnum dedisse putandus est. Concludatur istud Caput hac *Sancti Hieron. epistola secunda, ad Nepotianum, capite decimo nono*, breui sed neruosa sententia: *Optimus dispensator est, qui sibi nihil reseruat.*

CAPVT XXI.

VIR ECCLESIASTICVS DEO, A QVO HVNC in finem accepit, sua, id est, Dei bona, suo temporali, spirituali, & cœlesti commodo & emolumento egenis largitur.

Eleemosyna Deo quod ipse dedit reddimus & cõmodo nostro reddimus.

§. ILlud etiam ad liberalitatem calcar & stimulus est, si cogitemus cui, quid, qua nostra vtilitate largimur. 1. *Cui* donamus? *Deo donanti suam benedictionem, & tribuenti omnia. Genes. 33. versic. 11. Ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Rom. 11. ver. 35. Patri luminũ, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Iacob. 1. v. 17. Amen, inquit, dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Matth. 25. v. 40.*

§ 2. Quid donamus in egenis Deo? *Dona ipsius Tua*, ait, *Dauid 1. Paralip. c. 29. v. 14. Domine sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Luc. 11. v. 13. Nostis bona data dare filijs vestris.* Vos parentes liberis vestris bona donatis, sed non alia, quam quæ vobis ab omnium parte Deo donata sunt. *S. August. l. 1. Confes. cap. 4. Deus*, inquit, *meus nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas. Lu. 10. & quis habet quicquam non tuum? Qui idem S. Augustin. serm. 15. de verbis Domini. Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo, quod tibi dedi, de meo quæro, da & redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi da, æterna tibi restituam, teipsum mihi reddam, quando te mihi reddidero.*

Eleemosyna emolumẽta.

§ 3. Et quo commodo vel incommodo, quo emolumento vel dispendio largimur? Nihil perdimus, plurimum acquirimus. Paramus & adipiscimur temporalia, spiritalia, & cœlestia bona.

1. Eleemosyna auget tẽporalia bona.

§ 1. Quo ad externa bona: Rectè *S. Leo sermon. 10. de Quadrag.*

Quadrag. Securus & hilaris sit eleemosynæ distributor : quia tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reseruauerit, dicente B. Apostolo Paulo 2. Cor. 9. v. 10. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ in Christo Iesu Domino nostro. Imo & *S. Aug. hom. 29 l. 50. Homil. Metiatur,* inquit, *vnusquisq; vires suas, non thesaurizare attendat in terra : det, non perit, quod dat. Non dico hoc non perit : sed dico hoc solum non perit. Alia vero quæ non dederis, & abundant tibi, aut cum viuis, amittis, aut cum moreris, dimittis. Card. Pet. Rauennas : Da,* inquit, *pauperi, vt detur tibi : quia quicquid pauperi non dederis, habebit alter.* Fit hic quod sapientissimus ait Salom. Prou 11 vers. 24 *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Et *Prou. 28. v. 27. Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecatem, sustinebit penuriam.* Quantis opibus Abrahamum & eius nepotem Lothũ cumulauit Deus, cum ipsi in egenos essent benignissimi. *Gen* 18. & 19. Similiter *Tobiam* c. 1. & 12. Tiberiũ Cæsarem, vt auctor est S. Greg. Turon. l. 5. hist. Francor. c. 19. in pauperes liberalissimum duplici eoque ingenti thesauro cumulauit, altero in palatio, altero in Narsetis domo reperto Idem B. Greg. Turonic. lib. de gloria Confession. c. 107. narrat quod cum S. Paulin. vnum qui supererat panẽ mandasset, vt pauperi daretur, naues annona & vino onustæ ad eũ aliunde delatæ sunt. Scio plerosque sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse, ait S. Ambros. l. 2. off. c. 16. Accedit & illud, quod ait Cicer. l. 1. de Finib. *Liberalitate qui vtuntur, beneuolentiam sibi cõciliant,* & [quod aptissimum est ad quiete viuendum] *caritatem. Et l. 2. Beneficium & gratia vincula sunt concordiæ.*

Omnia caduca bona pereunt, hoc solum nõ perit, q; Deo in pauperib. vel piis vsib. erogatur.

Exempla eorũ qui eleemosynarũ largitione ditati sunt.

2. Eleemosyna beneuolentiam colligit.

§. S. Dauid Psalm. 40. vers. 1. & seq. multam etiam temporalem felicitatem pollicetur prolixè aliis subuenienti. 1. quod tempore penuriæ, afflictionis, & cu-

3. Eleemosyna præsenti & futura miseria, è

mortis periculo, ex hostiũ insidiis, ex morbis, eorumq; acerbitate liberat.

iusuis mali, ac præsertim extremo mundi die sit illum omnibus exemptur mi seriis. 2. quod Dominus custodiet eum, ne in malum incidat, aut si inciderit, ne superetur. 3. quod si in mortis discrimen venerit, sit vitam illius propugnaturus. 4. quod efficiet, vt bene beateque ac commode viuat in hoc mundo, & post in terra viuentium æterna donabit felicitate. 5. quod eum non tradet hostium, siue hominum, siue dæmoni voluntati, libidini ac potestati. 6. quod animi vel corporis ægritudine laboranti, præsto futurus auxiliumq; præbiturus sit Dominus, ac mirifica consolatione recreaturus, non aliter atq; is, qui versat & reuersat lectum, vt infirmus mollius quiescat & cubet. *Beatus*, inquit, *qui intelligit super egenum & pauperem* [attentè cogitat, & prudenter considerat eorum necessitates] *in die mala liberabit eum Dominus. 2. Dominus conseruet eum, 3. & viuificet eum, 4. & beatum faciat in terra, 5. & non tradat eum in animam inimicorum eius. 6. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Prou. 19. v. 17. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.*

4. Eleemosyna pro tẽporalib. & corporeis bonis spiritalia impetrat.

§. Sed & spiritalia in miseros benefico accumulantur bona. *Pauperibus posset Deus, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordia sua, & illos iustificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis, ait S. Leo in ieiunio 10. mens. serm. 5.* Affirmat S. Dauid Psalm. 111. vers. 9. iustum instar seminantis diuitias dispergere, non in voluptates & luxum, sed in egenos abundanter, & copiosè effundere, ac minimè abscondere & coacernare, & minuendo pecuniam amplificare iustitiam, æterna felicitate remunerandã, quin & in hoc sæculo eum potentia & honore decorandũ. *Beatus*, inquit, *vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.*

§. Prou.

§. *Prouerb.22.versicul.9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.* Benedicetur 1.hominum laudatione, 2.temporalium & spiritalium bonorum copiis, 3 beatæ æternitatis, & æternæ beatitudinis gaudiis.

§. *Isaias cap.58.ver.7.8. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* 70. *Gloria Dei circumdabit te* [quasi veste pulcherrima, *vt glorificeris apud Deum, & apud homines*, ait *ibi in Commenr. S.Hieronym.*] *& versic.9. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum. Non voce*, inquit *ibidem S.Hieronym. sed opere, non responsione, sed beneficijs. Et versic.10. & 11. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et quietem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit. Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

§. *Sanctus Hieronymus in huius loci Comment.* notat 1. quod Propheta dicat, vt non modo panem, sed & animam ipsam esurienti demus, & eum in quibuscunque pressuris adiuuemus: & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis quam dantes beneficium, hilarem enim datorem diligit DEVS, 2.Corinth.nono. 2. vt animam esurientem, siue afflictam non refocillemus ex parte, sed saturemus, & doleamus cum dolentibus, lugeamusque cum lugentibus, Roman.12. 3. quod hinc orietur in tenebris lux nostra, id est Christus Dominus, qui ait *Ioann.12.vers.46. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, sed habeat lucem*

Qualiæ quantaq; eleemosynæ emolumenta.

lucem vitæ, & sic tenebræ nostræ vertantur in meridiem. 4. quod requiem corporis, animi, & æternæ vitæ largiturus Deus. 5. quod habiturus sit semper habitatorem Deum, qui animam splendoribus, & omnium desiderabilium saturitate impleat. 6. quod liberabit ossa de igne perpetuo. 7. quod erit fertilissimus virtutum & bonorum operum hortus, & perennis quidam fons spiritalibus & cœlestibus donis redundans, v. quemadmodum loquitur Apostolus 2. Corin. 9. *abundent in omne opus bonum, Deo incrementa frugum iustitiæ augente. Date eleemosynam*, inquit Dominus *Luc.11.ver.41. & ecce omnia munda sunt vobis.* Date eleemosynam à vobis inchoando. *Eccl.30.ver.24. Miserere animæ tuæ placens Deo. Date ex caritate multitudinem peccatorum operiente.* 1. Pet. 4. *v.8.* cuius caritatis proprius eleemosyna actus est. Date eleemosynam, quæ vos disponat & præparet ad capiendam gratiam & iustitiam. Act.10.v.4. & debitarum peccatis pœnarum condonationem obtineat. Eccl. v.15. & 33. Dan.4.v.24.

Eleemosyna sempiternã promeretur felicitatem.

§. Quod eandem in egenos munificentiam sempiternæ felicitatis præmio remuneret Deus, sæpissimè confirmat Dominus. *Luc.6.vers.38. Date & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Luc.12.v.33. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis; quo fur non appropiat, neq; tinea corrũpit. Luc.14.c.13. Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Lu,16.v.9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. S. Leo serm.4. de Collectis: Cui laborantium licet negare, quod Christus sibi profitetur impendi? Iuuatur conseruus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni regni cœlestis est pretium, & largitor temporalium hæres sit æternorum. Vnde autem ista exigua impen-*

impendia, tanta æstimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum caritatis lance pensantur, & quum amatur ab homine, quod Deus diligit, merito in eius ascenditur regnum, in cuius transitur affectum? Vnde & Matth. 25. v. 34. ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Idem Sanctus Doctor & Pontifex serm. 4. de ieiunio septem mens. *Mirabiliter ait, diuina prouidentia disposuit, vt essent in Ecclesia & sancti pauperes, & diuites boni, qui inuicē sibi ex ipsa diuersitate prodesset, cum ad æterna & incorrupta præmia promerenda, Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes.*

CAPVT XXII.

EXEMPLA ECCLESIASTICORVM IN EGENOS liberalissimorum.

HABENT in hoc genere D. Ecclesiastici præstantissimos & sanctissimos sui Ordinis, quos æmulentur, viros, in egentes benefitentissimos & largissimos. S. Joannes Alexandrinus Patriarcha cognomento misericors, siue Eleemosynarius, vt in eius vita auctor est Leontius Episcop. Neapoleos in Cypro in 2. Synodo Nicęna act. 4. commendatus, cum quintum decimum annum ageret misericordiam sibi desponsauit. Ipso suę in Patriarcham electionis die. *Non iustum est, inquit, O fratres, ante alterius cuiusquam curam habere, quam Christi. Euntes ergo per totam ciuitatem, conscribite mihi ad vnum omnes dominos meos & auxiliatores* [ita vocabat pauperes.] *Mirā autem celeritate annotati sunt supra septem millia quingentos, quibus cum annonam & in singulos dies per suum procuratorem sustentationem constituisset, ad templum consecrandus perrexit.* Eius institutis formatus ipsius minister Zacharias quicquid habere potuit è vestigio paupe-

Apud Surium 23. *Ianuar.*

pauperibus dilargitus est, cuius & vox audita: *Sic & Deus, aut tu mittendo, aut ego dispergendo, videbimus quis vocat. Liquet enim, quoniam tu dives Domine, & vita nostra miserator es.* S. Joanni singulis hebdomatibus Nosocomium, bis terue inuisenti quidam peregrinus mutato semper habitu, licet agnosceretur tribus vicibus largissimam accepit ei obuiam [f]actus eleemosynam & duodecim aureorum. Plura ibidem de Petro Tolonario, de Troilo Episcopo, de S. Joannis famulo, de Trapezita. Quicquid illi donauit DEVS, in pauperibus reddidit. Quid ad hos, qui vel bona Ecclesiastica dilapidant, vel ad ditandos cognatos conferuant?

§. Sanctus Martinus Turonensis Episcopus, & Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ Diuus tutelaris ac patronus. Hic adhuc baptismi Candidatus, & sub Juliano militans continenter assistebat laborantibus, opem ferebat miseris, egentes alebat, nudos vestiebat, nihil sibi ex militiæ stipendiis præter quotidianum victum reseruans. Ambiam chlamydem suam, cum aliud ad manum non esset omnibus in materia opera expositis, cum paupere partitus, ea Christum insecuta nocte vestitum conspexit, dicentemque ad circumstantes Angelos inaudiuit. *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Ita in eius vitæ historia capite 1. & 2. Seuerus Sulpit. Qui & Dialogo 2. de eodem commemorat cap. 1. quod ad Missarum solennia processurus ipse sibi latenter vestem detraxerit, eaque nudum & algentem pauperem induerit.

§. Doctorum Ecclesiæ antesignanus *S. Augustinus epistola 89. ad Hilarium, quæst. 4. Ego,* inquit, *qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti Matthæi 19. vers. 21. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me, vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius*

ipsius adiuuante sic feci. Et ad hoc propositum, quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes. Cum his Dei seruis vivit, secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Maxime, vt nemo quicquam proprium haberet, sed eis essent omnia communia, & vnicuique distribueretur, sicut opus erat, quod iam prior ipse fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset, ait *Possid.* illius discipulus, & 40. annis contubernalis Calamens. Episcop. *in eius vita c. 5. & c. 23. Pauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat, vnde & sibi suisq; omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est ex redditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et cap. 24. Interea dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere, quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos, & quam plurimos indigentes, frangi & conflari iubebat, & indigentibus dispensari.* Quod & ante fecit & laudauit S. Ambr. lib. 2. off. c. 28. &, vt ibid. narratur & S. Laurent.

§. S. Acatius Episcopus Durenditis Ecclesiæ vasis captiuos redemit, vt scribit Niceph. l. 14. c. 22. Trip. l. 11. c. 16. Socr. & alii. Idem & circa annum Dom. 447. fecit Deo gratias Episcopus Carthaginensis, vt testis est Victor Vticensis libro primo. historiæ Vandalicæ folio 5.

§. *Paulinus noster*, ait *S. August. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 10. Nolensis Episc. ex opulentissimo diuite, voluntate pauperrimus, & copiosissime Sanctus, quando & ipsam Nolam Barbari* [Gothi & Vandali] *vastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur: Domine non excrucior propter aurum & argentum, vbi enim sint omnia mea, tu scis. Ibi enim habebat omnia sua, vbi eum condere & thesaurizare ille monuerat Matth. 6. v. 10. qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Hic,* vt testis est *S. Gregor. Turon. l. de gloria Confess. c. 107. Vir nobilis, cum audisset consilium Domini, Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes,*

habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & vi sequere me, amplissimas diuitias suas, quas in fundis, domib & aliis rebus possidebat, diuendidit, & pauperibus erogau tamque prolixa in miseros benignitate fuit, vt auctore Sa cto Gregorio Magno l. 3. dialog. c. 1. *vt cuncta quæ ad Episco sum habere potuit captiuis indigentibus largiretur*, cumq iam nihil omnino supereſſet, *viduæ pretium pro redemptio vnici filii captiui à VVandalis postulanti: Mulier*, inquit, *quo possim dare non habeo, sed memetipsum tolle seruum, me op tui esse profitere, atque vt filium tuum retipias, me vice illius seruitium trade.* Quod & factum, ipseque Sanctus Pau linus Episcopus hortulani munus obiens panè vitam sustentabat, sed ex liberali forma, virtutis indicia, sapientissimis responsis, regiæ mortis prænunciatio ne, & terribili viso regi obiecto agnitus, & ipse, & o mnes ciues Nolani in eius gratiam libertate dona & nauibus frumento onustis in patriam redu sunt.

§. Sanctus Gregorius Magnus peregrinos quo die ad mensam adhibebat, in quibus & Angelum & Angelorum Dominum peregrini facie accepit. Pau peres & vrbanos, & externos, quorum numerum de scriptum habebat, benignissimè sustentabat. Ita Joan Diacon. in S. Greg. vita lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 22. cap. 23.

§. Quam felices forent D. Ecclesiastici, si collat in calamitosos bonis conscribendi testamenti copi cum S. August. non suppeditaret, aut cum S. Joan. Al xandrino simile facerent. De B. August. Possidius Ca lamens. Episcopus cap. 31. *Testamentum nullum fecit: quo vnde faceret pauper Christi non habuit.* De Sancto Joanne Alexandrino Patriarcha, qui nuncupabatur miseri cors & Eleemosynarius hunc in modum scribit Sy meon Metaphrastes. Testamentum eius sic habebat: *Ago tibi gratias Domine Deus meus, quod me dignũ censuero,*

qui

qui tua tibi offerrem: & quod ex mũdi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam iubeo quoq; dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo, cui nunc quoque trado animam.

CAPVT XXIII.

CASTIMONIAM AB ECCLESIASTICIS exigit Apostolus.

§. CAstitatem *pretiosissimam omnium maximamque possessionem, naturalem diuinæ effigiei pulchritudinẽ, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit*, vt asserit *Magnus Basil. l. de Virginit.* tenerè ament, arctè complectantur, cautè custodiant. Nec quicquam potius hac corporis mentisque integritate in Ecclesiastico viro commendat, vrgetq; Apostolus perpetuus castimoniæ cultor, & laudator eximius. Nam 1. *Tim. 3. v. 2. exigit, vt sit pudicus. Hoc*, ait *S. Hier. lib. 1. aduersus Iouinian. c. 20. Significat σώφρονα ornatum castitate & moribus, vt nimirum non modo corpus illibatum conseruet, sed neque intuitu, voce, gestu leuitatem castimoniæ inimicam & probrosam ostendat.* Digna ibid. *S. Hieron. sententia: In omni gradu & sexu tenet pudicitia principatum.* Rursum *eadem epistola Timotheica 1. cap. 3. v. 8. Diaconos*, ait *Apostolus similiter pudicos.* Et *cap. 4. v. 12.* Suum amantissimum hortatur Timotheum: *Esto exemplum fidelium in castitate.* Vt vel ex te vno discant, quam purè & integrè viuendum sit. Et *cap. 5. v. 1.* cauet, vt necessitatis admonitionis tempore cum iunioribus fœminis agat *in omni castitate*, hoc est, eximia mentis, aspectus, sermonis, operis puritate. vbi *B. Chrys. homil. 13. In omni castitate. Nõ modo*, ait, *obscœni congressus vitium cauete, verum omnem suspicionis vel obscuræ aditum claude. Quia adolescentularum colloquia turpi suspicione difficile carent.* Et *v. 22.* Teipsum, ait, *castum custodi, S. Chrysost. homil. 16. in hanc*

Eximia castitatis laus

Castitas virtutum princeps.

In necessitate loquendi cum illis, quãta castitas adhibenda mulierũ colloquio.

& epistolam & sententiam de pudicitia illi, inquit, serm
Si autem viro vsque adeo ieiunijs dedito, & in tantum aqua
sueto, vt infirmaretur, & crebras morborum molestias pa
tur, pudicitiam præcepit, neque ille monita renuit, quanto m
gis cum à quouis de huiusmodi monemur, æquanimiter ferri
bemus. Iterum epist. 2. Timotheica c. 2. v. 3. & 4. Nemo, ait, m
litans Deo implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, cui
probauit. Et quæ arctiores nuptiis pedicæ? Ad Tit. 1. v.
Oportet eum esse continentem. Vbi S. Hieron. in Comment. a
vxoris amplexibus. Et quanto magis concubinæ, vel e
iusuis meretriculæ. S. Chrys. hom. 2 in eam epistol. eande
voculam (continentem) sic exponit: Non enim eum, qui
iunio studeat, hic significare voluit, sed qui vitium omne sup
uerit, & linguam, & manum, impudicosq; castigauerit ocul
hoc quippe est continentia nulli vitio subijci. Ex quibus Ap
stoli sententiis euidens est sacratorum hominum cœ
batum ex Apostolorum instituto & traditione orig
nem, & primordia sua ducere, vt rectè docet S. Hiero
epist. 50. ad Pammachium: Christus Virgo, ait, Virgo Mar
vtriusque sexus virginitatem dedicauere. Apostoli vel virgi
vel post nuptias continentes: episcopi, presbyteri, diaconi aut vi
gines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æter
pudici. Quid ad hoc, qui audent de connubio Cleric
concedendo disputare? Homines subantes ad coitum, vt
bidem ait D. Hier. Quod & affirmat Concil. Carthag. sexu
bet, vt maio dum can. 2. Omnibus placet, inquit, vt Episcopi, presbyteri, di
rib. ordinib. coni, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam
initiati ca- ab vxoribus se abstineant, vt quod Apostoli docuerant, & p
stè viuant. seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus, habetur dist. 8
cap. 3. cum in præterito. & c. 4. cum de quorundam. De
hac perpetua Subdiaconorum, Diaconorum, &
Sacerdotum castitate multi extant Cano-
nes. dist. 32. & habetur
dist. 31.

O tempora, O mores.

CAPVT

CAPVT XXIV.

SVA ET IN NATVRAE, ET LEGIS STATV *Dei ministris castimonia non deficit.*

SAnctissimè verò & iustissimè Apostolus, & Catholica Ecclesia, vt perpetuam maiorum Ordinũ Clerici colant castitatem, requirit, nã vt omittatur, quod in lege naturæ Abel iustitiæ princeps, & primus Virgo & Martyr fuerit, & simul Sacerdos, vt tomo 3. S. Aug. affirmat auctor de mirabilibus Scripturæ lib. 1. c. 3. Et Melchisedech similiter connubio abstinuerit, vt censet B. Ignat. epist ad Philadelph.

Castitas sacrorum hominum in lege naturæ.

§. In scripta lege semper continentia ab ijs desiderata & requisita fuit, qui ad Deum accessuri, vel rẽ sacram tractaturi essent. Commesturis Paschalem Agnum, Exod. 12 v. 11. præcipiebatur, *vt renes accingerent*, hoc est, interprete *S. Gregor. hom. 22. super Euang. carnis voluptates edomarent, & luxuriam restringerent.*

Continẽtia in vetere lege.

§. *Exod. 19. ver. 14. 15. Descendit Moyses de monte ad pbpulum, & sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Ista præparatio dandam à Domino legem antecessit, de quo Scripturæ loco ita *S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 50. Inoffensum, inquit, exhibendum & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis. Castificabatur populus per biduum, aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet. Et lauabat vestimenta sua. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate. Disce sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur,*

accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpo
audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare.

§. *Exod.28.v.42.& 43.Facies & fœminalia linea,& op*
riant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora, e
ventur eis Aaron, & filii eius, quando ingredientur taberna
culum testimonii, vel quando appropinquant ad altare, vt m
nistrent in sanctuario,ne iniquitatis rei moriantur. Hæc Sa
cerdotum femoralia,siue subligacula eorum designa
castitatem, vt habet Orig.super Leuit.homil.4.& 6.
Isychius in Leuit.c.6.v.10.& cap.16.v.4.V.Beda,
Tabernaculo cap.9.docet hoc significatum esse,debe
re Sacerdotes noui Testamenti aut Virgines esse, a
contracta cum vxoribus matrimonia dissoluisse.

§. 1.Reg.21 Noluit Achimelech Sacerdos Dauid
& sociis panes propositionis dare comedendos, ni
aliquamdiu ab vxoribus continuissent. Vnde S.Hie
nymus Comment. in 1.capit. Titianæ epistolæ colli
perpetuam in Sacerdotibus requiri continentiam, v
qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas of
ferant victimas, ac præsertim corpus Christi, inter quod
& panes propositionis tantum interest, quantum in
ter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem
inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exem
pla præfigurabantur.

§. Lib.1.Paralip.cap.24.& Lucæ 1. cognoscitur ve
teris Testamenti Sacerdotes per suas vices ministra
solitos toto eo tempore, quo suum in tabernaculo e
bibant ministerium, à domo abfuisse & vxore. Quod
sapienter animaduertit *Syricius Papa epistol.ad Himeriu*
Episcop.Terraconens.c.7.& habetur dist.82.c.3. Plurimos Sa
cerdotes, Cur, inquit, *Dominus Deus noster, eos, quibus cõ*
tebantur Sancta Sanctorum præmonet, dicens Leuit.20. San
cti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester, cur etiam
procul à suis domibus anno vicis suæ in templo habitare iuss
sunt sacerdotes? Hac videl. ratione, ne vel cum vxoribus sua
possunt

possint carnale exercere commercium: vt conscientiæ integritate fulgentes, munus acceptabile Deo offerrent, &c. Eadem cõfirmat *Innoc. 1. epist. 3. ad Exuperium Tolosan. Archiepisc. c. 1. & habetur ead. dist. 82. c. 1. Proposuisti. Et V. Beda in c. 1. S. Lucæ vers. 23. & factum est, vt impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. Hoc est, ait, quod dixi, quod vicis suæ tempore Pontifices, templi tantum officiis mancipati, non solum à complexu vxorum, sed etiam ab ipso domorum suarum abstinerent ingressu.* Vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari seruire iubetur, perpetuo seruandæ castitatis exemplum datur.

CAPVT XXV.

MVNIIS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS impedimento est matrimonium.

§. CLericorum ad hæc functionibus & officiis, cõiugij etiam sancti vinculum plurima impedimenta obijceret. Munus est tremendum illud Deo offerre Sacrificium. Sed huic obstaculum ponit coniugium. Hinc *S. Hier. l. 1. aduersus Iouinian. cap. 19. & habetur dist. 31. c. 8. Si laicus, & quicunq; fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali, 1. Cor 7. v. 5. & 33. Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare, habetur dist 31. c. 5 Tenere debet.*

Propter diuinissimũ sacrificium maximè decens Ecclesiastico castitas.

Clerico sẽper in sacrificio precaturo, semper à coniugio temperandum.

§. Peruetus ille & perdoctus *Orig. hom. 23. in Num.* *Certum est*, inquit, *quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui coniugalibus necessitatib seruiunt. Vnde videtur mihi, q illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Hæc caussa traditur distinct. 11.*

cap. 3. sacerdotib. cap. 4. Episcopos, cap. 5. eos. *Accedit quod hoc sacrificio virginea filii Dei caro immoletur, vt proinde summa, & animæ, & corporis puritas merito exigatur*, vt & lib. sexto de Sacerdotio demonstrat Sanctus Joannes Chrysostomus.

Propter continuas preces Clericis à matrimonio temperandum.

§. Clericorum munus est assiduè pro se, ac toto populo Deum deprecari, oratio autem postulat mentem tenuem, & in Deum, ac res cœlestes sublatam & tranquillam, cuius aciem & vigilantiam summopere obtundit coniugij vsus, vt docet S. Augustin. l. 14. de ciuit. Dei c. 16. atque idcirco Apost. 1. Cor. 7. v. 5. hortatur coniuges, vt sint abstinentes, quo attentius & religiosius precibus dent operam. Ex quo S. Epiphan. hæres. 59. contra Catharos. Ambr. in c. 3. prioris ad Timoth. Hieron. in cap. 1. epist. ad Titum. & lib. 1. contra Joun. *rectissimè arguunt sacerdoti semper à nuptiis cessandum, qui semper orandum.*

Ratione sacramentorum dispensationis à cõiugio abstinendum.

§. Clericorum officium est diuinissima dispensare Sacramenta, cui non parum officit matrimonium, ni vt auctores sunt Joan. Nauclerus, & alij, cum in nostra Germania tempore Gregorij VII cœpissent Sacerdotes vxores ducere, tantus Sacramentorum contemptus secutus est, vt passim Laici Sacramenta administrarent, & fuerit sicut populus, sic Sacerdos, imo ne quidem Sacerdos sicut populus, vt merito affirmet hæresi 59. S. Epiphanius *propter honorem sacerdotij necessariam esse continentiam.* Quod & tom. S. Aug. 10. habetur serm. 39 ad fratres in eremo. Et Innocent. I. epist. ad Vict. confirmat. Et *S. Hier. epist. 50 c. 3.* quæ est Apologia ad Pammachium, pro libris suis aduersus Joun. *Ecce*, inquit, *perspicuè nuptias diximus concedi in Euangelio, sed tamen easdem in officio suo permanentes præmia castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt mariti, non multi irascantur, sed scripturis sanctis, imo Episcopis & presbyteris, & diaconis, & vniuerso choro sacerdotali & Leuitico, qui se non-*

nouerunt hostias offerre non posse, si operi seruiant coniugali.

Ecclesiastici, vt efficacius populū doceant matrimonium nō contrahendum.

§. Clericorum partes sunt erudire populum, huic autem institutioni officit etiam legitima cum muliere coniugatio. Quis enim Sacerdoti marito suadenti virginitatem, viduitatem, caducarum rerum despicientiam, assiduam contemplationem, & deprecationem adiunget fidem, cum ipse matrimonio indulgeat, liberos procreet, iis thesauros coaceruet, negotiis & curis sæcularibus se immergat? *Quomodo*, inquit, *S. Ambr. l. 1. off. c. 50. potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?*

§. *S. Aug. serm. 249. de Tempore. Omnibus*, inquit, *castitas perneccssaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis: quibus Dominus per Legislatorem dicit Leuit. 19. versic. 2. Sancti estote: quia & sanctus sum, Dominus Deus vester.* Doctè & eleganter more suo *B. Hieronym. epist. 2. ad Nepot. cap. 8. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hoc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potest: sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent.*

Vt liberius & sanctius Deo vacēt, Ecclesiastici coniugium repudiant.

§. Clericalis officii munus est summo Imperatori, Deo militare, cui ad hoc solenni etiam Sacramento se obligarunt, & sub eo æternæ beatitudinis mereri stipendia, fælices bona si sua norint Ecclesiastici. *Nemo autem militans Deo*, ait *Apostol. 2. Tim. 1. v. 4. implicat se negotiis sæcularibus*, his autem cælebs se non implicat, implicat autem maritus, quemadmodum docet *Apostol. 1. Corint. 7. vers. 32. & 33.* cum ait. *Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum*

vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est, in multas scilicet occupationes & curas.

Vt plures feliciusq; spiritales Deo filios generent liberis carnalibus procreandis operam dare non debẽt Ecclesiastici

§. Clericorum functio est pascere & gubernare populum ipsis subiectum, sed huius populi cura & charitas, idcirco à coniugibus prætermitteretur, quod tota in vxore & liberis consumeretur, in quib. & cogitatio, & affectus penitùs inhæreret, nec in spiritales filios vim suam exerçeret. Pauçissimorum est ille sensus. Ambros. l. 1. off. c. 7. quo hunc in modum suos affatur clericos: *Neque enim vos minus diligo, quos in Euangelio genui quam si coniugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certè diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos in hoc tantum sæculo. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui deserunt patrem: vos ante elegimus, vt diligamus. Itaque illi necessariò diliguntur, quæ non satis idonea atque diuturna est, ad pœnitentiam diligendi magistra: vos iudicio, quo magnum charitati pondus ad vim diligendi adiungitur, probare quos diligatis, diligere quos elegeris.*

Calamitosorum cura Ecclesiasticos à matrimonio impedit.

§. Id & Clericis munus incumbit, vt egenorum, viduarum, orphanorum ac calamitosorum curam intendeant, & libenter, sollicitè, & benignè sustineant. Id enim factitatum Apostolorum, quorum vestigia premere debent, temporibus Act. 6. v. 1. & seq. 1. Cor. 16. v. 1. & seq. 2. Cor. 9. v. 1. & seq. Gal. 2 v. 10. Quæ de re multa extant Canones. 12. q. 1. & 2. Sed Clerici coniugio innexi, ea bona potius in vxorculam & filiolos conferre studerent, sicut & nunc quidam suos cognatos locupletare totis viribus in suam perniciem connituntur. Cùm enim parentes suis cupiant prospectum liberis, & illis relinquere Ecclesiastica beneficia non possent, essent prorsus auarissimi (quod summopere detestatur Apostolus) ipsis vt necessariam imo & copiosam hæreditatem vndique corraderent.

CAPVT

CAPVT XXVI.

CLERICVS IN MAIORIBVS ORDINIBVS constitutus, & castitatem vouit, & eam violans, duplex mortiferum committit flagitium.

His igitur aliisque grauissimis de causis Clericos à coniugio temperare voluit Ecclesia, cuius sanctiones videre est apud Gratianum dist.72.can.2. Diaconus & can.9.Presbyteris. Et dist.28.penè tota. & distinct.32.tota. & in Decretalib.l.1.Tit.14.de ætate,qualitate,& ordine præficiendorum c.9. A multis,& l.3. Decretal.Tit.3.de Clericis coniugatis c.1.3.4.5.& lib.4 tit.6. Qui Clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt Conc.Triden sess.24.can.9.S.Hier.l.1.in Iouinian. c.19.

§. Et quidem olim disertis verbis castitatis votum Subdiaconi nuncupabant, nunc autem Ecclesiæ decreto, ita hypodiaconatui, & omnibus altioribus ordinibus annexum est, vt eo ipso, quo illos suscipit, tacitè castitatis votum edat,& profiteatur. Estq; votum solenne, sicut & illud, quod in approbatæ Religionis sit professione: quia immutabilis status susceptioni coniungitur, vt habetur cap.vnico de voto in 6. Quapropter tam Clericus, quam Religiosus promissam, votamq; Deo castitatem violans duplex mortiferum flagitium committit, alterum contra diuinum præceptum fœdam turpitudinem vetantis, alterum contra sponsionem & votum, quod vt soluatur, mandauit Deus *Deut.23.v.21.Cum votum voueris Domino Deo tuo,non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū. Psal.75.ver.12.13. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili,& ei qui aufert spiritum princi-*

pum, terribili apud reges terræ. Voti sane violatio irrepens aduersus Deum, eius non vulgarem contemptum habet, sicut & despicatui iudicatur habere hominem, qui datam illi frangit fidem. Etenim *qui seipsum Deo mel deuouit*, ait *S. Basil. quæstione vel regula 14. fusius explicata, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiuerit, sacrilegio scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit.* Quod & inculcat serm. 1. de institutionib. Monachor.

CAPVT XXVII.

MATERIA GAVDII, CONIVGII MOLestiis, & oneribus non implicari, & castitatis facilitate, iucunditate, honestate, atq; optimis fructibus delectari.

§. NEQVE dolenter, sed lætè ferant, quod matrimonii nexibus se implicare nequeant. Namque ait *Dominus Luc. 9. v. 62. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Causam verò gaudendi à *S. Augustin. epist. 45. ad Armentarium & Paulinam* accipiant, vbi ita loquitur: *Priusquam esses voti reus liberum fuit quo esses inferior: quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero, qua tenetur apud DEVM sponsio tua non te ad magnam instituit inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim tali voto, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses non peior. Modo autem tantum quo absit, miserior, si fidem DEO frēgeris, quanto beatior, si solueris. Nec ideo te vouisse pœniteat, imo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui tua tua expetit. Fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. Et*

vera

vero ea est castitatis facilitas, iucunditas, vtilitas, pulchritudo & dignitas, vt ea consideranti mirificos sui amores excitet. Et quidem facilitatem ostendit ingens castissimè viuentium multitudo. Mox ab Ecclesiæ incunabulis vidit S. Ioannes Apocal. 14. *versiculo* 1. & 4. *cum Christo Agno centum quadraginta quatuor millia stantes supra montem Syon, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Et subdit: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* S. Ambros. lib. 3. de Virginibus. *Si quis,* inquit, *consecratione virginum minui genus humanum consideret, quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi quoq; numerū hominum esse maiorē. Discite, quātas Alexandrina, totiusq; Orientis & Africana Ecclesia, quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines cōsecrantur.* S. Augustinum castitatis difficultates metuentem, ac proinde deliberātem, ac cunctabundum ipsa castimonia frequenti, & ingenti pudicissimorum vtriusque sexus hominum cœtu non sine suaui derisione ad se pellexit. Hunc enim in modum ille scribit *lib. 8. Confess. cap. 11. Aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi dicerent: Tu non poteris quod isti & istæ? At vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in* DOMINO DEO *suo? DOMINVS DEVS eorum me dedit eis. Quid in te stas & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet te & saluabit te.* Eandem facilitatem indicauit Dominus cum castitatis religione & voto

Castitas facilis & expedita.

voto sacratos Eunuchorum nomine designauit Mat. 19. Quam enim faciliter Eunuchi ab eo abstinent, cuius facultatem non habent, atque idcirco neq; illum suscipere cogitationem debent, tam facile perpetua voluntate continentes; quia quod in illis natura, hoc in istis, multo potentius efficit gratia, quæ conformate omnia possunt, Philip. 4. & faciliter possunt.

Iucundissima & suauissima castitas.

§. Quanta etiam iucunditas est, non esse in potestate alterius, sed liberum, non alligatum esse viro, sed ab ea solutum, tribulatione carnis carere, qua vexantur coniuges, cum tamen & ipsis viuendum, tanquam coniugij expertes, *non sollicitum esse, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & in innumerabiles curas distrahi & dissecari, sed sollicitum esse, quæ Domini sunt, quomodo Deo placeat, illique gratum officium præstet.* Quæ omnia docet Apostolus, 1. Cor. 7. v. 4. 26. 27. 28. 30. 32. 33. 34. Ex eo mutuatus est illud dictum *S. Hier. l. 1. in Iouin. c.* Quanta, inquit, *felicitas est non vxoris seruum esse, sed Christi, non cani seruire, sed spiritui? qui enim adhæret Deo, vnus spiritus est.* 1. *Cor.* 6. Ad spiritalem diuinorum bonorum contemplationem inuitatus impossibilem sibi accessum iudicauit, idque eo quod vxorem duxisset, Luc. 14.

Honestissima castitas.

§. Castitatis præterea & honestas & dignitas est, quam vix mente complecti possumus. Ipsa facit, *vt possideamus corpus nostrum in sanctificatione & honore,* 1. *Thess.* 4. *Quid,* inquit, *S. Bern. epist. 42. ad Henricum Senonens. Archiepisc. castitate decorius, quæ mundum de immundo concipere semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen sanctior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat* S. Cyrill. Ierosol. Catechesi 12. illuminatorum. *Nec ignoremus castitatis gloriam: angelica enim est corona, & super hominem hæc perfectio; parcamus corporibus, quæ luxu*

debent

debent sicut sol. Ne propter paruam voluptatem tantum ac tale corpus polluamus. Paruum enim est ad horam peccatum, langœua autẽ est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terra sunt castitatis operatores. Beatus Ambrosius libro 1. de Virginib. Neque mirum, ait, si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Castitas enim angelos fecit. Qui eam seruauit, angelus est: qui perdidit diabolus. Augustius est, quod de hac virtute prædicat Sanctus Basilius libro de Virginitate. Magnum re vera quiddam, ait, ac præclarum virginitas est, quæ, vt totum simul explicem, hominem incorruptibili DEO simillimum facit. Hæc autem profecto non à corporibus ad animas manat, sed cum incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta seruantur. Et quia castitas hominem Deo simillimum reddit, facit & carissimum, quia morum similitudo amorem conciliat & conglutinat: qua caritate Deo intimè cohæret: Deus enim charitas est, qui manet in caritate, in Deo manet, & caritas Deus in eo, 1. Ioan. 4. Sic ergo, vt ait Salom. Sap. 6. v. 20. Incorruptio facit proximum esse Deo, qua vna re quid sanctius, quid honorificentius, quid amabilius, quid honestius? Ideo plus amat virgines Christus, inquit sanctus Hieron. l. 1. in Iouin. quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maioris que gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere, quod exigaris. Ioan. vnus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, & quẽ fides Christi virginẽ reperierat, virgo permansit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit supra pectus Iesu. Ioan. 21. v. 20. Quis. Joan. propter corporis, mentisque puritatem eximiam expertus Christi Domini familiaritatem, de pudicis & castis affirmat Apoc. 14. Hi sequuntur Agnum quocunq; ierit Hanc castimoniæ venustatem, decentiam & maiestatem, cõtemplans & admirans, exclamat Salom Sap 4. O quam pulchra est casta generatio cũ caritate, immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines. Et Ecclesiastic. inæstimabilem huius virtutis docet esse præ-

præstantiam. c.26.v.20. *Omnis*, inquit, *ponderatio non est digna continentis animæ.* Christus Dominus Deus noster Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. hanc confirmat coelestem esse, angelicam, filiorum Dei, & beatarum mentium vitam. Apostol 1.Corint.7.ait se suadere virginitatem & continentiam, non vt laqueum injciat, aut continendi necessitatem iis, qui eam nondum vouerunt consecrarunt, imponat, sed vt hortetur *ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Optimorũ fructuum ferax castitas, & primum quod corporis cõseruet sanitatem.

§. Neq; in hac virtute sterilitas, sed maxima virtutum, bonorum operum, spiritaliũ filiorum in Christo generatorum, cælestium donorum & præmiorum fecunditas, vt merito dixerit Apost. 1.Cor.7. se ad vtilitatem nostram suadere virginitatẽ. Quemadmodum bibidinum intẽperantia debilitat, eneruat, & corpus consumit, sic cõtra ipsam valetudinẽ & vires cõseruat, augetq; continentia. Docet hoc Medicorũ Schola, & confirmat docuit experientia magistra longè certissima, quapropter animalia salacia vt equi, sues, passeres, columbæ, perdices diu vitam tueri ac propagare nequeunt.

Castitas laudabilis famæ conciliatrix & cõseruatrix

§. Est & eadem à fœda voluptate temperantia præclaræ existimationis conciliatrix: vt enim incontinentes audiunt pessimè, ita optimè continentes, vt enim Salomonem ignominia propter incontinentiam notat Scriptura *Eccl.47.v.21.22. Incuruasti*, ait, *genua tua mulierib. dedisti maculam in gloria tua*, ita & continẽtiæ egregiam S. Judith. meritis exornat laudibus. *Benedixerunt ampliùs* c.15.v.10. *eam omnes vna voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Optime S. Cypr. *in libello de singularitate Clericorum asseuerat, quod pudicitia sit inuictum munimen sanctimoniæ & expugnatum fortis*

fortis infamiæ; probitatis præsidium & improbitatis excidium, vbertas gloriarum, abolitio scandalorum, honestatis portus, & ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, & spolium probrositatis, claritatis fastigium & dedecoris præcipitium. Nec honorabiliores sunt Ecclesiastici, quam castitatis, &, quæ huius parens est, sobrietatis assidui cultores.

Castitas mẽtis illustratrix.

§. Veluti sol quidam fumosas libidinum nebulas dissipat, & mirificis splendoribus mentem illustrat, vt videat & gustet, quam suauis sit Dominus, & cogitet ea, non quæ mundi sunt, sed quæ Dei, 1. Cor. 7. Decem fuere apud Gentiles Sibyllæ, quæ non minus perspicuè de Christo, eiusq; Ecclesia vaticinatæ sunt, quam sacri Prophetæ, ideoq; S. Paulus, vt est apud Clementem Alexand. l. 6 Strom. suis earum lectiones auditoribus commendabat, quod tanto studio fecere Christiani, vt teste Origine l. 5. contra Celsum Sibyllistæ à Gentilibus appellarentur, quos his ex libris tam dilucide erroris conuincebant, vt conqueratur Justinus Philosophus & Martyr in oratione ad Antonin. Pium mortis supplicium fuisse in eos cõstitutum, qui libros Sibyllinos legerent. *Harum Sibyllarũ insigne virginitas est,* ait *S. Hier. l. 1. aduersus Iouin c. 26. & virginitatis præmium diuinatio. Quod si Aeolici genere sermonis Sibylla* Θεοβυλὴ *(i. e. Dei consilium) appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Ibidem cap. 28. B. Hieronym.* hoc Theophrasti Philosophi tradit documentum: *Sapienti non esse ducẽdam vxorẽ, impediri enim studia Philosophiæ, nec posse quemquã libris pariter & vxori inseruire.* Quod in Pseudoeuangelii buccinatoribus vxoriis meridiana luce clarius est. Sed & Theophrasti magister Aristotel. lib. 7 Ethicorum c. 11. docet, veneream delectationẽ, ita absorbere rationem, vt impossibile sit in ea quicuã intelligere, & q; hæc intẽperãtia maxime corrũpat prudẽtiã. Hinc & veteres Musas & virtutes (vt ẽtnũ fit) forma habituq; virginum depingebãt, vt indicarent sine mẽtis,

Nemo libris & liberis operam dari potest.

corpo-

corporisque puritate, sapientiam & virtutem non ni-
tineri. Abel & Melchisedech ambo vtriusque Chri
sacrificii, illustris figura; ille cruenti, hic incruenti. E
lias igneo curru raptus in cœlum, 4. Reg. 2. Daniel
omnes Chaldæos sapientia vicit, & c. 9. altissima
steria ab angelo didicit. Paulus *raptus est in Paradisum*
in tertium cœlum, viditque arcana quæ non licet homini
2. Corint. 12. S. Joan. Apostol. verè Aquila in cœlum
vsque subuolauit, & in incomprehensum sanctissim
Trinitatis lumen oculos contemplationis infixit, m
ximaque mysteria in sua Apocalypsi doctus est ab a
gelis. At hi omnes cœlibes & castissimi fuere, vt tes
tur S. Ignat. epist. ad Philadel. B. Hier. lib. 1. in Jovi
Epiph. hæres. 58. & propter castitatem diuinæ illustra
tionis capacissimi.

Castitas aliarum virtutum pulcherrimum emblema, & aurea coronis.

§. 1. Est & Castitas non solum ornamentum, sed fu
cęterarum virtutum, & piarum actionum complem
tum. Quod in Iuditha satis insinuat Scriptura cap. 8.
26. cum ait, *Erat etiam virtuti castitas coniuncta.* Et S. Hie
l. 1. aduersus Jouin. Hoc solum nunc dico, quod quo
modo absq; cæteris operib. virginitas sola non salu
fic omnia opera absq; virginitate, puritate, castitate, co
tinentia imperfecta sunt. Et *B. Greg. hom. 13. in Evang.* e
planans verba Dom. Lu. 12. *Sint lumbi vestri præcincti*
lucernæ ardentes in manibus vestris. Duo, inquit, *sunt, quæ*
bentur, & lumbos restringere, & lucernas tenere, vt & mun
tia castitatis sit in corpore, & lumen veritatis in operatione. R
demptori etenim nostro, vnum sine alteris placere nequaq
potest; si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta
deserit, aut is, qui castitate præeminet, necdum se per bona o
ra exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec b
num est opus aliquod sine castitate. Sed & si vtrumq
que agitur, restat, vt quisquis ille est, spe ad supernam patri
tendat, & nequaquam se à vitijs pro mundi huius hones
contineat.

§. Impe-

§. Impetrat & castitas optima quæque & maxima beneficia, eos enim Deus præcipua quadam caritate bonorum omnium effectrice prosequitur, vt qui se Deo totos amore dedicant & in ejus obsequium impendunt: *diligit autem diligentes se.* Prouerb.8.v.17.nec infinita benignitas, humana finit se liberalitate superari. Quam Dei erga castos munificentiam prędicat salomon Sap.3.v.13.14.15. *Felix*, inquit, *est sterilis & coinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Et Spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum glorioſus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* De hoc loco consulatur Sanctus Hieronymus in cap. 56. Isaiæ.

Spiritalia & cœlestia diuina exorat castitas.

CAP. XXVIII.

EXIMIVM CASTIMONIÆ IN COElis præmium probatur ex Isaia vatum flore, ex Christo nostro Liberatore, & ex eius amicissimo S. Ioanne Apostolo.

§. VErum enimuero consideranti qualia quantaq; præmia in cœlis ferant casti, fastidio & horrori erit omnis voluptas carnis. S. Cyprianus tractatu de disciplina & habitu Virginum. *Si præmium pollicitationis*, inquit, *attendas, minus est quod laboras, immortalitas perseueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Seruate Virgines, seruate quod cœpistis, seruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis.* Et eodem libro: *cum multas habitationes apud patrem suum dicat Dominus* Ioannis

Eximium virginitatis præmium.

14.v.2. *melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ... meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gra... præmium in cœlestibus obtinetis.* S. Hier. in com. epistol. ad Philemonem: *Virginitas*, inquit, *propterea maiori præmio coronatur: quia præceptum Domini non habet; & vbi imperata se tendit.*

§. De cœlesti eximioq; castitati proposito præmi... tria sunt in diuinis literis illustriora loca. Isaiæ 56.v.4. *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo in domo mea & in muris meis locum, & nomen meum melius filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.* S. Hier. in Comm. in Isa. hunc locum explanans: *In Eunuchis*, inquit, *intelligendi sunt, de quibus Dominus in Euang. loquitur* Mat. 19.v.12. *qui se castrauerunt propter regnum cœlorum quales erant Apostoli.* Et de quibus Sap. c. 3. v. 13. Et S. Basil. l. de vera Virg. *Non hi, qui casu aliquo simpliciter eunuchi sunt, huiusmodi promissio sit; sed qui custodiunt, inquit, sabbatha mea, & eligunt, quæ ego volo.* B. Aug. lib. de Virg. c. 24. *De quibus*, ait, *spadonib. loquitur Deus per Isaiam Prophetam, nisi de iis, qui se castrant propter regnum cœlorum? Nam Eunuchis, qui corpore abscisi sunt & generare non possunt, sufficit, in domo Dei coniugatis fidelibus adæquari, neq; n. vnius animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Et vt commodius in domo Dei prædictos futuros Eunuchos secundum carnem Itanè tanta dementia quisquam est contrarius veritati, vt ... meliorem, quam coniugatos locum in domo Dei habere credat & pro proposito continentes, corpus vsq; ad contemptas nuptias castigantes, seipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cœlestem & angelicam vitam, in terrena mortalitate meditantes, coniugatorum meritis pares esse contendat?* Eandem in sententiam abiere S. Cyrill. in hunc Isa. locum B. Greg. 3. p. Past. c. 29. qui ait: *Eunuchi quippe sunt, qui compressis motibus carnis, affectum praui operis in se abscidunt. Quo autem loco apud Patrem habeantur, ostenditur, quia dicunt. Quo*

Isa. 56. locus explanatur.

Spiritales spadones.

Insignis amentia est, & etiã hæresis coniugium exæquare virginitati.

in domo Patris, videlicet æterna mansione *etiam filiis præferuntur*. Et ex hoc præmio, vt ante S. Gregor. docuit beatissimus August. paulo ante citatus, quod Eunuchis promittitur, instar meridiani Solis diluceſcit, nullam prorsus esse rationem, cur natis vel abscissis Eunuchis promittatur major gloria, quam conjugibus & filiis Dei in cœlo futuris. Ab his autem spiritalibus Eunuchis non nihil requirit Dominus, & vicissim amplissimam remunerationem pollicetur. 1. quod exigit, *vt Sabbatha ipsius custodiant*. 2. *vt eligant, quod ipse voluerit*. 3. *vt eius fœdus teneant*. De quibus S. Hier. in c. 56. Isaiæ. *Iste*, ait, *custos est Sabbathorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum. Iste elegit, quæ Dominus voluit, vt plus offerat, quam præceptum est, vt non indulgentiam Apostoli eius, sed voluntatem consideret. Iste tenet fœdus Domini sempiternum, vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad idipsum reuertatur &c.* 1. Corinth. 7. S. Basilius libr. de vera Virginitate, veritati & B. Hierony. consentaneè hunc in modum explanat: *Sabbathum in operis cessatione intelligitur. Mysticè ergo sabbathizet non pedem, non manum, non oculum, non aliud quodlibet membrorum, sed ne animum quidem ad corrumpendam naturalem* (castitatis scil.) *pulchritudinem moueat, sed ad omnem imaginem per sensus irrumpentem immobilis consistat. Ergo Sabbathum, hoc est, cessatio & continentia ab omni libidinosa cogitatione, delectatione, sensu, opere. Eligat, quæ vult Deus. Quid autem æquè, ac incorruptionem Deus velle putetur? Teneat & fœdus ac testamentum Domini, vt dignè pro Christi sponsi merito hic viuens, illic etiam bonis ab ipso sibi præparatis perfruatur.* Sed quid istis non misera necessitudine, verum pia voluntate ac voluntaria pietate spadonibus redditurus est Deus? 1. *Dabo*, inquit, *eis in domo mea & in muris meis locum.* Sanctus Hierony. in hujus loci comm. *Accepturum se esse nouerit in domo Domini, quæ est Ecclesia eius locum optimum & in sacerdotali consistat gradu, & pro carnis filiis multos habeat filios spiritales.*

Spiritale continentiæ Sabbathū.

Et in cœlesti domicilio præcipuum teneat locum: quia vt ait Dominus Ioannis 14. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Casti inter Angelos celsissimum honoris locum obtinent.

S. Basilius libr. de vera Virginitate. *Ita inquit Deus, familiares & amici mei erunt, vt in domo mea & intra muros meos maneant. Dabo illis locum non solum habitationis, sed promotionis etiam ac dignitatis, vt cœlum & cœli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, & locum inter Angelos celestrem atq; insignissimum.* 2. Nomen melius à filiis & filiabus, id est, majorem illis dignitatem, gloriam & felicitatem impertiar, quam cęteri in cœlo habituri sunt beati quantumuis etiam filii ac filiæ Dei, & præstantiora attribuam bona, quam fuisset copiosa proles & optimis moribus imbuta, vt proximè citatus explanat S. Basilius. 3. *Nomen sempiternum dabo eis, quod non deficiet*, hoc est celeberrimam famam & eximiam in omni æternitate claritudinem & gloriam. Ita S. Augustinus libr. de S. virginitate c. 25. *Æternum hoc nomen quisquis illud est, spadonibus Dei, quod vtiq; gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis quamuis in eodem regno, & in eadem domo constituti. Non ideo fortassis & nomen dictum est, quod eos quibus datur præstet à cæteris. Talibus itaq; præmiis digni inuenientur in regno sacri ac spiritales eiusmodi eunuchi* ait memorato libro S. Basilius.

Eiusdem castitatis amplissima merces ipsius veritatis testificatione demonstratur.

§. Alter Scripturæ locus pro æterno præmio castitati decreto est Matt. 19. vbi ait Dominus: *sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Sensus est: Sunt Eunuchi non naturæ vitio, non hominis opera, sed qui seipsos pia voluntate castos effecerunt propter regnum cœlorum amplius promerendum. Quisquis hoc intelligere potest, intelligat, qui accipere potest accipiat. Quam Dominus sententiam libro 1. aduersus Iouin. his verbis explanat S. Hieronymus: *Proponit Agonotheta præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium: ostendit pa-*

Christus demonstrato præmio cunctos ad virginitatem prouocat.

purissimum fontem & clamitat. Qui sitit veniat & bibat, qui potest capere, capiat. Non dicit velitis nolitis bibendum vobis est, atq; currendum, sed qui voluerit, qui potuerit currere, atq; potare, ille vincet, ille satiabitur. Et quia Eunuchi non sunt, qui quocunq; modo continnent, sed qui non possunt non continere illos spadones hic Dominus intelligit, qui solenni voto ad perpetuam se castitatem obligarunt, & vnica, tali actione omnem sibi nuptias contrahendi facultatem præsciderunt, vnde & ait, qui castrauerunt, non qui se quotidiè castrant, quod sine voto continentes faciunt.

Spirituales eunuchi sunt, qui se voto ad perpetuã castitatem obstrinxerũt

§. Hinc & S. Epiphanius hæresi 58. Valesiorum. *Quinam,* inquit, *hi fuerunt, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum quam generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, ac deinceps virgines?* S. Hieronymus in caput 19. Matth. *Vnusquisq; consideret vires suas, vtrum possit virginalia implere præcepta.* Et B. Aug. l. de S. Virg. c. 30. *Qui potest capere capiat. Vos etiamqui hoc nondum vouistis, qui potestis capere, capite.* Et eiusdem lib. cap. 8. *Nulla carnis fœcunditas Sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest. Neq; enim & ipsa: quia virginitas est, sed Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne seruetur, Spiritus tamen religione ac deuotione seruatur. Et iterum: Si pudicitia coniugalis animo non carni tribuitur, quanto honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur?* Verbis autem Domini Apostolis affirmantibus non expedire vt ducatur vxor, si dimitti non possit, respondentis: Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum. Et qui potest capere capiat, hæc sententia subjecta est: Istum de viri vxorem non ducentis libertate, commoditate, sanctitate sermonem non omnes intelligunt, aut animo comprehendunt, non in animum dimittunt, non persuadentur, non approbant dictum illud: Non expedit nubere. Nihil enim minus indicare Do-

Virginalis honoris causa votum.

minus voluit: quam non esse omnes capaces continentiæ, sed eos tantum cognoscere, quibus illa mens & intelligentia diuinitus sit tributa, ac proinde hortetur omnes, qui hoc consilium seruandæ castitatis capere, agnoscere, & assequi possint, id capiant, apprehendant & perficiant. Vnde & hæc Domini verba planans antiquissimus ille Latinorum Tertull. ad fin. l. de monogamia. *Elige*, inquit, *quod bonum est, si nuptes, est quia non vis. Posse enim si velis ostendit, quia arbitrum vtrumq; reliquit.* Et Orig. in hujus loci Comm. *Quærat*, ait, *capere verbum, & de castitate positum est, petat, credendo accipiat: Omnis qui petit, accipit* Matth. 7. v. 8. Et S. Hier. in eundē hunc cōmentans locum: *His*, inquit, *datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur* Matth. 7. v. 8. B. Chrysost. homil. 63. in Matth. *His omnibus*, inquit, *ad optandam eligendamq; virginitatem inducit: possibile namq; hoc esse hominibus, eo fere modo confirmat: Cogita te cum si aut à natura Eunuchus esses, aut aliqua hominum sic affectus: quid faceres cum & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratia igitur Deo agas: quia magna præmia, rutilantesq; coronas habebis, si ita viuas quemadmodum sine aliquo illi præmio: si verò multo felicius, tutius atq; iucundius, tum quia spe remunerationis corroboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes, cui hæc non ita ingentib. cupiditatis fluctibus iactaris. His datum qui sponte id eligunt, quod ideo dixit, vt ostenderet superari his auxilio esse opus, quod omnibus paratum est, si voluerint hac luctatione superiores euadere* Et in opere imperfecto hom. 32. *Non dixit* (Christus) *non omnes possunt: sed non omnes capiunt, id est, omnes quidem capere possunt, sed non omnes omnes capere volunt. Palma proposita est. Quis enim non petit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si non periculum pugnæ timerent. Quod autem dicit: Quibus datum est, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam*

Quicunque volunt castè viuere, possunt.

Attendat sexitalis Spado.

Cœlesti gratia, omnib. petentib. parata ad seruandam castitatem opus est.

non datur; sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur in Euangelio, Dominus dicit Matt. 7. v. 8. *Petite & dabitur vobis, &c.* S. Aug. in Psalm. 137. *Votum vouit Deo Iacob. Nemo,* ait, *præsumat viribus suis reddere, & vouerit. Qui te hortatur, vt voueas, ipse adiuuat, vt reddas.* Quod se ante conversionem suam non intellexisse deplorat lib. 6. Conf. c. 11. *Propriarum,* inquit, *virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius cum tàm stultus essem, vt nescirem, sicut scriptum est* Sap. 8. ver. 21. *Neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtiq; dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida iactarem in te curam meam.* Incontinentia ergo prauæ voluntatis vitium est, continentia donum Dei id omnibus desiderantibus largientis. Sententiam Salvatoris hoc modo S. explanat Hieron. lib. 1. in Iouin. c. 7. *Apostoli vxoris onera contemplati, si talis est,* inquit Matth. 19. *caussa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum Dominus sententiam probans. Rectè quidem sentitis,* ait, *quod non expediat homini ad cœlorum regna tendenti, accipere vxorem, sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum, mihi illi Eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas, libenter eos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, & ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt.* Simulque tractanda sententia: *Qui se,* inquit, *castrauerunt propter regnum cœlorum. Si castrati mercedem habent regnum cœlorum, ergo qui se non castrauerunt, locum non possunt accipere castratorum. Qui potest,* inquit, *capere, capiat. Grandis fidei est, grandisq; virtutis Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino,* & juxta Apostolum 1. Corinth. 7. *esse sanctum & corpore & spiritu.* Hucusque Sanctus Hieronymus. Videatur Sanctus Augustinus libr. de Sancta Virginitate, cap. 24. toto.

Nuptiæ minus bonum.

Vota castitatis DEI *cultus.*

Castitatis præmium à S. Ioanne declaratur.

§. Tertium S. Scripturæ pro sempiterna, singulari ac præcellenti castitatis mercede testimonium est Apocal. 14. versi. 1. ad 6. vsque, vbi de castis & puris affirmat Sanctus Ioannes. 1. quod *cum Agno supra montem Sion steterint*, aliis loco excelsiores, & Filio Dei tanquam principes Regi suo conjunctiores & familiariores. 2. quod in *eorum frontibus nomen Agni & Patris ipsius inscriptum fuerit*, tanquam nobilissima gemma in annulo. Frons pudoris sedes est, pudor castitatis comes & index, sicut inuerecundia impudicitiæ. Hinc Hieremiæ 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Illa igitur in parte insigne gerunt Agni & Dei, qui puritatem imitati fuere. 3. quod *cantauerint hi cum mulieribus non coinquinati* & perpetuo casti *canticum nouum, quod nemo alius dicere poterat.* Alii receptum & vsitatum, hi nouum & præstans. Sanctus Augustinus libro de Sancta Virginitate cap. 27. hoc pacto cœlibes affatur: *Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius: sperate fortius, cui seruitis instantius: amate ardentius: cui placetis intentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum quando veniat à nuptiis* Lucæ 12. v. 35. *Vos afferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis citharis vestris.* Non vtique tale quale cantat vniuersa terra, cui dicitur Psalm. 97. versic. 1. *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino vniuersa terra, sed tale, quale nemo dicere poterit, nisi vos.* S. Gregorius 3. p. Past. cap. Siue admonitione 29. *Singulariter*, inquit, *Agno canticum cantare est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptoone carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per caritatem quidem in eorum celsitudine lætantur sunt, quamuis ad eorum præmia non attingant.* 4. *quod hi soli empti sint de terra. Empti vtiq; non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati* 1. Petri 2. v. 18. 19. Quo vtique liberati sunt & conjuges, sed magis virgines: quia sanguinis Christi

Castis singularis in cœlo & eximia lætitia.

Christi pretium vberiorem illis & gratiam contulit & gloriam. Empti autem sunt de terra, de terreni corporis contagione, *de caducarum rerum cogitatione & sollicitudine* 1. Corinth. 7. *vt eorum conuersatio esset in cœlis* Philipp. 3. *Christo confixi cruci & non sibi viuentes, sed ei qui pro ipsis mortuus est* Galat. 2. qualis erat Deifer ille Ignatius, qui in epistola ad Romanos ita scribit: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* 5. quod iidem puri & integri *sequuntur Agnum quocunq; ierit.* Sanctus Augustinus c. 27. libro de S. Virginitate. *Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel audeat vel valeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? In quos saltus & prata? Vbi credo sunt grandia gaudia, non gaudia huius sæculi vana, insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei, cæteris non virginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudia propria virginum Christi non sunt eadem non virginum, quam-uis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Et cap. 29. *Vos itaq; sequimini eum tenendo perseueranter quod vouistis, ardenter facite cum potestis, ne virginitatis bonum à vobis pereat cũ facere nihil potestis, vt redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest, videbit nec inuidebit, & collatando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis: Nam & illud canticum nouum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicetis & audietis, quia & hoc quod dicetis à vobis audietis, felicius exultabitis iucundius q; regnabitis.* 6. *quod empti sunt ex hominibus primitia Deo & Agno.* Ex hominibus humanam vitam laudabilem tamen agentibus, tanquam angelicam vitam ducentes segregati sunt, & quasi primi præstantissimiq́ue Deo fructus oblati & consecrati. His virginitatis encomiis, quid excellentius?

Potiora castis gaudia, quam qui casti nõ perseuerarunt.

CAP. XXIX.

CHRISTVS DOMINVS CASTITAtis exemplar, & qui eius imitatores.

§. HVjus castitatis non modo auctor & hortator, sed etiam Ecclesiasticis præcipuè exemplar esse voluit Pontifex noster magnus Pastor, & Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, Christus Dei Virginisq; Filius, castissimus castorum sponsus & Deus sæcula benedictus. Sic enim virgines exhortatur S. August. l. de S. Virgin. c. 27. *Sequimini Agnum; quia & Agni caro vtiq; virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matrem abstulit conceptus & natus. Merito eum sequimini virginitas cordis & carnis, quocunq; ierit.* Et S. Ambr. l. 1. de Virgin. *Quid est*, inquit, *castitas virginitatis, nisi expers contagionis integritas? Atq; eius auctorem, quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitus non est experta contagionem? Christus virgo virginis sponsus.* B. Hieron. l. 1. aduers. Iouin. *Christus virgo & Maria virgo vtriusq; sexus virginitatem dedicauere. Habeant nuptiæ suum tempus & titulum, mihi virginitas dedicatur in Maria & Christo.* Cum ergo integri & casti perspectum exploratumq; haberēt, quod Dei Filius esset castitatis via in exemplo, in promissis amplissimis eius præmium veritas, in accumulandis omnibus bonis vita Ioan. 14. v. 6. contemplarenturq; pariter illam castitatis venustatem, commoditatem, honestatem, decus, majestatem, gloriam & mercedem, toto ipsam hauserunt spiritu, & intimis in medullis infixerūt, non dubitantes propter illa non solùm carnis voluptates aspernari, & caduca omnia abjicere, sed etiam vitam sanguinemque pro acerbissimos cruciatus profundere & sic cum Christo sponso suo in cœlestem paradisum introire. Neq; hic commemorandus innumerabilis pudicarum Virgi-

Quid castitas.

Castitatis in vtroque sexu principes.

num

num chorus, neq; ingens cœlibum Sanctorumq; virorum recensendus exercitus, sed ii tantum qui Ecclesiasticas obire functiones & ex iis pauciſſimi tanquam floſculi delibandi. Inter caſtos agmen ducunt Apoſtoli, de quibus S. Hier. l. 1. aduerſ. Iouin. c. 14. *Excepto Apoſtolo Petro, cum non ſit manifeſtè relatum de aliis Apoſtolis quod vxores habuerint, intelligere debemus ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificet. Aſſumpti in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale, ex quorum perſona Petrus dicit ad Dominum* Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Inter quæ omnia & à Chriſto numeratur vxor* verſic. 29. Et in fine Apologiæ ſuæ pro libris in Iouinianum ad Pammachium: *Chriſtus Virgo, virgo Maria vtriuſq; ſexus virginitatem dedicavere, Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Idem de Apoſtolis tradit Beatus Cyprianus hæreſi 58. & vetuſtiſſimus ille Tertullianus libr. de Monogamia: *Eiuſdem Apoſtolicæ Caſtitatis æmulatores fuerunt ipſorum diſcipuli.* Sanctus Hieronym. in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. *Vixit,* inquit. *Lucas octoginta & quatuor annos, vxorem non habens. Marcus I. Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes Sectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret.* S. Ignatius epiſt. ad Philad. *Virgines,* inquit, *ſolum Chriſtum præ oculis habete, &c. Vtinam fruar veſtra ſanctitate ſicut Heliæ, ſicut Ieſu Naue, ſicut Melchiſedech, Heliſæi, Hieremiæ, Ioannis Baptiſtæ, dilecti illius diſcipuli, ſicut Timothei, Enodii, Clementis, qui in caſtitate de vita exierunt.* Et quidem S. Hier. l. 1. aduerſ. Iouin. *Clemens,* inquit, *Succeſſor Apoſtoli Petri, cuius Paulus Apoſtolus meminit* Phil. 4. *ſcribit epiſtolas, omnemq; penè ſermonem ſuum de virginitatis puritate contexuit: & deinceps multi Apoſtolici, & Martyres & illuſtres tàm ſanctitate, quàm eloquentia viri, quos ex propriis ſcriptis noſſe perfacile eſt.*

Apoſtoli eorumq; ſucceſſores caſtitatis cultores.

Apoſtolicor. virorum caſtitas.

Et

S. Paulus semper cœlebs.

Et sanè Clemens Timotheus & Titus virgineum illud lac ex castissimis sui magistri Pauli Apostoli vberibus suxerunt, quem perpetuum coluisse cœlibatum testantur Tertullianus libro vtroque ad vxorem. Epiphanius hæres. 58. Hieronymus epistola 22. ad Eustoch. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 4. Hilarius in Psalm. 127. Ambrosius in capit. 7. primæ Corinthiacæ. Chrysostomus, Theodor. & alii Græci in cap. 4. ad Philipp. Quod & ille non obscurè indicat 1. Corint. 7. v. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo.* Quam integerrimam Apostoli virginitatem & miraculo comprobauit Deus cum resecto capite ex ipsius corpore lac & sanguine fluxerit, quemadmodum testatur Ambros. serm. 69. & similiter Sanctus Ioannes Chrysostomus perpetuus & perdiligens Sancti Pauli amator, sectatorq; encomiastes oratione de SS. Petro & Paulo, vbi sic ait: *Gaudeas tu B. Paule, cui caput fuit ense amputatum, cuius virtutes nullis verbis explicari possunt. Quisnam gladius sanctum guttur tuum peruasit, Dominicum, inquam, instrumentum, quod à cœlo habetur in admiratione, & quod terra reueretur? Quisnam locus tuum sanguinem excepit, lactis specie, in eius quem percußit, tunica apparentem, qui animam illius barbari supra modum dulciorem reddens, fidelem fecit cum sociis.* Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Pontius*, inquit, *Diaconus Cypriani vsque ad diem passionis eius, cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vitæ & passionis Cypriani reliquit, de quo in hoc volumine Pontius ita loquitur: Inter fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur. Tunc enim idoneum posse fieri pectus & sensum ad plenam veri capacitatem peruenire, si concupiscentiam carnis robusto atq; integro sanctimoniæ vigore calcaret.* Sanctus Augustinus l. 8. Conf. capit. 12. amarissima cordis contritione lachrymarum flumina profundens, melioremq́ vitam, vt inchoa-

Paulinæ castitatis indicium.

S. Cyprian. suæ conuersionis initio castitatẽ coluit.

ret

ret, submissimè Deo supplicans, tantum etiam beneficium consecutus, ita Deum continentiæ largitorem alloquitur: *Conuertisti ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi huius.* Quam repertam castimoniæ margaritam, vt sibi suisque tueretur, audiamus quid in vita ipsius cap. 26. scribat ejus discipulus Possidius: *Fœminarum,* ait, *intra domum eius nulla vnquam conuersata est, nulla mansit nec quidem Germana, quæ vidua Deo seruiens multo tempore vsque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit, sed neq; patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo seruiebant: quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò nunquam debere fœminas cum' seruis Dei etiam castissimis in vna manere domo, ne aliquod scandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus, & ne tentationibus humanis perirent.* Quod pudicum præclarumque facinus, vehementer commendat Beatus Gregorius libr. 7. epist. 39. ad Romanum defensorem: *Abundans cautio non nocet. Ex admota igni palea nascitur incendium.* Sed de Sancto Augustino cap. sequenti 27. pergit narrare Possidius Episcopus. *In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum,* Iacob. 1. *vt non nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab aliquibus fœminis, vt videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus nunquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsenti Deum rogaret, eisq; manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autem monasteria, non nisi vrgentibus necessitatibus visitabat.* Sanctus Gregorius libro 3. Dialog. cap. 16. refert de Martio siue Martino solitario, quod è petra ei aquam necessariam præbuerit Deus, qui cum decreuisset mulierem vltra non videre, & quædam hoc cognito ad ejus speculum audacter accessisset, & eum humi depressa facie deprecantem eiusque conspectum fugientem ad fati-

S. Augustt. castitatis vigilantissimus cautor

B. Augusti. sine arbitris non loquebatur mulierculis.

Mulierum conspectum fugientis propositum miraculo comprobat Deus.

ga-

gationem vsque intuita fuisset eodem die mortem obierit, eo quod Dei famulum improbo ausu contristasset. Et libr. 4. Dial. c. 11. memorat Vrsinum Presbyterum ea fuisse castitate, vt ne quidem à sua sibi ministrari pateretur, quæ cum aurem admouisset iam moribundo & animam agenti, *vt num vitalis adhuc in eo spiritus esset, exploraret, ille collectis viribus in hanc vocem erupit: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, tolle palcã, &c.* visis Apostolorum Principibus Petro & Paulo comitatu & comitatu in cœlum euolauit. S. Greg. Nazianz. in Carmine de calamitate animæ suæ. Mox inquit, *in somnis aliquando huiusmodi quiddam videre visus sum, ex quo facile in virginitatis amorem exarsi. Virgines duæ in propinquo stabant candidis vestibus indutæ, ambæ formosæ atq; eiusdem ætatis, quarum vestes zona substringebantur, & ad talos vsq; dimittebant. Ad hæc ipsæ capitis velo non modo caput, sed genas quoq; ipsas obtexerant, oculosq; in terram dejectos tenebant. Quarum ex aspectu mira sanè voluptate perfusus sum. Sic enim mihi persuadebam eas humana conditione meliores atq; augustiores esse. Hæ porro quoniam me aspectu suo exhilaratum senserunt, erga me quoq; benevolentia affectæ, meque perinde ac filium suum amplecti cœperunt. Percunctantur mihi quænam essent & vnde venissent; altera Castitatem sibi nomen esse dixit, altera Temperantiam, quæ Christo Regi assistentes cœlestium Virginum pulchritudine delectarentur. Atq; ad me conuersæ: Age, inquiebant, fili mentibus nostris mentem tuam, & facibus facem iunge: ita futurum est, vt eximio quodam & singulari splendore præditum in cœlum feramus, & iuxta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus. Hæc habita oratione per cœlum ferebantur.* Et ita S. Gregorius candidæ virginitatis amore & flamma correptus illam perpetuo seruauit.

Animam agens mulierem fugat.

Castitas & Temperantia S. Greg. Nazianz. adamatæ.

CAP.

CAP. XXX.

QVIBVS AD MINICVLIS SVstentetur & conseruetur castitas,

§. COntra verò mundi carnis, dæmonis ad oppugnandam castitatem siue integram adhuc, siue læsam machinamenta Clericis optima sunt adminicula & præsidia, modo illis vti velint. 1. Est assidua & studiosa deprecatio Matth. 17. versicul. 21. Sicut enim omnis virtus ita & castitas donum Dei Sap. 8. vers. 21. Matth. 19. v. 11. 1. Corinth. 7. v. 7. Iacob. 1. v. 17. Quod pudicitiæ munus precibus à Deo obtinendum. Ad quod Saluator inuitat Luc. 11. vers. 9. 10. 13. *Ego*, ait, *dico vobis: Petite & dabitur vobis. Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentib. se.* Dabit vtiq; spiritum castitatis, eaque auxilia conferet, quib. impetus carnis retundatur. *Fidelis Deus*, ait Apostolus 1. Cor. 10. v. 13. *est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Vnde & ipse B. Paulus ter deprecans carnis stimulum audiuit à Domino; *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29. his pro castitate obtinenda Deo verbis supplicat: *Tota spes mea Domine, non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes & iube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et cum scirem ait quidam* (Salomon videlicet Sap. 8. v. 21.) *quia nemo potest esse continens nisi Deus det & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cuius hoc esset donum, adii Dominũ & deprecatus sum illum. Per continentiã quippe colligimur, & redigimur in unũ, à quo in multa defluximus. Minus n. te amat, qui tecũ aliquid amat,*

amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris: Caritas Deus meus accende me. Continentiam iubes, *da quod iubes & iube quod vis.* Ita Sanctus Augustinus: Beata verò Cecilia, vt est in Romano Officio & ejus vita: *Cantantibus organis Cecilia virgo in corde suo soli Domino decantabat dicens: Fiat Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, vt non confundar,* quam virginitatis perseuerentiam non modo assecuta est, sed & martyrio consecrauit, & simul Valeriano sponso quæque germano fratri continentiam pariter & martyrium persuasit S. Thomas Aquinas Angelicus Doctor, vt est in Romano Officio & ejus vita 7. Martii. Quo Surium in graui castitatis certamine victor, flexus ante crucis signum genibus orans ibique somno correptus, per quitem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos, quo ex tempore omnis libidinis sensus cessauit. Proinde non mirentur Clerici, qui non solum peculiari pro impetranda castitate precesDeo adhibent, sed & ordinarias precandi Horas impendunt, quod vehementer insanientes equi libidinum stimulis agitati se in luxuriæ barathrum vltrò præcipitent.

Corporis castigatio, castitatis conseruatio.

§. Est & illud illibatæ castitatis tuendæ efficax adjumentum, vt quis cum Apostolo 1. Corinth. 9. *castiget corpus suum & in seruitutem redigat*, dicatque illi cum S. Hilarione ejus lasciuiam sentiente & minitetur diuque cruciatus inferat. Sed SanctusHieronymus ipsa ipsius audiendus: *Titillabat Diabolus sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogitabatur Tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat: & tanto animo pompam voluere, cuius experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationem de manus posset excludere: Ego, inquit, asselle faciam, pro calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti: graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum potius quam lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo &*

pauca

paucis carycis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Atq; hæ carnis afflictiones non tantum in feruente adolescentia adhibendæ, sed etiam in frigescente senectute vsurpandæ, neque enim hic ignis nisi morte extinguitur.

Non semper cum ætate senescit luxuria.

§. S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de vitæ suæ calamitate testatur se morbis excruciatum adhuc diris à Diabolo carnis stimulis esse exagitatum, quos cum olim iuuenis facili negotio superasset, integram à pueritia virginitatem conseruans, ægrè ac vix senex, multis lachrymis, vigiliis, orationibus, jejuniis, aliisque asperrimis exercitationibus & macerationibus, futurique iudicii meditationibus, & exacta Monasticæ disciplinæ custodia coërcere potuit. Sanctus Hieronymus epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 3. *O quoties ego ipse in vasta solitudine & solis ardoribus exusta, putabam me Romanis interesse delitiis, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco membra deformia, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore & ante hominem sua iam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant, itaq; omni auxilio destitutus ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.* Si autem hoc sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationib. oppugnantur, quid patiuntur Clerici, qui ætate florent, qui sagina & sanguine abundant, qui delitiis fruuntur, qui pœnitentiæ opera vel ignorant vel detestantur? Euagrius Presbyter hybernis noctu-

Libidinis ardorē restinguentium exempla.

noctibus in puteum. S. Bernardus Abbas in lacum descenderunt, vt gelidarum aquarum frigore calorem corporis temperarent castitati infestum, in vita ipsius lib. 1. c. 3. & 4. Audomarus Taumanensis Episcopus vepribus. B. Franciscus nudum corpus in niuibus volutarunt, S. Bona. cap. 5. in ejus vita, vt hac castigatione voluptatem carni insitam edomarent. Marulus l. 4. 7. S. Greg. l. 2. dialog. c. 2. narrat de S. Benedicto Abbate, quod malignus spiritus magno amoris igne Dei animum in specie fœminę olim ab ipso visę accenderit, sed ille vrticarum & veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, nudum se in illis spinarum culeis & vrticarum incendiis projecit, ibiq; diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit: & per corpus vulnera eduxit à corpore vulnus mentis: quia voluptatem traxit in dolorem. Quidam Dominicani Ordinis Religiosus nomine Dominicus à scorto sollicitatus *in ardentes prunas se iniecit & illæsus permansit*, vt refert Thom. Cantipr. l. 2. Apum c. 30. Simile quid præstitere SS. Heremitę, Martinianus & Iacobus, vt citat Surius in eorum vita 14. Ianuar. & 3. Febr.

Omnis luxuriæ opportunitas fugienda.

§. Tutissimum propugnandæ castitatis asylum perfugium est occasiones libidinis vniuersas prouidenter deuitare. *Fugite*, ait Apost. 1. Cor. 6. *fornicationem*. S. Ioseph. Gen. 38. v. 12. 2. Pet. 1. v. 4. *Efficiamini diuinæ sortes naturæ fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*. S. Aug. serm. 2. Domin. 25. post Trin. quæ est 250. c. 1. *Quod libidinem*, inquit, *fugiendam esse fugerunt Apostolus Paulus euidenter ostendit: qui cum omnibus vitiis præcauerit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit. Resistite: sed, fugite fornicationem, &c. sic contra cætera vitia Deo auxiliante debemus in præsenti resistere, libidinem fugiendo superare.* Ergo contra libidinis impetum arripe libidinis fuga hende fugam, *si vis obtinere victoriam*. Nec tibi verecundari occasionis. *fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Vnde fratres*

ipsos

vissimi ab omnib. Christianis, præcipuè tamen Clericis siue Monachis indigna & inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine vlla dubitatione: qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito dilabitur in ruinam. Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis vbi quotidiana est pugna & rara victoria. Grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidiè vincitur & timetur. Modum a. rationemque deuitandæ luxuriæ aptissimam id loci pscribit S. Aug. 1. vt alieno periculo & nobis metuamus & caueamus. *De infelici libidine,* inquit, *credendum est illud q̃ Propheta dixit* Hier. c. 50 *v.* 23. *Quomodo confractus est malleus vniuersæ terræ? Quãtus a. post Aduent. Domini per innumerabilia monasteria & per Cleros vel Laicos castitatem seruantes, quasi confractus esse malleus ille videatur. adhuc tamen quod peius est, multo plures sunt, qui ab ipso malleo cõfringũtur, quã illi qui de ruina vel collisione ipsius liberantur.* 2. Vt mulierculârum etiam ancillantium cohabitatio vitetur, familiaritas similiter & collocutio præsertim secreta: quia quanto vilior earum cõditio: tanto facilior ruina est. De familiaritate n. talium Salomon nos admonet dicens Prouer. 6. v. 26. 27. *Nunquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardebunt? Aut ambulabit quis super prunas & non comburentur plantæ eius?* Et illud: *Pretium meretricis vix dimidium panis, mulier a. pretiosam viri animam capit.* Et Eccles. c. 9. *v.* 11. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt, colloquium enim illius quasi ignis exardescit* (accendit, inflammat) Et *vers.* 2. *Cum aliena muliere* (coniuge) *ne sedeas omnino nec accumbas cũ ea super cubitũ* (ad mensam) *& ne alterceris cum illa in vino* (epotando, aut cum ea in conuiuio jocosè rixando) *ne forte declinet cor tuum in illã* (concupiscentiam) *& sanguine tuo labaris in perditionem;* occidendus sc. vel à magistratu ꝓpter adulterium vel à marito ꝓpter indecoram cum sua conjuge consuetudinem. *Nunc ergò fili mi audi me, ait Salomon Prou. 5. v. 7. 8. & ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* 3. vt maxime caueatur tanquam serpentis mulieris tactus Prouerbiorum 6. versiculo 29.

Rationes facile libidinem pellendi ex S. Augustino.

Qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus qui tetigerit eam. Similiter & Beatus Apostolus admonet nos. *Bonum est*, inquiens 1. Corinth. 7. v. 1. *mulierem non tangere: quasi statim in tactu periculum esset*, ait S. Augustinus serm. 249. de Tempore. 4. Vt deuitetur obscœnarum rerum auditio & locutio. *Si per linguam*, ait S. Augustinus illo sermon. 250. *aut amico tuo aut seruo tuo inserui, vt aliquando meretrix adducatur, per ostium ad animam tuam gladius æternæ mortis ingreditur, aut si cantica turpia proferentur non respuis, per cordis fenestram mors intrat aut in animam tuam* Ecclesiast. 8. v. 4. *cum Saltatrice* (siue Psaltrice) *ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius* Eph. 4. v. 29. *Omnis sermo malus* (spurcus) *ex ore vestro non procedat.* Et cap. 5. v. 3. *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium.* 5. Vt deuitetur oculorum conjectus in feminas & quarumcunque rerum, vt imaginum, statuarum fœdarum intuitus. *Vnde iterum atq; iterum rogo*, ait Sanctus Augustinus illo 250. serm. de tempore, *vt diligentius consideremus, & quantum possumus timeamus, quod Dominus in Euangelio dicit Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Propter qua re sicut iam dictum est, *non solum ab extraneis mulieribus, sed etiam ab ancillis propriis refrænanda est & secreta familiaritas, & oculorum incauta fragilitas, ne impleatur in nobis illud quod Propheta Hierem. c. 9. terribiliter clamat. Intrauit mors per fenestras vestras. Per quas enim fenestras mors ad animam vestras ingreditur, nisi per visum oculorum, & auditum aurium?* Dauid ille sanctissimus in mille passibus mulierem nudatam vidit, & statim homicidium fecit & adulterium 2. Reg. 11. Et adhuc qui in aliena domo cum extraneis mulieribus putant se castitatem obtinere triumphum, *ignorantes se dupliciter apud Deum reos existere, dum & seipsos in periculum mittunt, & alios exemplum peruersæ familiaritatis ostendunt.* Multus est in hac cautione Ecclesiasticus cap. 9. versiculo 3. 5. 8. 9. Nec

respicias, ait, *mulierem multiuolam* (scortum) *ne forte incidas in laqueos illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* 6. Vt declinetur quæuis impura sive cogitatio siue cupiditas & ne in animum irrepat, aut si imprudentibus nobis se in mentem insinuauerit, mox excludatur: *Quia Dominus dixit*, inquit Sanctus August. citato proximè sermone cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo: intelligitur quod voluntas perfecta reputabitur pro opere facti. Ac si dum aliquis libidinoso animo considerat, per fenestram corporis in secretum cordis venenum mortis instillat. Talis enim cogitatio, etiamsi aliquo impedita casu non impleat voluntatem suam, nihilominus actionis crimine condēnatur à Domino? ac sic illa casta est, cum qua libidinis malum voluit exercere, & ille iam adulter tenetur in corde. Et ideo audiamus dicentem Salomonem Prouerb. 4. Omni custodia conserua cor tuum. Et illud Psalm. 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Quomodo enim si quis carbones ignis apprehendat, si eos cito proiecerit, nihil nocebunt: si vero diutius tenere voluerit, sine vulnere eos iactare non poterit: ita & ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens, moras in cogitationibus suis habere permiserit, excutere eas à se sine animæ occisione vel plaga non poterit.* 7. Vt cogitetur voluptatis breuitas & supplicii æternitas. *Et quanta iniquitas* ait S. Augustinus, *& quam lugenda peruersitas, vt animam, quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisq; propter vnius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat. Verè enim nimium plangenda & miseranda conditio est, vbi cito præterit, quod delectat, & per Diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet.*

Mulierum familiaritas diligenter cauenda Sanctorum exemplo.

§. Et *quia nonnullos*, vt ait S. Greg. præfat. in suos Dialogos *ad amorem patriæ cœlestis plus exempla quam præcepta succendunt*, salutaria illa S. Augustini jam tradita documenta, vt præclaris Sanctissimorum hominum præsertim clericorum factis illustrentur operæ pretium erit. Quod mulierecularum conuictus & familiaritas deuitanda, aptis similitudinibus & comparationibus Sancti viri declararunt. Accusatus apud S. Lodanum Religiosus de contacta fœminæ manu excusauit se quod pia illa esset. Cui B. Iordanus: *Bona aqua terra est, bona & aqua: Si vero commisceantur pariter luteum efficitur.* Ita S. Anton. 4. Par. tit. 13. c. 3. §. 2. Narrat Benedictus in Summa de Pecc. lib. 4. c. 9. §. 5. Eremita matri in transeundo riuo auxiliaturum, veste manum obtexisse, ne eam attingeret, causamq; rogatus. Cur, inquit, *fœminæ ignis est, manus autem viri stupa, & ideo tangere nolo, ne tentatio aut cogitatio de aliis mihi fœminis oriatur.* In Prato Spirituali Ioannis Euirati c. 217. Dicit Senior quidam: *Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuo soluitur, & deficit. Et Monachus similiter ex muliere est. Itaq; si appropinquat mulieri soluitur, & ita atq; in id definit, vt iam Monachus non sit.* Si Clericus Monachi loco constituerit, eandem prorsus vim habet similitudo. Ita sensit & Apostolus 1. Cor. 7. v. 1. cum ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*, ejusq; rei postulum exponit Salomon Prou. 5. v. 3. 4. 5. & c. 7. integ.

Exempla mulierculas fugandum.

Auctor est S. Hieron. in vita S. Pauli, quod Christus adolescens superatis tormentis in amœnissimo loco nudato corpore in molli lectulo expansus fuerit scortillo irritandus, qui cœlitus inspiratus procaci morsu linguam in osculantis se facie expuit, & libidinis sensum succedens doloris magnitudo depulit. Quod exemplum & quidam Religiosus imitatus est, de quo Niceph. l. 7. c. 13. Andreas Fundanæ Cathedralis Episcopus, in quale quantũq; sanctimonialis tactu

discre-

discrimen venerit lib.3.Dial.c.7. narrat S.Greg. S. Leo Papa cum viduę oculandum manum prębuisset,hanc sibi pręscidit,vt qua agitabatur tentatione liberaretur. Memorat id S.Antonius in summa tit.13: cap.3.§.2.Ioannes Naucl. tom. 2. generat.15. Ioannem Bosnensem Episcopum,cum meretricula sollicitaret, in ejus maxillam tàm fortiter colaphum impegit, vt ad terram allideret, quod ei maximam apud Fridericum II.Imp. & aulicos reuerentiam conciliauit, vt habet Thom. Cantipr. lib. 2. c. 3. §.43.Et §.47. memorat,quomodo Sacerdos ante pius cum sexagenaria virgine ipsius cilicium lauante peccauerit. S.Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus votam Deo castitatem anno ætatis decimo octauo sine libidinis sensu & titillatione illæsam seruauit,ad quam violandam cum vehementer à scorto incitaretur, illud ipsum acriter virgis verberibusque mulctatum à tentatione liberauit. *Lasciuiæ remedium.*

§. S. Gregor. Nazianz. Carmine de animæ suæ calamitate in fine: *Cum,* inquit, *castitatis amor in intimis animi recessibus occultari non posset, primum cum his hominibus vitæ consuetudinem contraxi, qui matrimonii vincula fugerunt, seq; à mundi contagione abruperunt, vt Christum Regem animi pennis sequantur, hinc non sine magna gloria pedem eferentes, hos ego singulari amore, ac toto pectore complectens, spei cœlestis duces habebam, excussaq; omni huius vitæ beatitudine temperantiæ ac frugalitati collum subieci. Quæ quidem mei curam gerebat, me amabat, me ad amplissimam gloriã prouehebat, me deniq; in Christi manibus accuratè collocabat.* *Semper similem ducit Deus ad similem.*

CAP. XXXI.

SANCTVS PAVLVS MANSVEtum postulat Ecclesiasticum.

Mansuetudinis praconia.

§. MAnsuetudinem iræ moderatricem ac sedatricem, jucundam serenæ mentis tranquillitatem, societatis & amoris conciliatricem, humanæ naturæ imbelli maximè consentaneam, Deo hominibusque gratiosam & acceptissimam, animi immobilem statum, inter vituperationes & laudes eodem modo perseuerantem, vt loquitur S. Ioannes Climacus gradu 8. & gradu 24. *supereminentem iracundiæ pelago scopulum, firmamentum patientiæ, caritatis ianuam, imò verè matrem, discretionis argumentum, veniæ ministram, confidentiam in oratione, Spiritus sancti diuersorium, obedientiæ adiutricem, fraternitatis ducem, furentium frænum, irascentium retinaculum, gaudii indultricem, imitationem Christi, Angelorum proprietatem, dæmonum nexum atq; amaritudinis clypeum,* studiosè conseruent. Apostolus siquidem, quamcitè irascentem, stomachosum, morosum repudiat Clericum 1. Timoth. 3. v. 3. Tit. 1. ver. 7. optat vtique & deposcit mitem, placatum, animi morumque suauitate præditum, quod & declarat, cum oportere eum esse modestum asserit 1. Timoth. 3. ver. 3. siue vt ibi interpretatur S. Chrysost. *mansuetum & sine litibus.* Sed & ipsi Timotheo præscribit ibidem c. 6. v. 11. *sectare mansuetudinem.* Rursùm 2. Timoth. 2. v. 24. *Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes,* ad omnes scilicet homines, cujuscunque conditionis, sed præsertim discere cupientes. Et subjungit Apostolus; *docibilem, patientem cum modestia,* (id est, mansuetudine secundùm S. Chrysost. ibidem) *corripientem eos qui resistunt ver-*

veritati. Et quid admirabilitatis habet, hanc lenitatem, facilitatem, humanitatem à Clericis postulare Apostolum, cum ab omnibus Christianis exigat, *vt ambulent viuantq; cum omni humilitate & mansuetudine* Eph. 4. v. 1. & ipsis etiam mancipiis & seruis injungat: *non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem* (vultus serenitate, corporis quiete, sermonis & actionis suauitate) *ad omnes homines* (gentiles, Iudæos, malos atque nequissimos, vt ibidem exponit hom. 5. S. Ioannes Chrysost.). Titianæ 3. v. 2.

§. Sed & *Saluator noster Rex mansuetus* Matth. 21. v. 5. & maximè regno dignus propter *veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam* Psalm. 44. v. 5. hanc virtutem à suis exigit subditis, si secum in terra viuentium & stabili perpetuaque felicitate portionem habere velint Matthæi 5. v. 4. ejusque lenitatis exemplar se proponit ipse Matth. 11. v. 29. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde*, eundemque esse debere suorum sectatorum sensum, vt mansuetudinem mordicus teneant, docet Lucæ 9. v. 54. *Cum vidissent discipuli eius Iacobus & Ioannes* (quod Sumaritani non reciperent Christum) *dixerunt. Domine vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo & consumat illos? Et conuersus increpauit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed saluare.* Fortassis illi duo Apostoli ad Samaritanos ablegati fuerant, vt existimat Euthymius & repulsæ indignitate commoti, quod Christum admittere nollent, ejus injuriam exemplo Heliæ 4. Reg. 1. v. 10. cœlesti igne aduersarios occidentis, vlcisci voluerunt Sed 1. objurgauit eos. 2. indicauit suum atque Euangelicum spiritum in mititate ac mansuetudine consistere. 3. rationem adjunxit se non venisse, vt cuiusuis hominis vel animam vel vitam perderet, sed conseruaret.

Mansuetissimus Christus.

Christus suos discipulos vult esse mansuetos.

Discitur in Sathanæ morum truculentia ludo,
Namq; quod est, alios id docet esse Sathan.

At mites nos esse docet moderator Olympi,
Namq; quod est, alios Christus id esse docet.

§. Hinc S. Leo I. epistol. 82. ad Anast. Episcopum Thess. & habetur dist. 45. cap. 7. *Licet nonnunquam accidant, quæ in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis: plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas, quæ ea dem dist. c. 5. Licet plærumq; repetit S. Greg. & ibidem Sanctus Hieronym. c. 17. Recedite.* §: *Boni rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humanitatis & mansuetudinis lenimentum studeant peccantes ab errorib. laqueo eruere, quam per austeritatem in foueam perditionis ruentes propellere. Vnde & Doctor gentium, qualiter subditis sit profuerit, ostendit dicens* 1. Cor. 9. v. 22. *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Et* 2. Cor. 11. v. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Bonus rector esse benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus: vt & bonis se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem prioratus sui prioratus agnoscat, quatenus & honore suppresso aquales & subditis bene viuentibus deputet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.* Ista S. Hier. ad cap. 4. Thom. ver. 15. quæ autem sequuntur & lectu dignissima sunt, non hic adscribenda. Videat & Lector cap. 16. Sunt namque ex S. Gregor. libro 19. Mor. cap. 16. & 3. part. Past. adm. 17.

S. Canones lenitatẽ requirunt.

Apostolus lenitatis exemplar.

CAP. XXXII.

MANSVETVDO SVMMOPERE Ecclesiastico necessaria.

§. *MItes sunt*, inquit S. August. lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 3. *qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed in bono vincunt malum.* S. Basil. in Ps. 33. *Audiant mansueti & lætentur. Maxima*, inquit, *omnium virtutum mansuetudo, eoq; in beatitudinum numerum relata est. Beati*, inquit Matth. 5. *mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Illa enim terra cœlestis Ierusalem non est bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuetè omnia tolerantium sperata hæreditas. Qui sedatis sunt & compositis moribus, nempe ab omni affectu vitioso liberi, adeo, vt nullum reliquerint animab. suis perturbationi locum, hi demum mansueti appellantur.* Et B. Ambr. in Psalm. 36. *Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non sæuitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat.* Cassiodorus in Psalm. 39. *Mansuetos appellamus, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumunt.* Et S. Chrysosto. in Psalm. 131. *Neq; ferire*, inquit, *est absolutè atrocitatis, neq; parcere mansuetudinis, sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in seipsum peccata sunt, qui aliis factam iniuriam propulsat.* Ex quorum Patrum sententiis, quas illi ex S. Scripturæ fontibus hauserunt, consequens est. 1. vt læsi iniuriaq; affecti stomacho & iracundia non exardescamus, nec vindictam expetamus. 2. vt locum demus ac voluntate cedamus illorum nequitiæ. 3. vt illorum maleficia beneficiis compensemus, & hæc cum agitur causa nostra propria, verum in causa proximi & præcipuè Dei viros nos p̄beamus. *Omnib. quidem virtutib. opus habemus, mi vel hoinquit nor Dei.*

Lenitas omnis adhibenda, cum non agitur salus proxi-

inquit S. Chrysostomus homil. 19. in Epist. ad Rom. *maximè tamen mansuetudine, quandoquidem & nos benignitate indigemus & misericordia: multa siquidem singuli debita deliquimus.*

Ad suæ vitæ obeundam munia Ecclesiastico ne essa viatemitas.

§. Et hæc mititas non modo decora, sed & necessaria viris est Ecclesiasticis: nam 1. nulla fere est Ecclesiastico viro functio, quæ non diuinam gratiam & caritatem requirat, cujus gratiæ efficax conciliatrix est placiditas: neque enim super ira turbidum, sed super *lenitate quietum requiescit Spiritus Domini* Isa. 66. ver. 2. & vt ait Ecclesiasticus cap. 1. v. 35. *beneplacitum Deo fides & mansuetudo*: siquidem valdè probatur Deo, vt & illi fidem præstemus, & proximis fidelitatem justitiamq; exhibeamus, & mansuetè ejus injurias perferamus & condonemus, & in miseriis benignè subueniamus & opitulemur. Et Salomon Prouerb. 3. vers. 34. *Mansuetis dabit gratiam.* Et Ps. 146. ver. 6. *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram*, mansuetudo fructus est Spiritus Gal. 3. v. 23.

Ad diuinam lucem consequendã clerico ne essa via mansuetudo.

2. cœlesti lumine opus & mysteriorum, quæ tractant, intelligentia cum primis est Clericis necessaria, quam placatis & mitibus potissimum tribuit Deus, quemadmodum docet Sanctus Dauid Psalm. 24. v. 9. *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Hos deducit in suorum præceptorum iustitia, hos regit vt cum certa ratione & consilio omnia faciant, his manifestat & aperit sibi acceptas & ad æternam felicitatem ferentes vias. 3. diu multumque precandum Ecclesiasticis. Rectè autem S. Iudith cap. 9. ver. 16. ita Deum alloquitur: *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* 4. Sacra Deo munera Clerico offerenda sunt Hebr. 5. v. 2. at sine placabilitate non acceptantur à Deo Matth. 5. v. 24. 25. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari*

Ob preces clericis ejus mansuetudine.

Ad Deo offerendum lenitatem necessest ad libere.

ciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum. 5. Crebro Clericis tractandum cum populo, sunt enim lux mundi & sal terræ, opus ergo magna lenitate, ne durius agant & illos exasperent, nam vt est Prouerb. 15. v. 1. *responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, quapropter Apostolus 2. Timoth. 2. v. 24. prohibet ne Ecclesiasticus verbis pugnet & digladietur, sed omnibus mansuetudinem ac patientiam exhibeat, præsertim contrà disceptantibus. S. Chrysost. homil. 4. super 1. cap. Isaiæ: *Non tantum*, inquit, *in reprehendendo Sacerdotibus fiducia opus est, verum multo magis opus est mansuetudine, quam fiducia: neminem enim mortalium sic auersantur, oderunt q3 ii, qui peccant atq3 eum qui parat redarguere: captant q3 occasionem, vt elabantur, cupientes effugere reprehensionem. Necesse est igitur, vt eos mansuetudine humanitateq3 retineamus:* 6. Quid boni efficiet Clericus apud eos, quibus exosus est? At vt amabilis sit præstabit mansuetudo. Ita enim Spiritus sanctus docet Eccles. 3. v. 19. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*, id est, magis amaberis, quam si in sublimi dignitatis gradu constitutus esses, & præter honorem quem apud homines indipisceris etiam ab illis diligeris. 7. Quid prodesset Clerico, *Si vniuersum mundum lucraretur & animæ suæ detrimentum pateretur?* Matth. 6. vers. 26. Opus ergo animi lenitate quaeis conseruatur. Eccles. 10. v. 31. *Fili in mansuetudine serua animam tuam & da illi honorem secundum meritum eius. Nihil*, inquit Beatus Chrysostomus homil. 34. in Gen. *animam ita in tranquillitate & quiete esse facit, vt mansuetudo & modestia. Quocirca & Christus Dominus* Matth. 11. v. 29. *affirmat nos tunc requiem animabus nostris reperturos, si ab illo mansuetudinem discamus, & humilitatem.* Per quam Christi Domini mansuetudinem, vt excellentissimam ejus virtutem obsecrandos sibi putauit Corinthios Apostolus 2. Corinth. 10. v. 1. & quam in eo ex Isaia c. 41. v.

Ob cum populo consuetudinē mansuetudo Ecclesiastico amanda.

Vt proximi salutē promoueat Ecclesiasticus, aptum telū mansuetudo

Salus anima in lenitate.

41. v. 2. S. Matth. c. 12. v. 19. prædicat: *Non contendet, nec clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem eius, arundinem quassatam non confringet & linum fumigans non extinguet.* Hanc mansuetudinem omni vita sua coluit præsertim aduersus resipiscentes peccatores, quos admirabili benignitate & suauitate in gratiam recepit, & in passione sua *cum quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam* Isaiæ 11. v. 19. *coram tundente se obmutuit, & non aperuit os suum* Isa. 53. v. 9. Rectè S. Augustin. tractat. 33. in Ioannem: *Admirabilis mansuetudo in Domino fuit. Animaduertenda sunt nimium esse mitem, nimium esse mansuetum.* Habemus ergo Clerici noui Testamenti summum Pontificem, quem imitentur Christum Iesum exquisitissimum mansuetudinis exemplar. A qua virtute & maxime pere laudatur ille primus Iudæorum dux & Pontifex Moyses (nam vt est Psalm. 98. ver. 6. *Moyses & Aaron Sacerdotibus eius*) de quo S. Ioannes Chrysost. homil. 34. in Genes. *Vt discas quantum mansuetudinis & lenitatis sit robur, & quod sola hæc virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere. Audi beatum Moysen hinc potissimum prædicari & ex hac ei coronam plecti.* Numer. 12. versicul. 3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Vidisti encomii magnitudinem? Omni eum humano generi parem pronunciat, imò omni hominum generi præfert.*

Admirabilis & imitanda Christi mansuetudo.

S. Petri Apostolorum verticis mansuetudo.

§. Cum virtutibus cæteris admirabilis fuerit Sanctus Petrus Apostolus, tum mansuetudine, patientia & humilitate præcipuus, quod in S. Pauli correptione vel maximè declarauit, de qua Galaticæ 2. v. 14. *Dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cum Iudæus sis gentiliter vivis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare.* Quæ verba in Commentario eius epistolæ exponens S. Augustinus: *Quod hoc, ait, ei coram omnibus dixit, necessitas coegit, vt omnes illius obiurgatione sanarentur. Non n. vtile erat errorem, qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quod si-*

mitas & caritas Petri, cui ter à Domino dictum est Ioann. 21. v. 15. *Amas me? Pasce oues meas, obiurgationem talem posterioris Pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nam erat obiurgatore suo ipse qui obiurgabatur mirabilior & ad imitandum difficilior. Facilius est enim videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel obiurgando corrigere, quam videre, quid in te corrigendum sit, libenterq; corrigi, vel per teipsum, nedum per alium, adde posteriorem, adde coram omnibus. Si ergo & illi qui cogebant gentes iudaizare didicissent mites esse & humiles corde, quod à Domino Petrus didicerat saltem correcto tanto viro ad imitandum inuitarentur, ne putarent Euangelium Christi iustitiæ suæ tanquam debitum redditum.* Ista S. August. qui eandem mansuetudinem, vt erat suauissimi ingenii eximiè coluit : *Cum illo*, inquit Possidius Calamensis Episcopus in vita B. Augustini c. 31. *annis fermè quadraginta Dei dono absq; vlla amara dissensione familiariter ac dulciter vixi.*

Non videmus manticæ quod in tergo est.

CAPVT XXXIII.

SECTANDA CLERICIS PATIENtia, quia illis maximoperè necessaria.

§ PAtientia virtus contumeliarum & omnis aduersitatis impetus æquanimiter ferens, siue vt de Inuent. habet Tullius : *Honestatis & vtilitatis caussa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio*, *mansuetudini*, vt ait S. Basil. cap. 14. Constit. Monast. *naturaliter adiuncta est : Siquidem mansuetudo patientiæ est mater, commista vero cum benignitate præstantissimam omnium virtutem caritatem efficit.*

Quid patientia.

§. Hanc patientiam à viro Ecclesiastico postulat Paulus cum ait 2. Tim. 2. v. 24. *Seruum Dei oportet patientem esse.* 2. Cor. 6. vers. 4. *Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei desiderat mini-*

S. Apostolus in Clericis patientiã.

ministros in multa patientia, cur dixerit in multa patientia mox exponit, *in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus* (id est, tumultibus, expulsionibus) *in laboribus & vigiliis, in ieiuniis, &c.*

Multis de causis patientia seruanda Ecclesiastico.

§. Et quidem si causas spectare velimus, cur multæ sunt, cur Ecclesiasticis sarta tecta conseruanda sit patientia: nam sine ea, neq; Deo ritè famulari, neque suæ saluti consulere, neq; proximo prodesse possunt. Sine patientia Deo sanctè inseruire non queunt, quia illud Numen summoperè reuereri & metuere debent, alioquin suo cultu potius Deum offendant, quam conciliant. Malachiæ 2. v. 3. At vt inquit Ecclesiast. c. 2. v. 21. *Qui timent Dominum custodient mandata illius, & patientiam habebunt vsq; ad inspectionem illius.*

Nunquam deest patientiæ materia

§. Præterea cum ipsi diuino obsequio mancipati sint, vtique præ aliis religionem colere & obseruare debent, verum rectè idem Ecclesiasticus cap. 2. v. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & in iustitia, & præpara animam tuam ad tentationem*, quæ sine patientia non superatur. Et Apostolus 2. Timoth. 3. v. 12. *Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur*, ad quam tolerandam vtiq; opus est patientia. Et quo Paulina sententia rectè infert S. Leo serm. 9. de Quadrages. *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis.* Et serm. 18. de Passione Domini idem S. Leo: *Si compatimur & conregnabimus* Rom. 8. v. 17. & 2. Timoth. 2. v. 12. *Quod præmium non est tantum paratum est, qui pro nomine Domini impiorum sæuitia perempti, quoniam vniuersitas Deo seruientium, Deo, martium, sicut in Christo est crucifixa, ita est in Christo coronanda: illis quidem in omni gloria præcellentibus, qui terribiles mortes, & sæua tormenta vsq; ad exhalationem spiritus tolerando superauerunt, sed etiam iis subsequentibus, qui auaritiæ cupiditatem, superbiæ elationem, desideria q; luxuriæ carnis [illegible] mortificatione vicerunt. Vnde merito Apostolus ait, q[uoniam]*

qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patientur, cuius vtique non eſt extraneus, qui non eſt pietatis alienus.

Tribus patientia modis exercenda.

§. *Siendum eſt*, ait Sanctus Gregorius homil. 35. in Euangel. *quod tribus modis virtus patientiæ exerceri poteſt. Alia namque ſunt, quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduerſario, alia, quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo namq; perſecutiones, damna, & contumelias; ab antiquo vero aduerſario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduerſarii ſeducatur ad delectationem vel conſenſum delicti: ne contra flagella opificis ad exceſſum proruat murmurationis.*

Non niſi patiens ſalutẽ conſequitur.

§. Neque propriam ſine patientia ſalutem in tuto collocare poſſunt, vero enim verior eſt illa Saluatoris noſtri ſententia Lucæ 21. verſic. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Idcirco poſſeſſio animæ*, ait S. Gregorius homil. 39. in Euangel. *in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium cuſtosq; virtutum patentia. Per patientiam verò poſſidemus animas noſtras: quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſo poſſidere incipimus quod ſumus.*

Quid patientia.

§. *Patientia vero eſt aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoq;, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui ſic proximi mala portat, vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, ſed oſtendit, Scriptum quippe eſt* 1. Corinth. 13. verſi. 4. *Caritas patiens eſt, benigna eſt. Patiens namq; eſt, vt aliena mala tolerè, benigna verò eſt, vt ipſos etiam quos portat, amet. Hinc namque per ſemetipſam veritas dicit*: Matth. 5. verſic. 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Virtus itaq; eſt coram hominibus aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere: quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma caritatis incendit.*

Sine patientia non datur in cœlũ introitus.

§. Accedit eodem quod mortalium nulli ad felicitatem aditus pateat, nisi per varias afflictiones & miserias Actor. 14. v. 21. *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* Iacobi 1. ver. 12. *Beatus vir qui sustentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et qui imitatores Christi erunt, si Ecclesiastici non fuerint? *At Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius* 1. Pet. 2. v. 21.

§. Demum vt Clericus vtilitatem fructumq; afferat proximo, prudentiæ opinionem habeat, necesse est, quis enim vel consulat, vel audiat eum, quem delirantem vel parum sapientem existimet?

Prudens, patiens.

§. Sed judicium existimationemq; prudentiæ sine patientia assequetur nunquam. Verum siquidem est illud Salomonis Prouerbium c. 14. v. 29. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Patientia index Sapientiæ, impatientia indicina stultitiæ. Similiter cum Clericus sit lux mundi & sal terræ & aliis virtutis ac veritatis lucem tendere debeat, permagna illi patientia est necessaria, nam vt ait Salomon Prouer. 19. v. 11. *Doctrina viri* (tum qua doctus est, tum qua alios docet) *per patientiam noscitur.* Vbi V. Beda in Comment. *Doctrina, inquit, Ecclesiastica per patientiam dictorum quam sit perfecta monstratur: quia dum magis afflictionibus ac morti corpus subdere quam à docendi officio cessare voluerunt, ostendebant vtiq; quantum esset salutaris, quam tanta instantia defenderent curarunt.* S. Greg. homil. 35. in Euang. *Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens. Neque n. potest veraciter bona docendo impendere, si viuendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare.* S. Augusti. epist. 1. ad Marcell. & habetur 23. c. 2. *Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos sperat bonos quærit, vt numerus potius crescat bonorum, non vt parvitia se quoq; numero addat malorum.*

§. Nec

§. Neq; tantum in suscipiendo & exantlando labore, sed & in fructu sui laboris exspectando patiens esse debet Clericus. Est enim ipse velut vinitor vel agricola benedictionem atque jacti seminis vel culturæ vbertatem à Deo præstolans Iacobi 5. versiculo 7. *Patientes estote fratres vsq; ad Aduentum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & scortinum. Patientes estote, & vos, & confirmate corda vestra, quoniam Aduentus Domini appropinquabit.* Denique quod nulli Christiano negligendum hoc Ecclesiastico cumprimis obseruandum, est autem Apostolicum mandatum 1. Thess. 5. v. 14. *Patientes estote ad omnes.* Patientiæ verò exempla in Ecclesiasticis viris tot sunt, quot illo sacro ordine decorati mortem, graues cruciatus, aut alias molestias & dolores pro Christo pertulerunt, quos commemorare omnes neq; hujus nostri instituti, neq; facultatis est.

§. Vnum ex S. Gregorio audire neque inutile erit, neq; injucundum. Is hom. 35. in Euang. *Fuit quidam diebus nostris,* inquit, *Stephanus nomine Pater Monasterii, iuxta Reatinæ vrbis mœnia constituti valde sanctus virtute, patientia singularis. Et supersunt multi, qui illum nouerunt eiusq; vel vitam vel obitum narrant. Hic pro amore cœlestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus rationib. intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo vehementer excreuerat, ita vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quam adiutores æstimabat. Hunc cum dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tum sanctæ animæ de hoc mundo recedenti, suas animas commendarent. Cumque circa lectum illius hi, qui conuenerunt omnes assisterent: alii corporis oculis ingredientes angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt. Alii omnino nihil viderunt, sed omnes qui aderant vehementissimus*

Exemplum patientiæ.

Patientia aliis comitata virtutibus.

Noli vinci à malo, sed in bono vince malum, Rom. 12. v. 21.

Præmium patientiæ.

timor

timor percutit, vt nullus egrediente sancta illa anima illuc ho potuisset. Ecce fratres charissimi, seruata illa in Ecclesia pace patientia, ad quantum hunc retributionis culmen exc Quid huic suus conditor intùs dedit, de quo nobis tanta gl in die eius exitus & foris innotuit.

CAP. XXXIV.

APOSTOLVS REQVIRIT ECclesiasticum in cibo minimum potuq; moderatum.

Temperantiæ laus.

§. TEmperantia cibi potusque moderatrix insigne Dei donum & singulare cum aliorum hominum tum maximè Ecclesiasticorum decus & ornamentum, sensuum, membrorum, ac ipsius mentis tutamentum, castitatis ac pudicitię munimen, criminum vitiorumq; domitrix & profligatrix, ingenuorum morum magistra, salubrium cogitationum & recti consilii magistra, arcanorum fideique custos, valetudinis conseruatrix, inseparabilis virtutis comes & socia, si nomen dignitatemque suam sustinere velint, assiduis Clericis studio excolenda est: Siquidem Apostolico judicio nemo in Ordinem Ecclesiasticum admittendus, nisi qui sit vir frugi & in omnibus vitæ partibus moderatus & temperans. *Oportet*, ait 1. Timoth. 3. versiculo 2. *esse sobrium*. Græcum νηφάλεον tàm sobrium quàm vigilem & perspicacem rebusque suis intentum significat: nam sobrietas ingenii solertiæ ac vigilantiæ parens est. Et quod noster contextus habet *prudentem* σώφρονα etiam temperantem verti potuisset.

Apostol. de viro Ecclesiastico loquens.

Temperantiæ donum Clericis in

§. Et quidem Apostolus, ne quis se excuset, quasi non facile sobrietatem seruare possit, hujus frugalitatis & moderationis donum in Sancta Ordinatione Cle-

Clericis conferri affirmat, vt ſciant proprium ſuorum ipſorum eſſe vitium, quod Dei munus non ad ſuam conuertant ſalutem. Sic autem Apoſtolus 2. Timoth. 1. v. 6. 7. *Propter quam cauſſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Non n. dedit nobis ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis, & ſobrietatis*, id eſt, Hortor & moneo te, vt gratiam quæ tibi per meam ordinationem collata eſt langueſcentem, quaſi ſopitum ignem caritatis flamma accendas. Quæ autem ſit hæc gratia mox ſubjungit dicens: *Non enim dedit nobis Dominus ſpiritum timoris*, vt in perſecutionibus & tentationibus paueamus, *ſed virtutis*, fortitudinis & roboris, vt fidem conſtanter & teneamus & prædicemus & pro ea mori non dubitemus.

S. Ordinis Sacramento confertur.

Fortitudo in S. Ordine tribuitur.

Altera in Ordinatione tributa virtus eſt caritas, quæ flagranti ſtudio & diuina officia peragit, & proximorum præſertim ſubditorum ſalutem impenſe curat, vnde Ioann. 21. v. 15. Petro ter ſuum erga Chriſtum amorem confeſſo Dominicus grex concreditus eſt. Tertia in Ordinatione conceſſa virtus eſt ſobrietas ſiue cibi & potus temperantia ſiue etiam omnium perturbationum refrænatio & caſtigatio vitiorum. Et S. Auguſt. l. de grat. & lib. arbitr. c. 18. pro ſpiritu ſobrietatis legit ſpiritum continentiæ, quæ virtus eſt generalis cohibens & continens mentem in officio, ne amore, odio, cupiditate, timore, luxu, ſõno, torpore, aliiſvè immoderatis ac vitioſis affectibus diſſoluatur. Habet itaq; ex ipſo Ordinis Sacramento Clericus gratiam & facultatem ſobriè temperanterq;, ſi velit, viuendi. Rurſum Apoſtolus 2. Tim. 4. v. 5. *Sobrius eſto*, & Tit. 1. v. 8. requirit ordinandum *ſobrium & continentem* ſcil. à gula, luxuria & aliis animi vitiis.

Caritas in S. Ordine infunditur.

Temperantia in S. Ordine.

CAP. XXXV.

TEMPERANTES SINT CLERICI quia dicati Deo ministri.

§ CVr vero diuino instinctu eam victus moderationem ab Ecclesiasticis requirat Apostol. res sæ diligentius cogitanti grauissimæ occurrent, tu Dei siue ipsorūmet, siue proximi rationē habere vel. Et quidem vt à Deo auspicemur. 1. nemo mortalium vult seruum nisi sobrium & temperantem, quanto magis immortalis Deus talem patietur? proinde hortatur Apostolus 2. Corinth. 6. v. 5. *vt exhibeamus nos Dei ministros*, non tantum in temperantia, sed etiam in jejuniis multis. 2. S. Isidorus lib. 2. de sum. bono c. 4. *Nazaræis*, inquit, *quise sanctificabant Domino, præcipitur est vinum & siceram non bibere*, Num. 6. v. 1. *vtraq; enim sobrietatem mentis euertunt & ebrios faciunt: luxuriā quoq; carnis vtraq; æqualiter gignunt.* Quod si illi qui ad tempus seruitio obsequio dedicabant ab omni inebriante potu abstinere debebant, quanto magis minimum sobrie viuendum Ecclesiasticis, quorum omnis vita Deo consecrata est? 3. S. Hieron. epist. 83. ad Oceanum c. 4. *Sacerdotes*, inquit, *qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere* Leuit. 10. v. 9. *ne in crapula & ebrietate aggrauentur corda eorum* Lucæ 21. v. 34. & vt seruilis officium exhibens Deo vigeat semper & tenuis sit, ei itaque Clericis in Dei templo dies noctesque ministrandum, nunquam non sobrii esse debebunt. Sanctus Cyrillus Alexand. libro siue potius cap. 7. in Leuit. exponens memoratam sententiam Leuit. 10. vers. 9. *Dixit Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Vult*, inquit, *sermo diuinus sobrios*

Non modò temperanter viuendum Ecclesiastico, sed & sæpè ieiunandum.

esse Domini Sacerdotes, vtpote, qui accedentes ad altare Dei orare pro populo Dei debeant, & pro alienis interuenire delictis: qui portionem in terra non habeant, sed ipse Dominus portio eorum sit. Num. 18. versicul. 20. Vult ergo istos quibus Dominus portio est, sobrios esse, jejunos, vigilantes in omni tempore, maximè autem cum ad exorandum Dominum, & sacrificandum in conspectu ejus altaribus præsto sunt. Sobrietas omnium virtutum mater est; sicut è contrario ebrietas omnium vitiorum. Sunt Ecclesiastici præcipui Dei cultores & ministri non ergo esse possunt abdominis & ventris mancipia. *Nemo enim potest duobus Dominis seruire*, Matth. 6. versic. 24. & quod ibidem versiculo 25. dicitur: *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, & hic commodè adaptatur. Non potestis Deo seruire & gulæ: cum quod Deus inhibet, gula imperet. Hinc de istis intemperantibus pronunciat Apostolus Philip. 3. versicul. 19. *Quod eorum Deus venter sit, & quod Christo Domino non seruiant, sed suo ventri*, Roman. 16. versicu. 18. *Id enim colit vnusquisq; quod diligit*, ait Sanctus Hierpnymus epistola 22. ad Eustochium capitu. 4. Quem ventrem vt infarciant, & distendant, propter nummos, frumentum & vinum, sacras quidam ædes adeunt alioquin non adituri.

Clerici ne Deo displiceant, ne Ecclesiæ & pauperum bona dilapident, ne aliis offendiculo sint, & ad preces inepti, ne castitatem corrũpant sobrii esse debent. Vbi castitatis periculũ

§. Nunc vt ad ipsos Ecclesiasticos progrediamur: cum sint Apostolicæ dignitatis successores, æquum est, vt & temperantiæ sint imitatores. S. Hieron. in c. 2. Micheæ, & habetur dist. 35. c. 4. *Ecclesiæ Principes* explanans illud juxta LXX. *Duces populi mei proiicientur de domibus delitiarum suarum, propter malas adinuentiones suas eiecti sunt. Ecclesiæ Principe*, inquit, *qui delitiis affluunt, atq; inter epulas atq; lasciuias iudiciam seruare se credunt: propheticus sermo describit, a eiiciendi sint de spaciosis domib. lautiq; cõuiuiis, & multo labre epulis cõquisitis: & eiiciẽdi propter malas cogitatoẽs & operatiua. Et si vis scire quo eiiciendi sint, Eu-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

angelium lege Matth. 22. v. 13. & 25. v. 30. *in tenebras* [illegible] *exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. An non confu* [illegible] *& ignominia est, Iesum crucifixum, magistrum paupertatis* [illegible] *esurientem fartis prædicare corporibus, ieiuniorum q̃ doctrinam* [illegible] *rubentes buccas, tumentiaq̃ ora proferre? Si in Apostolorum* [illegible] *eo sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersa-* [illegible] *tionem quoq̃ & abstinentiam amplectamur.* Vna sententia multas causſas affert B. Hieronymus, cur accuratè colenda sit Clericis temperantia. 1. quod ijs delicijs priuandi. 2. quod perpetuis suppliciis excruciandi. 3. q̃ probrum illorum & dedecus sit vt intemperantes non modo temperantem, sed & egenum, & famelicum Christum prædicent. 4. quod in indigentium Apostolorum locum succesſerint, sed & aliam ibidem ministrat causſam, cur Ecclesiasticos esse in cibo potuq́ue moderatos oporteat: nimirum quod fallantur illi, qui inter epulas atque lasciuias se pudicitiam seruare posse arbitrentur, & rectè eos decipi affirmat. Proinde non modo Clericos, sed vniuersos etiam Christianos hortatur præcipitq́ue Apostolus Ephes. 5. versic. 18. *Nolite inebriari vino in quo* (vino siue inebriari vino) *est luxuria, sed implemini Spiritu sancto.* Idem rursus S. Hieronymus epistola 146. ad Damasum Papam. *Luxuria* (in cibo potuq́;) *mater libidinis est: venter distentum cibo, & vini potionibus irrigatum, voluptatum gemmium sequitur, atq̃ vt alibi dictum est, pro membrorum ordine ordo vitiorum est,* citatur & d. 44. capit. 1. Cum autem. Et epistola 10. ad Furiam cap. 3. affirmat frustrà obtentari castitatem sine temperantia. *Quid*, inquit, *nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendicibus continentia & parcitate fidem sui facere non potest?* Cum Cerere & Bacchо ardet Venus. Et Sanctus Augustinus sermon. 65. de Tempore. *Semper iuncta est saturitas lasciuia, vicina sibi sunt, sicut venter & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur.*

Multæ causæ cur Ecclesiastico sit accuratè seruanda temperantia:

Sine temperantia non custoditur pudicitia, & Clericus debet esse pudicus.

§. Affert

§. Affert hujus rei exempla Sanctus Hieronymus epistola 83. ad Oceanum: *Noe*, inquit, *ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat* Genes. 9. versicul. 21. *Loth per temulentiam nesciens libidine miscet incæstum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Genes. 19. versicul. 32. Ex his & aliis concludit idem Beatus Hieronymus in cap. 1. Titianæ epistolæ versicul. 7. *Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormiuerit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.* *Ebrietas libidinis seminarium.* *Potator libidinosus.*

§. Adscribam & Gratiani verbis aliam caussam, cur Ecclesiastici sobrii semper esse debeant. Sic ergo ille loquitur distinctione 44. cap. 13. *Si laicis commessationes damnabiles sunt, multo magis Sacerdotibus imputantur ad gehennam, venter enim pinguis*, vt Hieronymus ait epistola 2. ad Nepot. cap. 14. *crassum sensum generat* (S. Hier. habet non gignit mentem tenuem) *cum Sacerdotalis sensus è contra vigil esse debeat & tenuis, atq; ideo edacitatis vitio obnoxii Sacerdotes vngi non debent. Hi enim*, vt ait S. Gregor. lib. 23. Moral. c. 12. *qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædicationis vsum, præesse magisterio caterorum debent.* Profectò autem sine sobrietate non modo non viget ratio, sed ita consopitur & offuscatur, vt temulentus minùs cognoscat, quàm bestia, vt pulchre tradit S. Ioannes Chrysost. hom. 58. in Matt. & B. Basil. hom. 14. in ebrietatem & luxum. *Anima sicca*, dicebat *Heraclytus, sapientissima.* Et Clemens Alex. lib. 2. Pædag: *Iubar est*, inquit, *anima sicca sapientissimum & perspicax, neq; madescit vini habitu, in modum nebulæ crassescens.* *Sæcularibus exitialis intemperantia multo magis Ecclesiasticis* *Obesa & mucosa naris intemperantes* *Iners & desidiosus intemperans*

§. Ad hæc laborioſi debent esse Ecclesiastici, ad laborem siquidem & non ad otium & desidiam vocati sunt Ioannis 15. versicul. 16. *Non vos me elegistis, sed ego* *at Clericus nauus esse debet ac diligens*

ego elegi vos & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Vnde & Apostolus Timotheum exemplo egregii militis, pugilis & agricolæ exhortatur, vt totus Euangelio incumbat, & pro eo quæcunq; mala fortiter sustineat: Sic enim loquitur 2. Timoth. 2. versicul. 3. 5. 6. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nam qui certat in agone non coronatur, nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Iob 5. versic. 7. *Homo nascitur ad laborem & auis ad volatum,* ad labores autem magnos, suscipiendos & exantlandos valetudine opus est, quam valetudinem, vt infringit intemperantia, ita conseruat & auget temperantia. Sanctus Hieronymus libro 2. in Iouinianum cap. 8. *Qui ægrotat,* ait, *non aliter recipit sanitatem, nisi nutricibo, & castigato victu, quæ λεπτὴ διαίτα dicitur, quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & seruari potest: ne quis putet morbos holeribus concitari.* Præclarè id docet Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 39. in 1. Corinthiacam: *Non menti,* inquit, *sed ipsi corpori inimica & infensa est voluptas, ex forti debile reddit, è solido eneruatum, morbidum, sano, tenue ex compacto, ex florente & formoso deforme, rudum ex fragranti, ex vtili inutile, ex mundo & puro impurũ, ex absoluto, doloribus vndiq; differtum, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum, & ex sano languens, ex recto claudum. Per hanc mille mala malignus ille patrat Satan. Diurna exercitatio, & labores & tolerantia, & moderata mensa, & victus simplex hilariora corpora reddunt, & firmam præterea plurimum iuuant. Quæ quum videmus fratres, quid non voluptates, pernicisa conuiuia vitamus, & simplicem potius persequimur victum? vt corpore simul & animo recti comparati, virtutibus pleni, futuris aliquando bonis potiamur.*

Intemperantia valetudinem corrumpit. Sicut corroborat temperantia.

§. Idem B. Ioannes Chrysh om. 29. in epistolam ad Hebr. & habetur de consecr. c. 28. *Nihil enim,* ait, *sic iucundum est, sicut cibus bene digestus aut decoctus, nihil sic sanitatem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem*

fugat,

fugat, sicut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento & sospitatem simul etiam procreat & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat, Quod enim facit fames, hoc etiam plenitudo facit ciborum. Multo autem magis peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali, excessus verò ciborum consumit, & putrefacit corpus humanum & macerat agritudine diuturna, & tunc eum morte crudeli consumit. Obsecro igitur ne nostrum corpus vitiosum & inutile faciamus, neq; vi vitia inferamus, &c. *Cõtra morbos antidotum temperantia.*

§. Neque solum hæc temperantia facit, ne morbos contrahamus; sed etiam vt contractis liberemur. Testis hujus rei est Sanctus Hieronymus libro 2. in Iouin. cap. 8. & habetur de cons. dist. 5. c. 30. *Legimus quosdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse, caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animum. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui comsumpti relinquunt pœnitentiam: Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Rectè igitur tom. 9. Sanct. Augustin. tractatu de conflictu vitiorum & virtutum legimus: *Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisq; accedere*: nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. *Temperantia morbos sanat.*

§. Omnibus quidem hominibus præceptum, vt assiduè vigilent, & inopinatum Saluatoris Aduentum præstolentur, sed potissimum hoc mandatum est Ecclesiasticis, vt quibus non tantum pro sua, sed etiam aliena salute vigilandum est, quemadmodum Dominus prolixè docet Matth. 24. v. 42. ad capitis vsq; fin. & Marc. 13. à versicul. 33. similiter ad capitis exitum, at quomodo vigilare poterit, nisi sobrius? quod luculentè tradit Apostolus 1. Thessal. 5. à versicul. 1. ad 10.

Proinde

Proinde & monet S. Petrus 1. epist. c. 5. v. 8. *Fratres sobrii estote & vigilate; quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Quæ lectio Apostolica non sine causa Clericis legitur in Canonicarum Horarum completorio, vt nimirum cum earum pensum absoluerint, interdiu, ita & noctu sobrii sint. *Qui enim ebrii sunt, nocte ebrii sunt* 1. Thessal. 5. versicul. 7. & si fortè illa nocte moriendum, parati sint, aut nimirum se parare queant, quorum neutrum in ebrio est. *Vt sobrii simus & vigilemus*, ait Beatus Ioannes Chrysostomus homilia 2. in Ioannem, nobis Paulus præcipit & itidem Dominus. *Qui sobrius est & vigilat, quamuis à peccato capiatur, non tamen ipsum abiicit fugatque, qui vero somno aut ebrietate comprehenditur, non intelligit, quo pacto sub eis detineatur iniquitate.*

Cur ad completorium vel cantent vel legant ex S. Petro: Fratres sobrii estote, &c.

Ecclesiastico assiduè precandum ergo & continenter adhibenda sobrietas.

§. His accedit quod perpetuo Clericis sit precandum, quomodo autem non sobrii precabuntur? Plenus venter non orat libenter, nec potest, intelligenter. *Quod si quis existimat*, ait Sanctus Hieronymus 2. aduersus Iouinianum capit. 7. *& abundantia ciborum potionumq; se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & vesci in delitiis, & delitiarum vitiis non teneri, seipsum decipere.* Et cap. 8. *Sapientiæ quoq; operam dare non possumus, si nimiam abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget, cito expletur naturæ necessitas: frigus & fames simplici victu & cibo expelli potest.* Vnde & Apostolus 1. Timot. 6. *Habentes*, inquit, *victum & vestitum his contenti simus.* Et quando magis opus sapientia quàm cum Deo sermocinandum est? *Oratio enim colloquium est cum Deo*, ait Chrysostom. homil. 30. in Genes. Et lib. 1. de orando idem illud aureum os. *Quis non obstupescat & admiretur tantam benignitatem ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honorem largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur nostraq;*

Animus in patinis non est attentus precibus.

Quid oratio.

Orationis dignitas.

apud ipsum deponamus. Nam verè profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul & Angelis copulamur, & societatẽ quam cum brutis habebamus procul effugere videmur. Cum ergo hoc diuinum colloquium maxima attentione opus habeat, vnde & S. Ioannes Damas. l. 3. orth. fidei c. 24. dixit: *Quod oratio sit ascensio mentis in Deum.* Et D. August. lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 7. *Fit in oratione*, ait, *conuersio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit.* Necessaria itaq; ad orationem ritè instituendam temperantia, qua sine non potest obtineri attentio & mentis in Deum nostræ eleuatio. Prouida idcircò est ista S. Hieronymi monitio epistola 10. ad Furiam. cap. 4. *Quando comedis, cogita quod statim tibi orandum illico & legendum sit.*

§. Quod si & suam ipsius personam contueri voluerit Clericus 1. ex S. Ioanne Chrysost. l. 3. de Sacerd. intelliget illam tanto debere esse virtute vulgaribus præstantiorem hominibus, quanto pastor irrationalibus præstat pecudibus, & quomodo præstabit nisi sobrius fuerit; siquidem ebrius etiam infra bestiarum se conditionem abjicit, cum brutæ animantes non amplius bibant quam naturæ requirat indigentia, vt docet D. Basil. hom. 14. in ebrietatem & luxum.

Clerici dignitatem pessundat intẽperantia.

§. 2. Intelligendum est Clerico non sibi concedi bona Ecclesiastica, vt aburatur ad intemperantiam, sed vtatur ad necessitatem & temperantiam. Qua de re commentario suo in c. 3. Michææ, & habetur di. 44. c. 1. Cum autem ita loquitur S. Hieron. Apostolus Paulus: *Qui altari*, inquit 1. Cor. 9. v. 13. *seruiunt & de altari participant & viuunt. Permittitur tibi O Sacerdos, vt viuas de altari, non vt luxuries. Boui trituranti os non clauditur* 1. Cor. 9. v. 9. *Scimus ista & tamen licentia hac Apostolus non abutitur* 1. Cor. 9. v. 15. *& habens victum vestimentumq; contentus est* 1. Tim. 6. v. 8. *nocte & die laborat manibus suis, ne cui grauis*

Bonorũ Ecclesiasticorũ vsus non nisi ad moderationem concessus.

Victu vestituq; proprio labore acquisito contentus Apostolus.

uis sit. 1. Thess. 2. v. 9. Act. 20. v. 33. 2. Thess. 3. v. 8. Et ipse in epistolis 1. Thess. 2. v. 5. 6. 10. *se sanctè & sine auaritia Christi Euangelio conuersatum* 2. Cor. 12. 13. 15. *& non sua de se, sed de discipulis quoq; suis hoc ipsum asserit: quod nullo miserit, qui ab Ecclesiis aut posset aliquid, aut vellet accipere. autem gratulatur in quibusdam epistolis, & mittentium munera beneuolentiam Dei appellat* Philip. 4. v. 10. 14. 18. *non sibi congregat quam pauperibus Sanctorum, qui erant in Ierusalem.* Hæc S. Hieron.

§. 3. D. Clemens in Apostolicis Constit. l. 8. c. aliam Ecclesiasticæ temperantiæ caussam affert: nimirum vt Clerici aliorum incontinentiã & immoderationem queant coarguere, nam vacare debet culpa, qui paratus est in alterum dicere. Verba S. Clementis Pontificis & Martyris sunt ista: *Cum sitis Presbyteri, Diaconi Christi, sobrii esse debetis, & priuatim & cum aliis positis intemperantes coercere.*

CAP. XXXVI.

DE ECCLESIASTICORVM CONuiuiorum frugalitate.

Quæ in conuiuio vitia vitanda.

§ VT Ecclesiasticorum conuiuiorum rationem modum rectum perspiciamus, operæpretium erit Sanctorum Majorum nostrorum sententias discreta ponere. Conc. Carthag. 4. c. 17. & habetur d. c. 8. *Episcopus vilem suppellectilem, & mensam, ac victum parem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fidei & veritatis quærat.* Idem inculcat Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de Ref. form. S. Greg. l. 2. ep. 37. ad Natalem Episcopum & habetur d. 44. c. 7. *Conuiuia*, inquit, *quæ ex intentione commendæ caritatis fiunt, recte sanctitas vestra in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex caritate procedunt: cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex detractione reprehenditur, & non in eis inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba lectionis sacræ audiuntur: cum non plus quam necesse est, seruitur corpori, sed sola infirmitas eius refectur,*

Lectio sacra in conuiuio Ecclesiasticorum.

ad vsum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaq; si vos in vestris conuiuiis agitis, abstinentium fateor magistri estis.

§. S. Ioannes Chrysost. in serm. super illo: Concupiscentias carnis ne sectemur, quæ generant mortem. Et serm. 24. in epist. Rom. c. 15. Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Non omnino negauerim conueniendum interdum esse & concœnandum, sed vt inhonesta & turpia interdicam, cupiamq; luxum in cibum conuerti, qui dolore, temulentia, & lasciuia careat, vtq; vel gentes intelligant; Christianos nosse delitiis modum facere, id est, modestè & temperanter his vti. Exultate, Propheta inquit Ps. 2. Domino in tremore. Qualis illa erit exultatio? Hymnos scil. pronunciare, orare, & Psalmos, pro seruilibus illis cantionibus introducere. Hoc pacto & Christus mensæ aderit, & dapes benedictione complebit, cum preces ad eum fuderis, cum spiritu decantabis, cum egenos ad victus communionem conuocaueris conuiuiiq; modum & temperantiam adhibebis. Si ex triclinio Dei domum effeceris, proq; immoderatis & intempestiuis clamoribus hisce & plausibus, dominum extuleris. Neq; id dixeris extare hoc tempore alias conuiuandi leges: quin potius corrigenda per te erunt, quæ se haud recte habuerunt. Si enim Paulus inquit 1. Cor. 10. cibum sumitis aut potum, seu aliud quodcunq; agitis, omnia in laudem Dei facitote.

Quale conuiuium permittendum.

Frugalimen sæ & interest & benedicit Christus.

Vt cœnaculum, templũ

§. Commodè hic subjungam S. Basilii interrogationem 196. in regulis breuius disput. Quomodo manducat quis & bibit ad gloriam Dei, & simul responsionem: Nimirum quando diuinorum beneficiorum erga se memoriam conseruat, & eiusmodi animi affectionem retinet, quæ ex compositione etiam corporis declaretur, vt ne tanquam securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habeat Deum. Et quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, vt non tanquam ventris mancipium, propter voluptatem manducet, sed tanquã operarius Dei, vt in operibus iis, quæ sunt ex mandato Christi, exequendis esse firmior possit. Euseb. Papa decreto 40. c. 10. Et Eutychia. Papa c. fin. Concil. Carthag. cap. 15. hunc in modum loquuntur: Oportet moderatis epulis contentum esse Sacerdotem, suosque conui-

Quiẽ edatbi bat q; ad Dei gloriam.

Deus præsens in conuiuio cogitandus.

Sacerdos sobrietatis norma ad potum cibumq; neminem vrgeat.

conuiuas ad comedendum & bibendum non vrgere, quin potius sobrietatis præbeat exemplum. Remoueantur ab eius conuiuio cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigia, adsint peregrini, & pauperes, & debiles, quæ de Sacerdotis mensa Christum benedicentes benedictionem percipiant. Idem Concil. 4. Carthag. c. 60. & 80. *Inter epulas cantare Clericum excommunicationis sententiæ seueritate coercendum decernimus: Scurrilia, iocularia, risumq; mouentia verba quens acerrimè corripiatur.* Habetur dist. 46. cap. 6. Clericum.

Sacerdotis conuiuæ, egeni.

S. lectio ad Clericorum mensam.

§. Similia habentur dist. 44. c. 8. *Nullus Presbyterorum.* Et cap. 9. Quando ex Concil. Nanetensi. *Quando conueniunt presbyteri ad aliquod conuiuium aliquis prius dicat rum versum ante mensam incipiat & cibum benedicat, et secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem præbeant, per vices cibum & potum benedicãt: & aliquis de illorum ricis aliquid de S. Scriptura legat. Post refectionem simul hymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cœna legitur* Matt. 26. v. 30. *& se contineant omnes presbyteri ximè in talibus locis, vt non vituperetur ministerium eorum.* Ne autem propter personæ vitium in vituperationem cadat & Sacerdotis officium, prohibetur ne Clerici bernam ineant, nisi itineris aut necessitatis causa. 44. c. 3. *Non operatur.* & cap. 4. *Nulli Clerico.*

Ecclesiastici conuiuii proprietates.

§. Ex quibus haud difficulter intelligit vir Ecclesiasticus quale ipsius debeat esse conuiuium, nimirum in quo temperantia, modestia & decentia interna exterius in omnib. obseruetur, & quidem 1. quod benedictione siue precatione inchoetur & gratiarum actione terminetur, vt à S. Chrysostom. didicimus, qui rursus hom. 79. ad Antioch. *Opus est nos & mensam petentes & desistentes Deo gratias agere. Mensa ab oratione sumat initium, & in orationem desinens nunquam deficiet, sed potius largius omnia nobis afferet bona.* Sanctus Hieronymus epist.

epist.22.ad Eustochium cap.16. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa: nec recedatur à mensa, nisi referatur creatori gratia. Quod & docet S. Basil. epist.1. ad Gregor. Theologum, & habetur dist.44.cap.9. Quando. & cap.13. Non liceat. 2. quod clericus, siue inuitator, siue inuitatus sit sobrietatis exemplum, vt monent Eusebius & Euthichianus summi Pōtifices, quod & B. Theodoretus confirmat quæst.4. in Leuit. Temperantiæ typum sacerdotem esse oportet, ne præbeat occasionem conuitiari volentibus. 3. vt à mensa absit ebrietas & lasciuia, vt monet S. Ioan. Chrysost. & Concil. Nannetense, absit & obtrectatio absentium, irrisio præsentium, mūdana & vana colloquia, vt docuit S. Gregor. vt nemo vrgeatur ad potum, vt cum duobus summis Pontificibus sanxit Concil. 4. Carthag. 4. vt ad Dei gloriam & laudem cibus, potusque sumatur, vt S. Paulus, Basilius, & Chrysostom. nos instituerunt. 5. vt lectio Scripturæ S. siue alterius pii libelli mensæ adhibeatur, vt ex Concil. Nannetensi cognouimus, & constitutum est in Concil. 4. Toletano cap.7. & habetur dist.44.cap.12. Pro reuerentia Dei, & sacerdotum, id vniuersa constituit Synodus, vt [quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi] in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum immisceatur, per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. Et vt loquitur B. Ignatius noster, dum corpus edēdo reficitur, sua etiam animæ refectio præbeatur. Neq; nam solo pane viuit homo, sed & in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Deut.8. Mat.4. 6. Vt conuiuii eiusmodi participes sint egeni, quemadmodum nos exhortati sunt S. Pontifices citati Conc. Carthaginense 4. Sed & ipse Saluator Lucæ 14. ver.12. Cum facis, inquit, prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte te & ipsi reuocent, & fiat tibi retributio, sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iu-

ſtorum, nimirum cum dicetur, *Venite benedicti Patris mei poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurij enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere*, &c.

Singularis B. Greg. in egenos benignitas.

§. Appoſito hoc declarandum eſt, exemplo non cuiuſuis viri Eccleſiaſtici, ſed S. Pontificis, de quo Ioannes Diaconus *in vita eius lib. 2. cap. 22.* Tantæ hoſpitalitatis Gregorius erat, vt exceptis his, quos tam per diuerſas regiones quàm Eccleſiaſtica ſtipe nutriebat: ad menſam ſuam quotidie peregrinos quoslibet inuitaret, inter quos dum in vna manus aquam fundere voluit, is euanuit. Miranti ſancto Gregorio Dominus eadem nocte per viſionem dixit: Caterisdum me in membris meis, heſterno autem die me in meipſo ſuſcepiſti. Et *cap. ſeq. 23.* Cum inuitatis ad menſam eiuſdem ſanctiſſimi Gregorij Papæ duodecim peregrinis viſus eſt & tertius decimus, qui ſeorſum interrogatus, reſpondit ſe angelum Dei, cum in pauperis fragi ſpecie mendicanti, dediſti duodecim nummiſmata & vnam argenteam ſcutellam, quam tibi cum leguminibus miſerat tua mater Syluia mater tua. Ex quo die decreuit tibi DEVS ſummum Pontificatum, & me perpetuum tuum cuſtodem conſtituit, vt quicquid petieris per me poſſes à DEO impetrare. Vides quàm vtiliter Beatus Gregorius ſingulos in dies egenos ad menſam ſuam vocauit.

Quibus inſtructa fuerit S. Auguſt. Epiſcopi menſa.

§. Hæc quæ de frugali Eccleſiaſtico conuiuio dicta ſunt ſuo exemplo cõprobauit magnus ille Eccleſiæ Doctor B. *Aug.* de quo eius diſcipulus, & annis fere quadraginta conuictor Poſsidius Calamenſ. Epiſcop. *in vita ipſius* 22. Menſa vſus eſt frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quia infirmioribus continebat. Semper autem vinum habebat, propter carnib. v ſumendo Apoſtoli extat ſententia ad Timoth 1. *ep. 5. v. 23.* ſus B. Aug. bentis ac dicentis: Noli vſque adhuc aquam bibere, ſed vino modico vtere propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates. S. Aug. mũ- Cochlearibus tantum argenteis vtens, cætera vaſa, quibus mendacia ſed curta ſæ inferebantur cibi vel teſtea, vel lignea, vel marmorea erant ſupellex.

non tamẽ necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed & hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemq; diligebat, & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea ita scriptum habebat.

Hospitalis B. Aug. mẽsa, & vel lectione vel dissertatione condita.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Obtrectationis intolerãs mensa D. Aug.

Et ideo omnem conuiuam à superfluis & noxiis fabulis, & detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coepiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes tam aspere aliquando reprehẽdit commotus, vt diceret aut delendos illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alii, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus. Cap. 23. Pauperum vero semper memor erat, eisq; inde erogabat, vnde & sibi suisq; omnibus secum habitantibus erogabatur.

Quib. ipse S. Aug. vescebatur cibis, iisdem pascebat egenos.

CAPVT XXXVII.

ECCLESIASTICAE TEMPERANTIAE EXempla proferuntur.

§. NON quorumcunq; hominum victui ac potioni moderãtium exẽpla producenda sunt, quãdo enim finis esset? sed aliquorum tantum sacrorũ, ac Deo dedicatorum. Ezech. 45. v. 21. *Vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius.* Ier. 35. v. 6. & 19. Rechabitæ schyphos & calices vino plenos, cum ipsis propinarentur, respuerunt *Non bibemus vinum, inquiunt, quia Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri vsque in sempiternum.* Quamobrem & à Domino merentur audire: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Sobrius dignus diuino conspectu.

Rechabitæ.

§. Liberator noster *sacerdos secundum ordinem Melchis.* temperantissimus, idcirco conuiuia subinde adiit, vt

Christus sũmus noster Pontif. temperãtissim⁹

verbo & exemplo alios temperantiam doceret, tot vt seipsum pasceret. Qui vt modestiam victus praeberet, & ipse continuis quadraginta diebus nihil stauit, *Matth.4.v.2.* esurientes & sitientes beatos *Lucæ 6. Matth.5.* à Samaritana muliere aquæ potum tiit, & discipulis, vt manducaret, hortantibus, *bus est*, respondit, *vt faciam voluntatem eius, qui misit an.4.v.7. & 34.* Corpus & sanguinem suum sub panis & vini dereliquit, qui cibus & potus spiritus non corporis & modica quantiate sumendus, ac ram in nobis temperantiam generans. A sua resurrectione, vt resuscitati corporis veritatem demonstret, cum discipulis cõedit, non carnem tamẽ, nec quam aliud præter panem, piscem, fauum. *Luc.24.* Eadem sub Christi Domini disciplina victus tenuitatem sectati sunt Apostoli, qui segetum spicas manibus fricantes, tam simplici cibo pellebãt inediam. *Mat. v.1. Marci 2.v.23. Lucæ 6.v.1.* Cum numero duodecim sent, nihil aliud quam quinque panes hordeacei duosq; pisces habuere in deserto. *Io.6.v.9. Mat.14.* quibus Dominus quinque millium turbam pauit. rum nihil omnino præterquam septem panes, & pi culos pisciculos, quando quatuor millia virorum tiata sunt. *Matth.15.v.32. Marci 8.v.6.* Rursum transitantes obliti sunt panes secum ferre. *Matt.16.v.7.* non erat ipsorum animus in patinis; sed in doctrina exemplo Christi, vt cibariorum curam non habe Quin & sæpe ita obruebantur, vt ne reficiendi ris facultas daretur. Hinc *Marci 6.ver.31.* ait Apostolis Jesus, *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite lum: Erant enim qui veniebant, & redibant multi, & cium manducandi habebant.* Quanto ergo parcius vi eos putabimus, cum ablato sponso, nuptiarum gaudium versum est in persecutionis luctum, & minus parcere cœperunt terrenâ desiderantibus cœlestia? Profecto

Temperantissimi Apostoli.

fecto de se & aliis Apostolis affirmat *sanctus Paulus* 1. *Corint.* 4. *vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Qui idem *Apostolus Rom.* 14. *v.* 21. *Bonum est*, inquit, *non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, &c.* Et 1. *Cor.* 8. *Si esca scandalizat, non manducabo carnem in æternum.* 2. *Corint* 6. *Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in ieiuniis multis.* S. *Hieron. de scriptoribus Ecclesiasticis. Hegesippus*, inquit, *vicinus Apostolicorum temporum, in quinto Commentariorum libro de Iacobo narrans*, ait: *Suscepit Ecclesiam Ierosolymæ post Apostolos, frater Domini Iacobus, cognomento iustus, multi siquidem Iacobi vocabantur. Hic de vtero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta Sanctorum, siquidem vestibus laneis non vtebatur, sed lineis, solusque ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur, in tantum vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur.* Hac temperantia excelluit B. Timotheus, B. Pauli discipulus. *Audi*, ait D. *Ioann. Chrysost. homil.* 58. *in Matth. quid ad Timoth. dicit Paulus* 1. *epist.* 5. *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas. Quod si sanctus vir ille morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousque magister permisit, vino non vtebatur, quam veniam nos consequemur vino ad ebrietatem sani abutentes?* Quantum temperantiæ studium in B. Augustino fuerit, locuples ipse testis est *l.* 10. *Confes. cap.* 31. Pauca eius verba delibabo. *Reficimus quotidianas*, ait, *ruinas corporis edendo & bibendo, & suauis est mihi ista necessitas, & aduersus istam suauitatem pugnone capiar, & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpius in seruitutem redigens corpus meum. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam, sed in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ: ipse enim transitus voluptas est. Et cum salus sit causa edendi & bibendi adsungit se, tanquam pedisequa periculosa iucunditas, & plerum-*

S. Iacobi Apostoli frugalitas.

B. Timoth. Episcop. continentissimus.

Admodum temperans S. August.

quę præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa fa-
cere, vel dico, vel volo, nec idem modus vtriusque est. Nam
saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum
trum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, a
luptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Al
incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat
tionis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis
rationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret
voluptatis. His tentationibus conor quotidie resistere
inuoco dexteram tuam ad salutem meam. Consorta
posim. Da quod iubes, & iube quod vis. Ita Sanctus
gustinus frenos gutturis temperata relaxatione
strictione, tenere conabatur, ne aliquantulum

Abstinentia S. Fulgent. & Amandi.

necessitatis metas raperetur. *Sanctus Fulgentius*
fis Episcopus, vt est in eius vita tomo primo Surii, ne
dem afflictus carnis, vel vini vsum admisit veritus, ne
tati blandiens semel intermissum vitæ rigorem, sanus
petere nollet superatus gulæ voluptate. *Sanctus Amand.*
ad B. Martini sepulchrum 15. annos mansit, & hoc tota
re cibus illi panis hordeaceus, aqua potus fuit. Qui
iectensis Episcopus creatus abstinentiam non minuit,
Surius tomo 1. in eius vita. Hic Eremitarum abstin

Tenuissimo victu vsi Eremitæ.

percensere exempla nimis longum esset, aliqua
attingere operæ pretium, vt intelligamus quid
cum Dei gratia possit, si seriò & efficaciter velit.

S. Paul solitarius aqua & fruslo panis contentus.

in vita S. Pauli Eremitæ. Paulus, inquit, ad montem
confugiem, dum persecutionis finem præstolaretur,
quasi quod à Deo sibi offerreretur habitaculo, omnem
orationibus & solitudine duxit ætatem, cibum &
ei palma præbebat, quod ne cui impossibile videatur,
flor & sanctos angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta
Saracenis iungitur. Vidisse me monachos, de quibus
triginta annos clausus hordaceo pane & lutulenta aqua
alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cal
tant, quinque caritis [id est aridis ficubus] per singu

sustentabatur. Et rursus B. Hieron. Inter has sermocinationes Paulus & Antonius suspiciunt alitem corvum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolans integrum panem ante mirantium ora deposuit, post cuius abscessum, Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors, sexaginta iam anni sunt, quod accipio dimidii semper panis fragmentum: verum ad aduentum tuum militibus suis CHRISTVS duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata super vitrei marginem fontis vterque consedit, & fracto pane paululum aquæ in fonte prono ore libauerunt: & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigiliis. Idem sanctus Hieron. in vita S. Hilarion. eius explanans ab- S. Hilarion. stinentiam. A decimo quinto ætatis anno, inquit, herbarum mira absti- succo, & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficien- nentia. tem animam sustentabat, orans frequenter & psallens. & rastro humum fodiens: vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. A vicesimo primo anno vsq; ad vigesimum septimum tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum sale & aqua. Porro à vigesimo septimo vsq; ad tricesimum herbis agrestibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo, vsq; ad tricesimum quintum sex vncias hordeacei panis, & coctum modicè holus absq; oleo in cibum habuit: Sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam scabredine cõtrahi ad superiorem victum adiecit oleum: & vsq; ad sexagesimum vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cum se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à 64. anno vsq; ad 80. pane abstinuit, incredibili feruore mentis, vt eo tẽpore quasi nouus accederet ad seruitutẽ Domini, quo cæteri solent remissius viuere. Fiebant aũt ei de farina, & cõminuto olere sorbitiunculæ cibo & potu vix quinq; vncias appẽdentibus: sicq; complens ordinem vitæ, nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium.

S. Hier. abstinentia. Ista de Paulo & Hilarione S. Hieron. qui de se epist. ad Eustochium cap. 3. ita loquitur: *Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco membra deformata, squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnum imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia colliderem. De cibis vero & potu taceo; cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria.* Palladius SS. Patrum historia cap. 51. *Vidimus,* inquit, *&* S. Elias. *quoque senem in solitudine Antinoi, quæ est metropolis Thebaidis Eliam nomine, qui natus erat centum & decem annos. Vera signa quotidie peragebat, nec cessabat medere ægrotantibus. Comedebat in senectute tres vncias panis, & tres olearum.* *In iuuentute autem semel comedebat in hebdomade.* Et cap. 61. S. Euagrius *Euagrius Diaconus angeli monitu in solitudinem profectus, & vaticinandi dono præditus dixit: Ex quo veni in solitudinem non tetigi lactucã, non minutum holus, non aliquid viridum, fructum, non vuam, non lauacrum, non carnem, no panem, no vinum, neque omnino aliquid ex iis, quæ per ignem transeunt, præter quædam olera cruda, & modicum aquæ. Post autem actum decimum huius instituti annum propter corporis & stomachi imbecillitatem ad biennium, quo migrauit ad Christum, non nisi pti sanam, id est coctum hordeum, vel legumina sumpsi & panem. Vbi nostræ delitiæ?* Et cap. 113. religiosissimus presbyter, Deique amantissimus, & alapas ob Christi confessionem iussu Juliani Apostatæ perpessus, ab omnibus cibis coctis abstinuit. Et quid opus plura commemorare, cum de vnoquoq; sancto confessore veræ germinat Ecclesia: *Hic pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, iustus fuit & quietus, vita dum præsens vegetauit eius corpus actus.* Hos si proximè consequi recusemus, saltem ab eorum semita non exeamus, vel non recusemus vero, quo, optimoque præstare Deo, quod gentiles suis fallacibus diis, dæmonibusque exhibuerunt.

§. Quam temperantes olim Ægyptii sacerdotes, mon-

monet *S. Augustl. lib. 2. de doct. Christiana cap.* 18. & 40. vt si quid rectè dictum, factumque sit à gentilibus in vsum nostrum, tanquam ab iniustis possessoribus vindicemus. Et certè non paruum pudorem Christiano iniicit illa animaduersio, quod ipse Christi gratia non præstet, quæ illi naturæ instinctu præstiterunt. Consideremus itaque, qua quantaque temperantia gentiles, sacerdotes vsi sint, vt pudeat nos vel illos non æmulari. *S. Hieronym. libro 2 aduersus Iouinianum cap. 9. Chæremon Stoicus*, inquit, *vir eloquentissimus narrat de vita antiquorũ Aegypti sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis, curisque postpositis, semper in templo fuerint, & rerum naturas, causasque ac rationes siderum contemplati sint: nunquam mulieribus se miscuerint, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint, ex eo tempore, quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino se semper abstinuerint propter tenuitatem sensus, & vertiginem capitis, quam ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione nascuntur. Pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, vt escam grauiorem illius calore decoquerent: oleum tantum in holeribus nouerant, verum & ipsum parum, propter nauseam & asperitatem gustus leniendum. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ouum quoque pro carnibus vitauerint, & lacte? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant, contextum erat: Scabellum accliue, & ex vna parte obliquum, in terra pro puluillo, capiti supponebant, bidui triduique inediam sustinentes. Humores corporis, qui nascuntur ex otio, vt ex mansione vnius loci, nimia victus castigatione siccabant.* Ista S. Hier,

Perpetua in templo commoratio.

Contemplatio.

Castitas.

Abstinentia & sobrietas.

Vitæ austeritas.

§. Quæso autem rogoque quisquis Clericus es, diligenti expende trutina, quæ hic commemorata sunt, & intelligas, qualem quantamq; temperantiam Deo tuo vero pro ipsius gloria, pro populi Christiani ædi-

ficatione, pro corporis tui sanitate, pro cœlesti præmio debeas, cum gentiles sacrificuli falsis diis & dæmonibus, à quibus non nisi sempiterna præstolari poterant supplicia, tanta continentia cultum esse tribuendum putauerunt? Verendum, ne contra nos futuri iudices.

CAPVT XXXVIII.

PERVERSVS EDENDI AC BIBENDI APPETITUS COHIBENDUS.

§. NEque tantum cibi, potusque abundantia Christiano temperanti deuitanda, sed & ipsa edacitas & bibacitas, siue inordinata & nimia edendi, bibendique cupiditas, pronitas, effusio super mensam & delitiarum conquisitio. Hinc *S. August. in Psal. 43. Non laudatur*, inquit, *in illo ieiunium, qui ad luxuriosam cœnam festinat ventrem suum. Inuitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam: & cum ad eam volunt auidi venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & non potius luxuriæ putandum est?* Iterum *B. Aug. dist. 41. c. 3. Delitiæ quælibet absq; desiderio percipiantur, non officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ. Dauid enim aquæ male concupitam effudit, 2. Reg. 23. v. 15. & Helias carnes comedit, 3. Reg. 17. v. 7.*

Nullus cib. Christiano immundus, sed inordinatus appetitus.

§. Rursum *B. Aug. l. 10. Conf. c. 31. Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omnis carnis genus, quod cibo esset vsui, manducare permissum. Gen. 9. v. 3. Heliam cibo carnis refectum. 3. Reg. 17. v. 6. Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus hoc est, locustis, insidentibus non fuisse pollutum, Matt. 3. v. 4. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptū, Gen. 25. v. 34. & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, 2. Reg. 23 v. 17. & Regem Israel non de carne, sed de pane esse tentatū. Ideoq; & populum in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia esce desiderio ab-*

sus Dominum murmurauit, meruit improbari, Num.11,v.20. S.Hier.epist.2.ad Nepot.c.15.insectatur ieiunantes,& delitias consectantes: Tantum, inquit, tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, cuncta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel pictacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamus pane, & dum delitias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumque naturam aquam non bibere, nec vesci pane, sed forbitiunculas delicatas, & contrita olera, baccarumque succum non calice sorbere, sed concha. Prô pudor non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in delitiis quærimus. Fortissimum ieiunium est aqua & panis, sed quia gloriam non habet, & omnes aqua & pane viuimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur. Rursum l.2.aduersus Iouin.c.8. Adesse debet ratio, ait idem S.Hier. vt tales ac tãtas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur. Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos & perditos labore doleamus, olerum, pomorum ac leguminum & facilior apparatus est, & arte impendiisque coquorum non indiget: & sine cura sustentat humanum corpus: moderateq; sumptus [quia nec auidè deuoratur, quod irritamẽta gulæ non habet] leuiori digestione concoquitur: nemo enim vno aut duobus cibis, hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium & saporis delectatione percipitur, cum variis nidoribus fumant patinæ ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos habuit, vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur: multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Eandem voracitatem & peruersam potandi auiditatem accusans sanctus Bernard. Apolog.ad Guilhelmum Abbat. Repleti, inquit, ventrem faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos: quasi non melius sit, exiguo

Perperam in ieiunio quærunt cupedia.

Quod optimum ieiunium.

Quales assumendi cibi.

Satius est prastatiore cibo & potu tẽperanter vti, quã immoderatè deteriore.

exiguo ſagimine ad vſum veſci, quam vencoſo legumine ſ
ad ructum exſatiari, & præcipue cum Eſau non de carn
lente ſit reprehenſus, & de ligno Adam, non de carne
tus: & Ionathas ex guſtu mellis non carnis morti adiud
1. Reg. 14. econtra vero Helias innoxiè carnem comedens
ham gratiſsimè carnibus angelos pauerit, & de ipſis ſa
crificia Deus præceperit. Exodi 29. Sed & ſatius eſt mo
vti propter infirmitatem, quam multa aqua ingu
per auiditatem: quia & Paulus Timotheo, vtendum
ſuluit, & Dominus ipſe bibit, ita vt vinipotator appell
Matthæi 11. v. 19. Apoſtoliſque bibendum dedit, ut ſuper
ſacramẽta ſui ſanguinis condidit. Matt. 26. cum eo
quam ad nuptias bibi non paſſus ſit. Ioan. 2. & ad aquas
dictionis populi murmur terribiliter caſtigauerit. Num
Dauid quoque aquam quam deſiderauerat potare
virique illi Gedeonis, qui præauiditate toto corpore
de flumine biberunt, digni ad prælium ire non fuerint.
Idem S. Bern. ad fratres de monte Dei. Agenda, iquit,
cura ſobriè, & cum quadam ſpirituali diſciplina, vt neq;
do eius, neque in qualitate, neq; in quantitate appare
quod non deceat ſeruum Dei. Cum manducas, nequaquam
tus manduces, ſed corpore tuo ſuam refectionem procu
mens ſuam non negligat, ſed de memoria ſuauitatis Dom
vel ſcripturarum aliquid, quod eam paſcat, meditando, vel
tem memorando ſecum ruminet & digerat. Sed & ipſam
ſitas non ſeculariter, non carnaliter expleatur, ſed ſicut
monachum, ſicut conuenit ſeruo Dei. Nam etiam quo ad
tatem corporis cibus, quanto honeſtius & ordinatius ſumi
& ingeritur, tanto facilius & ſalubrius digeritur. Obſerua
dus eſt ergo ſumendi modus & tempus, cibi quantitas & qua
tas, fugienda ſuperflua & adulterina condimenta. Obſeruan
eſt ſumendi modus, vt non effundat, qui comedit, ſuper
cibum animam ſuam: tempus, ne ante horam: qualitas, ne
quibus vtitur communitas fraternitatis, excepta cauſa m
ſtæ neceſsitatis. De condimentis vero ſufficiat obſecro, vt

Dũ corpus reficitur, & mens ſpiritalib. rebus paſcatur.

Quis in percipiendo cibo modus.

stibiles fiant cibi nostri, non etiam concupiscibiles vel detestabiles: sufficit enim concupiscentiæ malitia sua, &c. Itaque Abstinentia est, quæ edendi horam non præuenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis, 1. Reg. 14. non lautiora quærit edere, vt Israëlitæ in deserto, Numer. 11. v. 4. non accuratius parare, vt filii Heli in Silo, 1. Reg. 2. v. 15. non ad superfluitatem, vt Sodomitæ, Ezech. 16. v. 49. non vile quodlibet, vt Esau, Genes. 25. v. 39. edulium in fame concupiuit, vt alibi S. Gregor. concludat hoc caput S Ioan Chrysostom. hom. 71. ad Antioch. Si corpus, inquit, tibi infirmum ad continuè ieiunandum, non tamen est infirmum ad orandum, & ad ventris despectum imbecille. Nam si ieiunare non etiam potes, potes tamen abstinere deliciis. Hoc autem non minimum est, nec à ieiunio multum distans, sed ipsum quoque diaboli furorem prosternere idoneum.

In quib. consistat abstinentia.

Quid faciendum ei, qui ieiunare nō potest.

CAPVT XXXIX.

CVR ECCLESIAE IEIVNIA CLERICIS studiosè seruanda.

§. ECclesiasticum ieiunium accuratè est Clericis obseruandum, idque multis & prægnantibus de causis, ne Ecclesiæ iudicio & præcepto immorigeri in infidelium ac sceleratorum numerum, & ordinem redigantur ipsi, qui Ecclesiæ columnæ esse deberent, nam vt ait Saluator Matth. 18. v. 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* S. Ambros. serm. 26. *Si ignorans Ionathas*, inquit, *indictum à Patre ieiunium, quia resoluit, morti addicitur* 1. Reg. 14. ver. 44. *qui sciens indictum à Christo resoluerit ieiunium quid meretur? Ergo fratres statutum nobis custodiamus obseruatione ieiunium, vt hostes nostros spirituales, carnalesque vincamus.* Vbi & ait: *Non leue peccatum est indictum violare ieiunium.*

§. *Canon Apostolorum est sexagesimus octauus. Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Pascha*

Sub depositionis pœna seruanda

Clericis Ecclesiæ ieiunia præsertim S. Quadragesimæ.

Paschæ quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, præparasceuem, præterquam si propter imbecillitatem corporalem dispensatur, deponatur: si sit laicus, segregetur. S. Ignat. epist. ad Philip. *Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. Quarta vero & sexta feria vacate reliquias pauperibus porrigentes.* Concilium etiam Moguntinum sub Carolo Magno canone trigesimo quinto. *Quod si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & observationem cæteris Christianis noluerit in Gangrensi Concilio præcipitur vt anathematizetur, nisi emendare se studeat.* Concilii Gangrensis canone 19. verba sunt hæc: *Si quis in sanctis ieiunia, quæ communiter seruantur ab Ecclesia dissoluat, prætexta in eo residente ratione anathema sit.* Sanctus Telesphorus primo suo decreto ad omnes episcopos, & habetur dist. 44. *Statuimus. Septem hebdomadas plenas ante Pascha Clerici in gratiam Domini vocati omnes à carne & delitiis ieiunent, & vigiliis, & vigiliis atque orationibus Domino inhærere, diu noctuque studeant.* Videatur Ioannes Cassian. collatione 21. to. 4. Quadragesimæ ieiunio Deo decimas totius anni persoluimus, vt docet S. Greg. hom. 16. in Euang. & habetur de Cons. dist. 5. c. 16. *Quadragesima.*

Sub pœna anathematis Ecclesiæ ieiunia sanciuntur.

§. Idem Gregor. Magnus, vt habetur dist. 5. can. 7. *Itaque sacerdotes,* inquit, *& reliqui omnes quos dignitatis Ecclesiastici gradus exornat à Quinquagesima proposita ieiunia suscipiant. Par autem est, vt nos qui his diebus à carnium abstinemus: ab omnibus quoque, quæ semen nostrum augmentare solent, abstinemus: ab omnibus quoque, quæ semen nostrum augmentare solent, originem, ieiunemus: à lacte videlicet, caseo, & omnium carnium pisciumesus, ita Christiano relinquitur, vt de carnis mitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Qui qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum conuiuia præparent. Vinum quoque ut permittitur, vt ebrietatem omnino fugiamus: alioquin vt omnia quæ corpori libent, similiter faciamus.*

Quadragesimalis ieiunii seueritas.

§. Etsi vero à memoratis rebus abstinentia, & in quadra-

quadragesima, & aliis ieiunij diebus seruaretur, seuerior tamē erat sex diebus sanctæ & magnæ hebdomadæ, tunc enim vini vsum prohibitum Christianis, pane tantum sale, oleribus & aqua mensæ adhibitis, refert S. Clem. l. 5. Ap. Cōst. c. 17. Quod cōfirmat Cyril. Ierosol. Catech. 4. de cibis. Origen. lib. 3. in Iob. 8. *Epiphan. hæresi 75. contra Aerium. In diebus*, inquit, *paschatis, quando apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi à summo manè absonantur, carneque ac vino venas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis Paschatis perficiunt.* Idque tunc temporis factitabant non modo Clerici, sed omnes omnino Christiani. Hinc idem *sanctus Epiphanius in suo Ancorato. Per dies sex*, ait, *ipsius Paschatis omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane, inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperum.* *Austeritas in hebdomada sancta.*

§. *Procopius in libro de ædificio Iustiniani Imperatoris*, hæc in eius ponit laudibus. *Omnibus*, inquit, *illis diebus, qui Paschalem solemnitatem præcedunt, ieiunio addictus duram quandam vitam egit. In seram noctem lectum petens, mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens vinum & panem, & alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solum, & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat. Potus erat aqua sola, neque his ad satietatem vtebatur, sed paululum degustatum cibum mox dimisit non eo sumpto, quod naturæ satis erat, & tamen per dies abstinebat.* *Iustiniani Augusti ieiunium.*

§. Itaque 1. lectus erat illis humus, memores enim erant durissimi illius ligni non lecti, in quo DEI filius pro ipsis mortem oppetiuerat. 2. Castissimè viuebant, & à licita voluptate temperabant recogitantes, quam acerbis supplicijs Christus Dominus pro nostris voluptatibus satisfecisset. 3. abstinebāt à vino, aqua, *Maiorū nostrorum in S. hebdomada pœnitentia.*

aqua, & aridis rebus vitam tolerabant, nec eorum quoquam vescebantur, quæ sentientem vitam habuissent, idcirco quod pro ijs auctor vitæ miserandum in modum interfectus esset, & in ipso mortis articulo felle & aceto potatus, *Thr.3.v.19.* 4. indesinenter pectebantur, nec sine fletu; animo siquidem & memoria tenebant lachrymosas & sanguineas preces liberatum tum in horto, tum in cruce, *Luc.22.v.44.* & *Hebr.* 5. peruigilio noctes insomnes traducebant, reputantes quam afflictas, quam difficile noctes Saluator duxisset, tum pernoctans in oratione Dei, *Luc.6.* tum vltima mortalis vitæ nocte, quæ quantaque tormenta perpessus esset. 6. affligebant corpus suum cilicijs, verberibus, & alijs asperitatibus, *vt Christum passi, & cum illo conglorificarentur, Rom.8.v.17.2.Timot. v.11.* Atque hæc Deum timentibus & amantibus meminisse sat erit, non deerunt, qui eadem vsurpantes grauabuntur.

De ieiuniis quatuor temporum.

§. De 4. temporum ieiuniis *S. Leo sermone 8. de mense 10. mensis. Ieiunia*, ait, *ex doctrina sancti Spiritus, ita per tius anni circulum sunt distributa, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium Veris in quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus.* Et *de ieiunio Pentecostes* affirmat, quod Paracleti Spiritus sancti magisterio ab Apostolis sint instituta. Quod & Leo licet *serm.2. de Pent.* & alibi sæpius. De his & Calixtus Martyr & Pontifex *epist. ad Benedictum. & habetur dist.76. Ieiunium.* Quæ ieiunia, & præ aliis custodienda Clericis, cum non modo tunc pro frugibus terræ fructibus partim Deo supplicemus, partim gratias agimus, vt habet *S. Leo serm.2.5. & 8. de ieiunio 10. mens.* Sed etiam vt Deum rogemus, vt Clericorum ordinationes, quæ tunc fiunt, salutiferas ac felices esse velit, quemadmodum ostendit *Gelasius 1. epist.1.c.13.*

Atque

§. Atque in his ieiunij diebus nocturna refectiuncula, sed tenuis sumi potest, de qua *Concil. Hildesemense in formula viuendi Canonicorum cap. 47. Si ieiunium, ait, exiterit, tunc secundum consuetudinem potest ad collationem aliquid parum gustari, siue de speciebus, siue de torta, cum potu conuenienti.* Atque haec grauissima sit causa, cur Ecclesiasticum Clericis ieiunium seruandum, quia illis hoc cum aliis, & præ aliis ab Ecclesia, vt ostendimus, præceptum est.

CAPVT XL.

VARIOS EX IEIVNIO FRVCTVS CAPIVNT Ecclesiastici.

§. LVbenter ieiunent, vt varias, quæ ex ieiunio promanant, vtilitates consequantur, quæ autem ipsa sint ex S. Patribus commemorabo. *S. Athanasius l. de virginitate. Vide, ait, quid faciat ieiunium: morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit. Ieiunium Angelorum cibus est, & qui eo vtitur ordinis angelici censendus est. D. Basilius hom. 1. de ieiunio. Ieiunium, ait, prophetas generat, potentibus addit robur. Ieiunium legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus conuictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc vrget ad pietatem, vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem, Nazaræum sanctificat, sacerdotem reddit sacris idoneum. Neque enim fieri potest, vt is absque ieiunio sanctum ministerium cum fiducia peragat, non tantum in mystico horum temporum, veroque cultu, verum etiam in eo, qui iuxta legem in figuris peragebatur. S. Chrys. hom. 1. in Genes. Ieiunium remedium animarum nostrarum, mater omnium bonorum, & pudici-*

Ieiuniũ corpori pariter que animo salutare.

Ieiunium stitit hominẽ ad thronum Dei.

Ieiunium æptat sacerdotẽ ad peragendũ ritè sacrificiũ

Ieiunij laudes & vtilitates.

pudicitiæ, aliarumq; virtutum omnium magistra. Et beatus in Genesin. Ieiunium est animarum nostrarum tranquillum senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem & sexum quasi diademate quodam ornat. Et hom. 1. de ieiun. Ieiunium Angelorum imitatur: nostro virili, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ, frænum oris: & mitigat concupiscentias, sciunt quæ nant; & mitigat voluptates, & non ingnorant quæ tem mollit furorem: compescit iram, sedat fluctus naturæ, excu tionem, claram facit animam, alleuiat carnem, fugat fala temperantias nocturnas, liberat ab ebrietate, tollit capitis claros affert & colores, & aspectus. Benè compositi sunt ges gestus, facilis lingua, abest risus ebriorum, recta est cogi non enim effunduntur concupiscentiæ: hilaris est contem serenitas inualescit. Sanctus Ambrosius libro de Helia ieiunio capite tertio. Quid est ieiunium, nisi substantia cœlestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est. Ieiu vita est angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delict remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est casti Hoc ad DEVM gradu citius peruenitur. Et capite octa iunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, lit litas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma ver purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio ritatis illecebræ, senectutis gratia, custodia iuuentutis. Ieiu infirmitatis alleuiamentum, alimentum salutis. Et cap. iunium est reconciliationis sacrificium, virtutis incremen

§. S. Cypr. serm. de lapsis: conuertamur, inquit, ad Dom num mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus mentes Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima profe illi mœstitia satisfaciat; illi spes omnis incumbat. Rogare ter debeamus dicit ipse: Reuertimini, inquit Ioel. 1. v. 12. ex toto corde vestro, simulq; & ieiunio, & fletu, & plan scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad Dom toto corde redeamus. Iram eius & offensam, ieiuniis, fletibus planctibus, sicut admonet ipse, placemus. Et ibidem:

Ieiunium præcium Doctor.

Ieiunii modestia.

Ieiunio quasi gradib. ad Deum ascenditur.

Quibus modis cõciliandus Deus inter quos ieiunium.

ieiuniis Deum promereri nititur, in sacco & in cinere volutatur, exomologesin faciens dolenter, & dicens cap. 9. versic 4. Domine Deus magnus & fortis, &c. 1. ergo fructus ieiunij est, quod corporis sanitatem vel conseruet, vel recuperet, illudque sanius efficiat, vt ait S. Athanas. & Basil. & etiam pulchrius, vt affirmat Diuus Chrysostomus, quemadmodum & ostenditur Daniel. 1. versiculo decimo quinto. Hoc probant Medici, qui ægris statim ieiuniũ, inediam, dietam præfiniunt, & diutissimè vixerũt, qui seuerissimè etiam ieiunarunt, vt SS. Anton. Paulus, Hilarion, Romoald. & alij. Quin & ieiunium corpus spiritui, tanquam mancipium legitimo Domino subijcit, Castigo, inquit Apostolus 1. Corinth. 9. vers. 27. corpus meum, & in seruitutem redigo. Quæ S. Pauli castigatio, etsi humi cubationibus, ciliciis, verberibus, aquæ potu, & aliis macerationibus fieri potuerit, de ieiunio potissimum tamen interpretatur S. Ambros. epist. 82 ad Ecclesiam Vercellensem. & S. Chrysost. in comment. ita loquitur in persona Pauli: *Multum sustineo laborem, vt sobriè viuam: siquidem intractabilis est cupiditas, & ventris voracitas. Verumtamen eam cohibeo, & non trado meipsum affectibus, sed omnem fero laborem, vt ab illis non distrahar. Non autem dixit: Perdo & punio, Non enim inimica caro est: sed castigo & redigo in seruitutem, quod Domini est, non hostis, magistri non inimici, exercitatoris, non aduersarii. Ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quod si Paulus hoc timuit, cum talis esset præceptor, & post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrocinium formidauit, quid nos dicemus? Vt ergo sano & tractabili, ac morigero corpore DEO seruiant Clerici, crebrius ieiunia adhibeant.

Ieiunium sanitatis recuperator, conseruator.

S. Paul ieiunio corpus macerat.

§ 2. Jeiunij fructus est, quod sit expulsor dæmonũ, eorundemq; suggestionum, tentationum cupiditatũ: incentiua restinguat, vt S. Athanasius, Basilius, Chrysostomus docet, & Christus Dominus, Matth. 17. versic. 21. Hoc

Ieiuniũ profligator dæmonum.

genus non eÿcitur, nisi per orationem & ieiunium. Et hac[e] causa, quia ieiunium ignita dæmonis, & carnis tumo[r] extinguit, pudicitiæ magistra, fundamentum, & dis[-] plina nominatur *à S. Ambros. & Chrysost.* Quocirca Ch[ri]rici, qui de dæmone præsertim spiritu fornicationis, & de impudicitia triumphare desiderant, ieiunia non prætermittant.

Ieiunium mentis illustrator.

§. Est & tertius ieiunij fructus, quod animum di[s]ponat & præparet ad deprecationem & diuinarum re[-]rum contemplationem. Hinc *S. Basilius* dixit, *quod mo[-]gat ad pietatem, & subministret sapientiam*, & *sanctus Atha[-]nas. quod nitidiorem reddat animam*, & *B. Chrysost. quod [s]schola precum. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat a[-]mam, & terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogita[-]tem. Sapient. 9. v. 15.* Et tanto magis corpus animam de[-]primit, & quasi terræ affligit, quanto magis cibo potu[-]que oneratur. Ita Mosis 40. dierum ieiunio præpa[-]tus ad Dei colloquium accessit. Exod. 34. Simili ter[-]nii per 40. dies adhibita præparatione Helias, Dei[-] in monte Horeb sub tenuis auræ specie videre potu[-]. 3. *Reg.* 9. Sic *Daniel* trium hebdomadarum ieiunio [s]ad reuelationes diuinas percipiendas disposuit *cap.* 10. Quæ Scripturæ loca cum citasset *B. Chrysost. homil. 1. [i]Genes. Leues*, inquit, *ieiunium pennas producit, vt in sublime anima feratur, & summa contemplari queat, voluptatibus qua[-] & omnibus, quæ in hoc mundo habentur suauia, ipsa sit superior.* Huc pertinet & illud, quod dixit *sanctus Basilius*, ieiunia *aptari sacerdotem, vt vitè sacris operetur.* Qua de re & *san[-]ctus Ambrosius libro de Helia & ieiunio cap. 10. Mystica quæ[-]que mensa*, ait, *ieiunio comparatur. Illa mensa*, de qua dicit *Dauid Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Mensa ista famis acquiritur pretio, & potu[-]lum illud inebrians sobrietatem, cœlestium sacramentorum fi[-]quæritur.* Cum ergo ieiunium ad preces, ad contem[-]plationes, ad sacrificium religiosè peragendum, tam[-]

tum momenti adferat, vtique & illud Clericis libenter frequentãdum. Quocirca & Ecclesia Catholica in profestis magnarum celebritatum diebus ieiunia instituit, vt animi prõptiores & alacriores ad diuinis reb. vacandũ essent. *Sanctorũ festa præcipua*, ait *S. Ber. ser. in Vigilia S. Andreæ Apostoli, Patrum sanxit authoritas votiis præuenienda ieiunijs. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes: nec tutum omnino est, celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximeque eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentia purificatione præmissa, quo & digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum. Discimus & ex hoc ipso, quænam sit vera via festiuitatis æternæ. Quid est enim, quod ieiunijs solennia præueniamus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum DEI? Act. 14.* Et *S. Chrysost. hom. 71. ad Antioch. Ieiunans*, ait, *leuis est, & alatus, & cum solertia orat, & improbas extinguit concupiscentias, Deum placat, & insurgentem animum humiliat. Propterea & Apostoli fere semper ieiunabant.* *Cur pridie Sanctorum ieiunia.*

§. Etiam fructus ieiunij est: quod valeat ad placandum Deum, eique de peccatis nostris satisfaciendum, quo nomine superius *B. Ambros.* ieiunium appellant *culpæ mortem, excidium delictorum, remedium salutis, & reconciliationis sacrificium.* Et monuit *S. Cypr. vt iram & offensam Dei ieiunio placemus, sicut placauerunt Israhelitæ, 1. Reg. 7. v. 6. Achab 3. Reg. 21. v. 27. Niniuitæ Ionæ 3.* Cũ itaque Clerici & conciliatum Deum habere, & aliis conciliare debeant, ieiunium aptissimum ad hoc adminiculum non aspernentur. *Ieiunium recõciliatio cum Deo & satisfactio.*

§. Ieiunii quartus fructus est omnium, quasi virtutum, & bonorũ operum ampliſsima messis. Etsi enim ieiunium sit actus elicitus temperantiæ, cum versetur circa delectationes cibi & potus moderandas; tamen à quamplurimis alijs virtutibus imperari potest, & ad earundem fines referri, & earundem merita consequi. Qui ieiunat, vt suam fidem Catholicã apud sectarios testa- *Ieiunium ferax aliarum virtutum.* *Plurimarũ virtutum*

testatam faciat, exercet actum fidei. Qui ieiunat, vt eternam satietatem & felicitatem adipiscatur, facit actum spei. Qui ieiunat, vt Christum ieiunantem imitetur, aut proximum ad virtutis studium prouocet, facit actum dilectionis. Qui ieiunat, vel quia vouit, vel vt melius oret, edit actum religionis. Qui ieiunat, vt Ecclesiæ præcepto morem gerat, perficit actum obedientiæ. Qui ieiunat, vt commissam culpam vlciscatur & puniat, exequitur actum vindicis iustitiæ, siue penitentiæ. Pascitur autem his virtutibus, & piis operibus animus, iuxta illud Saluatoris *Ioannis quarto*, vers. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, quarum virtutum, & salutarium actionum maximam & oportunitatem suppeditat ieiunium, & ideo à Sancto *Ambros. & Chrys. refectio animæ, cibus mentis* appellatur. *S. Leo serm. 2. de ieiunio 10 mens. semper virtuti ieiunantibus fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationales voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Quin & à *S. Athanas. cibus angelorum*, vocatur ieiunium, vt qui ab omnibus cibis corporalibus abstinent, diuina fruitione satiantur. *Tobiæ 12. v. 19.* Quibus ergo potius ieiunandum, quam Ecclesiasticis, à quibus omnium requiritur absolutio virtutum?

Ieiunio colitur Deus.

§ 6. Fructus & hic ieiunij quintus est, quod omnium pia electione ad bonum finem susceptum, sit Dei cultus, quatenus cultus pro omni actu, qui Deo placeat, vsurpetur. *Lucæ secundo, versiculo trigesimo septimo. Anna non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Seruiens scilicet DEO, siue colens DEVM. Et *Apostolus Roman. duodecimo, versiculo primo. Obsecro vos fratres per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Vbi obtestatur nos Apostolus, vt carnalium cupiditatum refrænatione, quæ maxime in ieiunio

ieiunio corpus nostrum sistamus, & offeramus Deo, velut sanctam hostiam & rationabilem cultum. *Tertul. l. de resurrectione carnis: Sacrificia Deo grata dico ieiunia, seras & aridas escas. S. Leo serm. 2. de ieiunio 10. mensis. Ieiunio pro consummata perceptione omnium fructuum dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.* Et profecto si qui alij potissimum Deum colere debent Clerici, atq; ideo etiam sedulam ieiuniis operam dare.

Ieiunio impetrantur præsentia & futura bona

§ 7. Eximius ieiunii sextus fructus est meritum & impetratio temporalium & sempiternorum DEI beneficiorum. De matre Samuelis ait *S. Hier. l. . aduersus Iouin. Anna inanem cibo ventrem filio meruit implere,* 1 *Reg.* 1. Dauid periclitanti filio, vt vitam impetraret, ieiunio se afflixit. Sara ieiunio à dæmone liberatur. *Tob. 3. v. 10. B. Athan. l. de virgin. Quisquis,* ait, *ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, ieiunio, inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunii metuētes.* Niniuitæ ieiunio suam conseruarunt ciuitatē. *Ionæ 3. Matt. 6. v. 7. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuā laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* [in propatulo.] Quid reddet? mercedem vtiq;, opponit enim Dominus hoc ieiunium illi, de quo antea *v. 16.* dixerat. *Exterminant facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amē dico vobis, quia receperunt mercedem suam. S. Augustl. 2. de serm. Domini in monte c. 2. Si præmium ab eo exspectas, qui conscientiæ solus inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium ipsa conscientia. S. Basil. hom. 1. de ieiun. Ieiunium ad venturi sæculi mala fugienda, & assequenda bona vtile est.* Vt ergo & supplicia illa deuitent, & his bonis potiantur Clerici, non detrectent laborem ieiunii.

1. Reg. 12.

CAPVT XLI.

IEIVNANTI AB ALIMENTIS, ET A PECcatis temperandum, & alijs vacandum piis operibus ac virtutibus.

§. IEiunanti non tantum à cibo, sed multo magis vitio & peccato temperandum est. S. Augustinus, ser. 64. de Tempore. Illa est, inquit, in Quadragesimæ diebus gravis vilitas, quod etiam dum à licitis abstinemus magis ad illicita admonemur, illicita vitare. Qui enim abstinemus non diebus, quibus aliis diebus vti licet: qui nos abstinemus à vino, quod moderatè vti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, imprimis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus à vitiis. Quid enim prodest corpus vacuare ab escis, & animum replere peccatis? Quid enim prodest pallidum esse ieiunium, si odio & inuidia liuescas? Quid enim prodest vinũ non bibere, iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent, & faciamus illa, quæ nunquam licent. S. Athanasius, virgin. Non qui à cibis ieiunat, ait, solummodo probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo.

Dũ corpus abstinet à cibis aliquãdo concessis, animus contineat à peccatis semper inhibitis.

Pulchræ S. Aug. anthitheses, vt & paulo post. S. Basil.

§. S. Basil. hom. 1. de ieiunio: caue, inquit, ne ieiunii voluptatem sola escarum abstinentia metiaris. Verum enim ieiunium est ab omnibus vitiis esse alienum. Carnes non edis: sed comedis fratrem tuum. A vino abstines, sed ab iniurijs tuis non temperas. Exspectas vesperam, vt cibum capias, sed diem totum agis apud tribunalia. Væ his qui ebrij sunt non à vino. Isa. 29. Ebrietatis est temulentia, eamque à sobrietate excutit, haud aliter quam vinum. Et in summa quiuis affectus dimouens animam à statu suo meritò dicitur ebrietas.

Temulentia citra vinũ vehemens animi perturbatio.

§. Eleganter & copiosè S. Chrysost. hom. 3. ad Antioch.

Non

Non os tantum ieiunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. Ieiunent manus à rapina & auaritia mundæ: ieiunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimentes: ieiunent oculi discentes nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare. Cibus enim oculorum spectatio: sed si illegitima sit & prohibita, ieiunio nocet, & omnẽ animæ salutẽ subuertit. Si vero legitima & concessa, ornat ieiunium. Etenim absurdissimum esset cibis, & concessa abstinere esca per ieiunium, oculis vero prohibitum attingere. Non comedis carnem? Neque lasciuiam per oculos hauries. Ieiunet & auris: aurium autem ieiunium, detractiones & calumnias non suscipere. Auditum enim vanum non suscipies, inquit Exod. 23. Ieiunet quoque os à verbis turpibus & conuitio. Quæ enim vtilitas cum auibus quidem & piscibus abstineamus, fratres vero mordeamus, & comedamus. Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit: propterea & Paulus terruit Dominus, Galat. 5. v. 15. Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte ne inuicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis & teipsum, & illum, & alios plures. His prorsus similia habet S. Bern. serm. 3. de Quadrag. Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit. Si vero peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? &c. Sed & ipsa anima multo magis ieiunet à vitiis & propria voluntate, sicut scriptum est Isa. 58. quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inueniuntur.

Cuncta corporis mẽbra pariter à vitiis contineant.

Ieiunio & aliæ adiungendæ virtutes.

Animus spiritem: & vt refranatis carnalibus lasciuiis verum possimus exhibere ieiunium, à malis abstinentiam dico: hoc enim est ieiunium. Propterea namque ciborum ieiunium susceptum est, vt corpus macerat ieiunantem iuuat.

§. Neque satis esse debet ieiunanti declinare à malo, sed insuper, vt & nauiter faciat bonum, oportet, quemadmodum optimè docet S. Ioan. Chrysost. hom. 72. ad Antiochenos. Omnis, ait, nostra sit cura circa animæ salutem: & vt refranatis carnalibus lasciuiis verum possimus exhibere ieiunium, à malis abstinentiam dico: hoc enim est ieiunium. Propterea namque ciborum ieiunium susceptum est, vt corpus macerat ieiunantem iuuat.

Vt affectus esse debet ieiunans.

Deus indesinenter cuncta intuetur.

Quale ieiunium Deo acceptum.

Ieiuniũ in vesperam protractum

Miseratio egenos facultatib. sub leuans ieiunio copulãda.

nantem omnium maximè decet iram reprimere, mansuetudinemq; docere & humanitatem, corq; contritum habere, abiectarum quoque cupiditatum eliminare cogitationes, ante oculos insopitum illum habentem oculum, & ineuitabile tribunal pecuniis esse superiorem, multam in eleemosynis largitatem extendere, omnem ex corde nequitiam in proximum expellere. Is verum est ieiunium, sicut & Isa. ait c. 58. v. 5. ex persona Dei loquens: Nunquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum capud suum, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosq; induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Vidisti charissime quale sit verum ieiunium? hoc exerceamus. Non secundum multos temerè censeamus in hoc contineri ieiunium, si sine ad vesperam vsque permaneamus: non hoc est quod quaerimus, sed vt ciborum abstinentia, à noxijs quoque continentiam exhibeamus, & circa spiritualium exercitationem multum impendamus studium. Ieiunantem decet esse correptum, mitem, humilem, præsentis vitæ despicientem gloriam. Sicut cibos aspernatus est, sic & inanem gloriam floccipendat oportet, & ad illam respiciat solum, qui corda scrutatur & renes, & multa cum solicitate preces ad Dominum & confessiones emittat, simulq; pro viribus per eleemosynam auxilium ferat. Quod autem ieiunanti eleemosynam suadeat S. Chrysost. communis SS. Patrum sententia cõprobatur, qui consilium dant vt ϕ nobis è cibis subtrahimus, id liberaliter impetueres erogemus. Ita *S. August. in Psal. 42. sub finem.* Frange esurienti panem tuum, audisti ab Isa. c. 58. noli putare ieiunium sufficere. Ieiunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosa erunt angustiæ tuæ, si alteri præstiteris latitudinem. Ecce frange

sti animam tuam. Cui dabis, quod tibi abstulisti? vbi pones, quod tibi denegasti? Quam multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum? Ita ieiuna, vt alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, vt exaudiaris. Ibi [Isa 58.v.9.iuxta 70.] enim ait. Adhuc loquente te dicam, ecce adsum, si fregeris ex animo esurienti panem, [noster textus habet, cum effuderis esurienti animam tuam:] quia plerumque fit à tristibus & murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus, 2. Corin. 9. Si panem dederis tristis, & panem, & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac: vt ille qui videt intus, adhuc loquente te dicat, ecce adsum. Docet id S. Aug. commentario suo in Psal. 42. vbi ait. Quam celeriter accipiuntur orationes benè operantium, & hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna, oratio, Matth. 6. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas ieiunium & eleemosynam. Quod postremis verbis monet S. Aug. vt nimirum deprecatio cum voluntaria inedia & beneficentia coniungatur, idipsum & laudat S. Angelus Raphael, Tobiæ 12. v. 8. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Et S. Leo serm. 5. de ieiunio 10. mensis. Efficacissima pro peccatis deprecatio est, in eleemosynis atque ieiuniis, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragiis. Quoniam sicut scriptum est Prou. 1. animæ suæ benefacit vir misericors, & nihil vniuscuiuscunque tam proprium, quam quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in diuitias transit æternas: & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo vsu minui, nulla poterunt corruptione violari. Et sermon. 2 de ieiunio 10. mensis idem D. Leo: Quia non solo ieiunio, ait, animarum nostrarum salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus.

Ieiunio adiungenda deprecatio.

CAPVT

CAPVT XLII.

CARITAS ET A CHRISTO DOMINO, ab Apostolo Ecclesiasticis valde commendata.

§. ORdiamur à nostri instituti duce S. Paulo: vt omittatur, quod virum Ecclesiasticum lit esse *hospitalem*, & peregrinorum amantem 1. Tim. v. 2. quæ hospitalitas est misericordiæ opus & cari & quod velit eundem esse *benignum*, seu φιλάγαθον, est, bonos amantem, quorum proinde commod deat, in caritate laudanda & præcipienda multa Timotheicis epistolis, quibus vt ante demonst mus, proprie Clericos ad veras solidasque virtut ecclesiasticas functiones informat & erudit. Ita non in seipso, sed in Domino glorians Apostolus uinum hoc caritatis munus à Deo accepisse fatet *Caritas Dei donum.* Timoth. 1. v. 14. *Superabundauit*, inquit, *gratia Domini cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.* Quasi Et si valde iniurioſus fuerim in Christum, eiusq ctatores Christianos, tamen *vbi abundauit delictum perabundauit & gratia.* Rom. 5. v. 20. vt Christus Dom noster copiosissimam gratiam omnibus spiritu donis cumulatam simul & robustissimam fidem censissimam caritatem, erga se, & omnes præs Christianos, propter sua ipsius merita benigne dilargiretur.

Caritatis flãma & alios accẽdit Apostolus.

§ 2. Acceptam cœlitus dilectionem non in vi bras abdidit Apostolus, non pectoris sui recessib cluſit, sed eius quasi facem omnibus prætulit, e tanquam ardentissimus ignis inflammauit. 2. Tim. 3. v. 10. ita loquitur. *Tu autem assecutus es meam doctr* (probè intellexisti quæ docui) *institutionem* (

meos, vitam, conuersationem) *propositum* (finem & scopum, quem in disseminando & propagando Euangelio spectaui, nimirum vt Christi fidem & gloriam in omnes gentes inferrem, sequere magistrum discipule) *fidem* (in fide constantiam, & fiduciam qua Deo nixus, tot discrimina adij, tot labores exantlaui, tot miserias libenter & fortiter pertuli) *longanimitatem* [in tolerandis Christianorum vitiis & fidei hostibus Judæis, gentilibus, hæreticis, qui cum mihi resisterent, *non tumultuabar, neque tiebam turbas, sed omnes & quemuis cum mansuetudine excipiebam*, vt hoc loco inquit S. Chrysost.] *dilectionem* [qua omnes complexus sum, amicos, inimicos, bonos, malos, gentiles, Judæos, qua eos vt fratres & filios adamaui] *patientiam.* Fac similiter.

§ 3. Suum Apostolus hortatur Timotheum, vt acceptam in sacra ordinatione Dei, proximique charitatem velut sopitos suscitet igues, eamque magis ac magis quotidie exaugeat & inflammet. 2 *Timoth.* 1. *v.* 6. & 7 *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* [Ordinis Sacramento, vt gratiæ instrumento à me tibi collato in quo] *Non dedit nobis Deus spiritum timoris* [timiditatis & ignauiæ, vt persecutionibus & miseriis succumbamus] *sed virtutis* [magnanimitatis & fortitudinis] vt constanter fidem & teneamus, & doceamus] *& dilectionis* [qua Deum ac proximum impensè amemus, & Dei vbique gloriam & proximi salutem propugnemus, amplificemus] *& sobrietatis* [in cibo, potu, libidine, quauis praua cupiditate coercenda.]

Eximium caritatis donum in S. Ordinibus tribuitur

§ 4. Monet Timotheum, inque Timotheo Ecclesiasticum, vt totis connixus viribus caritatem, tãquam venaticus canis feram, falco ardeam, aquila prædam persequatur. 1. *Timoth.* 6. *v.* 11. *Tu autem, O homo Dei* [cuius es, cui famularis, cuius vices, vt Episcopus geris [hæc fu]gito auaritiæ mala: quia *non potes Deo seruire & mammonæ, Matth.* 6.

Terra, mari, ac omnib. neruis persequẽdæ caritas.

Matth.6.v.24.] *Sectare vero iustitiam,pietatem,fidem,dilectatem,patientiam,mansuetudinem. Certa bonum certamen dei,apprehende vitam æternam.*

Præclaris facinoribus demonstrãda caritas.

§ 5. Suadet & præcipit, vt illustria sinceri[tatis] det documenta, 1.*Tim.*4.*v.*11. *Nemo adolescentiam tuam contemnat,* [sit cor canum in iuuenili tuo corpore.] 4. v. 8. auctoritatem tuam tuere, itaq; prudenter ac cautè, grauiter te geras, vt tanquam imprudens & iuuenis despicatui esse non possis. Ita hic S.Chrys. *exemplum* (forma,benè beateq; viuendi norma) *delium in verbo* (sermone maturo & pio) *in conuersa[tione]* (viuendi consuetudine) *in caritate* [vt ostendas te uẽtem Dei, proximiq; habere dilectionem,& acc[ensum] *in fide* [fidei synceritate,constantia,amplificatione] *castitate*[in totius vitæ puritate.]

Cũ Deum, proximũq; amantibus nobis sit cõsuetudo.

§ 6. Exhortatur vt diuina, humanaque charitate præditis se coniungat, 2.*Timoth.*2.*v.*22. *Iuuenilia desideria* [leuitatem,libidinem,intemperantiam,& alios tumultuosos impetus] *fuge, sectare vero iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro.*

Caritas docenda & prædicanda.

§ 7. Exhortatur ad charitatis prædicationem, [et] sana & vera dogmata circa fidem & charitatem, [quæ] ab ipso,auditione acceperat,& aliis traderet. *Formam*, inquit, 2.*Timoth* 1. *v.*13. *habe sanorum verborum,quæ a me audisti in fide & dilectione,in Christo Iesu.* Et ad Titum eap. 2. *versiculo* 1. *& secundo. Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam,* & cætera. *vt sani sint in fide,in dilectione,in patientia.*

Prora & puppis Christianæ religionis caritas.

§ 8. Exponit Apostolus causſam, cur tantopere Timotheo, & viro Ecclesiastico præcipiat, incumbat que charitatem, quia nimirum 1.*Timoth.*1.*versic.*ult. *Finis præcepti* (non modo à me tibi dati, sed etiam vniuersæ legis veteris, & Euangelicæ) *est charitas* [id est, chari-

charitas est perfectio & consummatio omnium præceptorum, & scopus, in quem tendunt & diriguntur omnia præcepta. *Charitas de corde puro* [non mundano, non libidinoso, non fallaci, vt cordis puritas gignat charitatem, & charitas producat, augeatque cordis puritatem.] *Et conscientia bona* [quæ spem generat, & spes sibi benè conscia esse debet] & *fide non ficta* [integra & syncera, quæ fidei sinceritas ex amore nascitur, & vicissim sincerus amor veritatis procreat, confirmatque fidem. [Et quid ni Ecclesiastico suadeat, ingeratque charitatem, cum nihil frequentius, nihil ardentius, quam charitatem, quibuslibet inculcet Christianis, & non quamcunque charitatem, sed intimam, sed vehementissimam, sed inuisceratam. Capita vero, quæ Sanctus Paulus de charitate docet, sunt ista, 1. quod charitas ex DEO originem ducat. *Roman. quinto, versiculo quinto. Charitas* DEI *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* *Et Galat. quinto, versiculo vigesimo secundo. Fructus spiritus est charitas.*

Qualis vera caritas,

Summa eorum, quæ de caritate tradit Apostol. Caritas præcipuum Dei munus.

§ 2. Quanta & quam insuperabilis aduersus Deum. *Romanor. octauo, versiculo 35. Quis nos separabit à charitate* CHRISTI? Et vers. 39. *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESV *Domino nostro.*

Inuicta caritas.

§ 3. Vt erga proximos sit nostra eiusmodi charitas, cuiusmodi esse debet inter naturæ & religionis germanitate fratres, tanquam ex vno CHRISTO patre nati omnes. *Roman. 12. versiculo 10. Charitate fraternitatis* [fraterna] *inuicem diligentes.* Et *Hebr. 13. versiculo 1. Charitas fraternitatis maneat in vobis,* [perseueret & proficiat.]

Fraterna caritas.

§ 4. Monet, vt charitatem ardentissimo studio persequamur. *Primo Corinthiorum decimo quarto. versiculo primo. Sectamini Charitatem.* Hæc altissimas

Velit, remisque sectanda caritas, & mordicus tenenda.

simas in nobis agat radices, *Ephes.3.v.17. In charitate radicati & fundati.* Hac veritatem mentis, sermonis & doctrinæ, ac vitæ teneamus. *Ephes.4.vers.15. Veritatem in charitate* & virtutis] *facientes in caritate*, id est, debita christiani officia per caritatem exequentes. *Et 1.Corin.16. Omnia vestra in caritate fiant.*

Christi Domini caritas, vt rectissima amussis æmulanda.

§ 5. Vt ad ipsam quam Christus dilexit nos caritatem conemur, quam proximè possumus accedere hortatur. *Ephes 5.v.1. Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi* [quorum est optimos æmulari parentes] *& ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos* [tenerrimè, & efficacissimè opere & veritate] *& tradidit* [non opes, non angelos, sed sponte ac liberrimè] [*semetipsum pro nobis*] qua etiam inimicos diligamus. Rom.12.v.21.

Proximus ad caritatẽ incitandus.

§ 6. Admonet, vt in caritatem perpetuo increscamus, & ad eam alios prudenter & efficaciter allicamus. *Hebr.10.v.24. Consideremus inuicem: in prouocationem caritatis & bonorum operum.* Mutua Christianorum exempla charitatis, aliarumque virtutum intueamur, ad ea imitanda exstimulemur. Et *per charitatem spiritus seruiamus inuicem*, vt ait *Galat.5.v.13.* Quod vt faciamus magnopere semper desiderauit Apostolus. *Philip.2. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes.* Ecce quot vocis & quot significacibus Christianos ad caritatem & concordiam hortatur Apostolus.

Cur obuiis vlnis cõplectenda caritas, & ambab. manib. tenenda.

Caritas legis perfectio & perfectionis virtutũque nexus.

§ 7. Optimas rationes & causas exponit S. Paulus cur vrgeat, instetque vt nos inuicem quam maxime caritate prosequamur, quarum illa potissima est, quod caritas sit legis consummatio, & perfectionis vinculum: sic enim habet Apostolus *Rom.13.v.8.9.10. Nemini quicquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit*, [legem de proximo, &

cundæ tabulæ, vel etiam omnem omnino legem impleuit: quia dilectio proximi includit & præsupponit amorem Dei, cum proximus, siue alter quicunque homo, non ametur nisi propter Deum. Verè & dulciter *S. Augusti. lib. 8. de Trinit. cap. 8.* *Amplectere*, inquit, *dilectionem* DEVM, *& dilectione amplectere* DEVM: *Ipsa est dilectio, quæ omnes bonos angelos, & omnes Dei seruos consociat vinculo sanctitatis: nosque & illos coniungit inuicem nobis & subiungit sibi. Quanto igitur saniores sumus à tumore superbiæ, tanto sumus dilectione pleniores. Et quo, nisi* DEO *plenus est, qui plenus est, dilectione? Ex vna igitur eademque charitate* DEVM, *proximumque diligimus: sed* DEVM *propter* DEVM; *nos autem & proximum propter* DEVM. Pergit in memorato loco Apostolus: *Nam omne mandatum in hoc verbo instauratur.* [Ambrosius, hic consummatur. Sanctus Augustinus epistola 29. recapitulatur, id est, summatim comprehenditur.] *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et *ad Galatas quinto, versicul. 14. Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Dilectio angelorum, hominumq; bonorũ consociatio

Mens fastu vacua, Deo ac caritate plena

Vna, eadẽq; caritate Deum, proximũque diligim⁹.

§. Ad hæc quod lex CHRISTI sit charitas, sic enim habet *Galat. 6. versicul. secundo. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem* CHRISTI. Mutuo & inuicem patienter, leniter, & amanter ferte onera, ponderã, grauamina, & vitiatæ naturæ defectus, melancholiam, choleram, feruorem, lentitudinem, & miseriarum, morborum, senectutis, egestatis, & ipsorum denique peccatorum, superbiæ, auaritiæ, & id genus aliorũ onera portate, & sic adimplebitis legem CHRISTI, quæ iubet: *Diliges proximum sicut teipsum.* Lex CHRISTI est amor, quem potissimum suis sectatoribus & discipulis, quorum vestigiis, vel maximè insistere debent Clerici, vt quorum profitentur successionem, imitentur dilectionem, commẽdauit *Ioannis 13.*

Leges Christi vna caritate sanciuntur.

Christus maximopere suis Christianis caritatẽ commendauit.

versic.34.35. *Mandatum nouum do vobis,vt diligatis inuicem sicut dilexi vos,vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes,quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et Ioannis 15.v.12. *Hoc est præceptum meum,vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos.* Et v.18. *Hoc mando vobis,vt diligatis inuicem.* Quin & CHRISTVS Dominus Matth. 22. v.37.38.39. eò tendere omnia mandata affirmat, vt ligamus DEVM ex toto corde,& proximos sicut ipsos. *In his duobus,*inquit *mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Similiter & S.Paulus Colloss.3.v.14. *Super omnia hæc* [*viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, tolerantiam, & iniuriarum condonationem, quæ versu 12.& 13.* enumerauerat] *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,* id est, vinculum perfectionem omnium hominum, virtutesque vniuersas, perfectissime colligans,& absoluens, quippe sine charitate nulla est vera virtus, ad quam charitatem,tanquam ad centrum, omnes virtutes, in quibus hominis integra & perfectio consistit,conueniunt.

Scopum diuinorum præceptorum attingit quisquis Deum, proximumq; diligit.

CAPVT XLIII.

CVR TANTOPERE CHARITATEM a Clericis requirant CHRISTVS & Apostolus.

Sine caritate male suis fungitur muneribus Ecclesiasticus.

§. PRIMVM quidem, quia nisi mortiferi sceleris expertes sint, suis functionibus & muniis non modo non DEVM conciliant, sed magis offendunt & irritant: nam *odio sunt Deo impius, & impietates eius impient* 14.v.9.Ecclesiast.34.v.23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respiciet ad oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Ipsa quippe* mo,versiculo vndecimo ad decimum septimum. Et quæ peccati expultrix, nisi charitas? *Vniuersa delicta operit charitas*

tas. Prouerbiorum decimo, versiculo duodecimo. Vnde hau- & S. Petrus 1. epistola cap. 4. versiculo octauo. Charitas o- rit multitudinem peccatorum. Sanctus Augustinus conc. 2. Psalmum 31. versiculo primo exponens Beati, quorum missa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Non quibus non sunt inuenta peccata, sed quorum cooperta, abo- ta sunt. Nec sic intelligatis, quod dixit peccata cooperta sunt, ta sibi sint & viuant. Ipse etiam Saluator Lucae septimo, versiculo 47. de peccatrice: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Nec peccati detestatio, siue ontritio sine caritate iustificat: nam ex hac illa pro- edere debet.

Caritas operit peccata, non quidem nouit, & videt, sed quia fundeditus extirpatur. Lauabis me, & super niuem dealbabor.

§. Deinde iusti esse debent suis in officiis. At quae ostra iustitia? S. Augustinus lib de Natura & gratia cap. 70. haritas inchoata, inchoata iustitia est; Charitas prouecta, uecta iustitia est; Charitas magna, magna iustitia est, Cha- as perfecta, perfecta iustitia est. Et cap. 42. Vna Dei charitate e iustus est, quicunque iustus est. & 24. quaest. 1. cap. 28. Vbi, charitas non est, ait idem Diuus Augustinus, non potest esse titia.

Caritas in hac & futura vita, nostra sanctitas & iustitia

§. Ad haec viri perfecti esse debent Ecclesiastici, vt tribus libris copiosissimè demonstrauimus, at haec fectio consistit in charitate, vt superiore Capite ex RISTO DOMINO, & eius electo magno docui- us.

Perfectio hominis in caritate.

§. Praeterea quem fructum facient apud proximos aritate orbati, cum charitas sit ipse fructus, quem obis, & aliis producere debemus? Id ex cap. 15. S. emis versiculo decimo sexto, decimo septimo. eleganter. S. gust. tract. 87. probat in S. Ioann. Cum enim dixisset uator Apostolis. *Elegi vos, & posui, vt eatis, & ctum afferatis*, mox subiungit. *Haec mando vobis, diligatis inuicem.* Charitas ergo est fructus noster. le & Apostolus Paulus Galat. quinto, versiculo vi- mo secundo. Fructus, inquit, Spiritus Charitas est.

Sterilis & infructuosus sine caritate Clericus.

Quid idem Beatus Augustinus 24. quæst. 3. capite 16. inquantur: sic affici debemus caritatis affectu, vt omnes vitam habeamus fieri.

§. Quomodo alios precibus, concionibus, [illegible] tis, obiurgationibus, exemplis pascent & gubernabunt, si caritate destituti fuerint? Profecto Salvator commissurus Diuo Petro oues suas, & Christum vniuersos, de ipsius in se amore ter percunctatus exploratū suis vt impendat, hortatur Joannis capite primo, versiculo decimo quinto, & seqq. De dilectione *sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 87. in annem. Multa quidem alia sunt*, inquit, *quæ apud Deum bis fiduciam præbent, & quæ nos claros & probatos ostendunt. Quod autem maxime diuinum nobis amorem conciliat proximi dilectio, quam à Petro* CHRISTVS exigit: *Si amas me, fratrum curam suscipias, & quam erga nos dilectionem ostendisti, & qua delector nunc ostende animam quam pro me positurum dixisti, hanc pro meis trade. Ter interrogat, & semper idem præstat demonstret quanti ouium suarum curam faciat, quod hoc maximum sit amoris argumentum. Et cum quantum eum diligat, prædicit & martyrium, quod rus erat: ostendens quod non ob eius diffidentiam sed quod maxime crederet, volens amoris in gnum demonstrare, & erudiens nos quonam pacto dus sit.*

Amor proximi, nobis Dei parit amorē & benevolentiam.

Cura proximi: diuina caritatis Dei

§. Haud paulo elegantius *Sanctus Augustinus tu 123. in Ioannem*; DOMINVS ait, *quod sciebat gat, nec semel, sed iterum ac tertio, vtrum Petrus gat, nec aliud totiens audit à Petro, quam se aliud totiens commendat Petro, quam suas oues pasditur negationi trinæ trina confessio, ne minus gua seruiat, quam timori: & plus vocis elicuisse mors imminens, quam vita præsens. Sit amoris pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium*

re pastorem. Qui hoc animo pascunt oues CHRISTI, *vt eas velint esse non* CHRISTI, *se conuincuntur amare, non* CHRISTVM: *vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subueniendi, &* DEO *placendi charitate. Contra hos ergo vigilat totiens inculcata ista vox* CHRISTI: *quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ* JESV CHRISTI. *Nam quid est aliud, si diligis me, pasce oues meas, quam si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita. Sed oues meas, sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam,* DOMINIVM *meum, non tuum, lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes, & catera, quæ huic malorum initio connectuntur.* *Caritate gubernandus Christianus populus.*

§. Quo modo precabuntur ipsi sine caritate Deo nuisi? *Qui obturat aurem suam, vt non audiat legem, eius oratio erit execrabilis, Prouerbior. 28. versic. 9. Ecclesiast. 3. versic. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & abstinebit se abillis, in die orationis exaudietur.* Qui à peccatis temperat, & Deum amat, is illum sentit exorabilem propitium, beneficum, non alius. *Sine caritate non exauditur Clericus.*

CAPVT XLIV.

ECCLESIASTICAE CARITATIS EXEMPLA à CHRISTO DOMINO, *Petro, & Paulo Apostolis data.*

§. MERITISSIME principem hic locum obtinet Summus Sacerdos noster, & Pastorum princeps CHRISTVS JESVS, *qui posuit animam suam pro ouibus suis,* & pro grege suo mori dignatus est, Joannis 10. vers. 15. *Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apocal. 1. v. 5. *In hoc,* ait *S. Ioan. epist. 1. cap. 3. versicul. 16. cognouimus caritatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere,* *Saluatoris caritas.*

nerè, propter CHRISTI videlicet amorem.

D. Petri caritas.

§. De Sancti Petri in CHRISTVM amore & eius gratia in vniuersos paulo ante diximus, quem aliis inesse percupiebat, cum ita scribit 1. epistola 5. vers. 1. *Seniores* [presbyteros] *qui sunt in vobis, obsecro consenior* [compresbyter S. Hieronym. epistola 8. ad Sagrium] *& testis Christi passionum* [quas in Christo & pro Christo expertus sum.] *Qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator* [particeps & consors] *Pascite,* [S. Hieron. l. c. regite] *qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè* [libenter & amanter] *secundum* DEVM, [eo proposito, vt Dei honor quæratur] *neque turpis lucri gratia, sed voluntariè* [animo prompto, & ex toto corde.] *Neque vt dominantes in cleris* [non cum austeritate & potentia exerceandi dominium in cleros, tam in gradus Ecclesiasticos, quam in iectum populum Christianum, qui etiam est hæreditas Domini] *sed forma gregis facti ex animo* [dabile & imitabile exemplar.] *Et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcesibilem gloriæ coronam.*

Feruentissima Apostoli caritas.

§. Hæc charitatis flamma mirabiliter exarsit in pectore Pauli, de qua etsi nobis dictum sit, hic tamen iterum dicendum: quia nunquam satis dici potest, itaque si DEVS voluisset, aut fieri potuisset, optasset Apostolus æternum à CHRISTO, eiusque gloriæ beatitudine diuelli, vt Judæi conuerterentur, & saluarentur, & pro multis ipse solus hanc pœnam sustineret, culpa, & Dei offensa lueret. *Optabam,* inquit *Roman. 9. vers. 3. ego ipse anathema esse à* CHRISTO *pro fratribus meis.* Sic & Corinthiis scribens 1. *epistola capite 9. vers. 19. Cum liber essem ex omnibus* (nulli obstrictus) *omnium me seruum feci* (abijciendo me ad quamcunque indigentiam & miseriam, accommodando me ad aliorum voluntatem, & infirmitatem) *vt plures lucrifacerem.*

rem. Et *versic.*22. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Sanctus Augustinus epistola* 19. *ad S. Hieronym. Omnibus*, inquit, *omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu, id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando.* Et *eadem prima Corinthiaca epistola cap.*10. *v.*33. *Ego per omnia omnibus placeo* (placere satago, vt omnes ædificem, neminem offendam) *non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Qui rursum *Corinthiaca 2. epist. cap.*7. *v.*3. ostendit se tanto in illos flagrare amore, vt cum illis, & pro illis, & viuere, & mori paratus sit: *In cordibus nostris*, inquit, *estis ad commoriendum & conuiuendum.* Iisdem Corinthiis ibidem capite duodecimo, versiculo decimo quinto significat, quod non solum sua vniuersa in salutis ipsorum communionem conferre sit promptissimus, sed & sanguinem ac vitam pro illis profundere. *Ego*, ait, *libentissimè impendam* (mox) *& superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.* Et *ad Philippens. primo, versiculo octauo. Testis mihi est* DEVS, *quomodo cupiam* (quam valdè & ardenter amem) *omnes vos in visceribus* JESV CHRISTI, esse videlicet in intimo corde, & amore Saluatoris, vt ei arctissimè coniunctos, tanquam viscera sua diligat, & omnem in vos misericordiam, & benedictionem effundat. *Testis* etiam *mihi est* DEVS, quod medullitus & animitus vos diligam meo erga CHRISTVM viscerali amore, quem quasi ex suis visceribus mihi inspirauit, & ingenerauit. Demùm amo vos ea dilectione & affectu, quo CHRISTVS in visceribus suis, vehementissimè & tenerrimè vos, omnesque Christianos amat & complectitur. Quid huic Paulinæ par dilectioni? Demum *primæ Thessalonicens. secundo, versiculo septimo & octauo Facti sumus paruuli in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes*

Quo S. Paulus modo omnibus omnia fact⁹.

vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solum Euangelium DEI, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Et vt hic cum fœmina alumna, gerula, matre comparat, ita & Galat. 4. versic. 19. cum parturiente. filioli mei, ait [quos CHRISTO per Euangelium gratos quos iterum parturio [iudaizantes ad Euangelij veritatem, gratiam, libertatem reuocando] donec formetur CHRISTVS in vobis [CHRISTI fides, spes, caritas, iustitia.]

CAPVT XLV.

S. IOANNES EVANGELISTA praecipuus Caritatis Doctor.

§. S Joãnes Apostolus, ex Dominici pectoris fonte vberrimè istam caritatem imbibit, de qua frequentissimus sermo in Euangelio in tribus epistolis suis, nec in Apocalypsi prætermisit. *Ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. v. 34.* & quia S. Joannis animum ingenti amoris incendio flagrabat, is perpetuo ignita verba, quasi scintillas emittebat. Sed audiamus quam hic diligens Christum, & Christo dilectus discipulus velit nos esse à fraterno odio abhorrentes, & proximorum amantes. Ita loquitur 1. *suæ epistolæ cap. 2. v. 9. 11. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

Mentis thesaurum recludit lingua.

Non respondet nomini Christiano qui proximi sedi ingerantia & peccatorum tenebras. cedit, & sine

tenebris oberrat de vitio ruens in vitium, ac tandem in sempiternas. Proximum amans in veritatis ac virtutum lumine sine offensa mansit impedimento.

§. Et cap. 3. *vers.* 10. 11. 14. 15. 16. 17. 18. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo.*

Proximum non diligens, nec iustus est, nec DEI *filius.*

ex Deo, & qui non diligit fratrem suum : quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte : omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognouimus charitatem DEI, *quoniam ille animam suam pro nobis posuit : & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas* DEI *manet in eo ? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

Charitas à morte peccati transfert ad vitam gratiæ, & à morte temporali ad sempiternam beatamque vitam.

Inimicus proximi homicida est 1. quia in eo quem prouocat ad discordiam. Odium suscitatrixas. Prouer. 19. v. 12.

moritur Christus 2. quia propriam occidit animam, & 3. proximi,

Efficacissima ratio diligendi proximum ab exemplo Christi

S. Ioann Eleemosynarius etiam egenis eius mirantibus caritatem, & effusam liberalitatem respondit : Frater nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus meus Christus.

§. *Cap. 4. vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 16. 19. 20. 21. Charissimi, diligamus nos inuicem : quia Charitas ex* DEO *est. Et omnis qui diligit, ex* DEO *natus est, & cognoscit* DEVM. *Qui non diligit, non nouit* DEVM; *quoniam* DEVS *charitas est. In hoc apparuit charitas* DEI *in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit* DEVS *in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus* DEVM, *sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic* DEVS *dilexit nos : & nos debemus alterutrum diligere.* DEVM *nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem,* DEVS *in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet* DEVS *in nobis.* DEVS *chari-*

Caritas maximum Dei donum intimè nos cũ eo coniungens, & vt fide operatrice ac salutari, nec non sapientiæ dono illum cognoscamus, efficiens.

Immensa Dei erga nos charitas no-

stra aduersus proximum charitatis incentiuum.

Vna est Dei proximiq; dilectio, & proximi dilectione nostrum erga Deum præcipientem amorem testatum facimus, qui & sibi præstari beneficium reputat, quod proximo tribuitur Matth 25. v 40.

Caritas dulcissimum inter Deum & hominem vinculum.

charitas est: & qui manet in charitate, in DEO *manet, &* DEVS *in eo. Nos ergo diligamus* DEVM, *quoniam* DEVS *prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo* DEVM, *& fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt,* DEVM, *quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à* DEO: *vt qui diligit* DEVM: *diligat & fratrem suum.* Matthæi vigesimo secundo.

§. Et 2. *epistola. versic.* 23. *propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à* DEO *Patre, & à* CHRISTO JESV *filio Patris, in veritate & charitate. Et v.* 5. *Rogo vt diligamus alterutrum. Et hæc est caritas, vt ambulemus secundum mandata eius. Et epist.* 3. *v.* 5. 6.

Illustria caritatis in S. Ioan. Apost. documẽta.

§. Duo hic afferamus eximiæ in S. Joanne charitatis erga proximum exempla: Alterum habet Eusebius *libro tertio histor. Eccles. cap.* 17. *Vbi adolescens Ioannes tyranno mortuo (Domitiano) ex Insula Patmo erat Ephesum reuersus, quorundam rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, tum Episcopos constituturus, illic integras ecclesias ritè dispensaturus, alibi certos homines sibi Spiritus sancti instinctu demonstratos in clerum delecturus. Ac cum ad vrbem quandam non longè inde distantem (cuius etiam nomen nonnulli memorant) se contulisset, & alia quæque officia, quæ ad animos fratrum inter se dissidentium conciliandos pertinebant, obiisset, ad extremum adolescentulum corporis viribus valentem, vultu & oris conformatione venustum, animi impetu flagrantem, fortè conspicatus, statim in eum, qui ibi Episcopus erat cunctis charitate & cultu tutus, oculos conuertit, eumque sic affatus est: Hunc adolescentulum omni studio, cura & cogitatione, coram Ecclesia & CHRISTO teste, tibi tuæque fidei commendo. Quem cum Episcopus in suam tutelam accepisset, & omnia se facturum fuisse pollicitus: Ioannes eadem iterum atque iterum illi obseruit, eiusque fidem contestatur. Ephesum deinde redit Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recepit,*

Maxima cura adolescẽtem Episcopo cõmendat.

piens, educauit pro suo, in officio continuit, fouit humaniter: ad extremum, baptismi sacramento illuminauit. Postea vero, vbi sigillo DOMINI, *id est, Sacramento Confirmationis, tanquam perfecta, tutaque eius animi custodia obsignasset, non nihil de cura & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit. Quem quidem non solum liberior viuendi potestas, quam fuerat paulo ante tempus adeptus: Verumetiam quidam adolescentes, eius æquales, ocio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum genere assuefacti corruperunt: ac primum acquisitis conuiuiorum opiparorum delicijs illum allicient, inuitantque: noctu deinde educentes, ad furti societatem coeundam attrahunt: tum maiora moliri flagitia hortantur. Iste pedetentim assuescit: & propter generosam animi magnitudinem, tanquam equus effrenatus, & nimium sibi, suisque viribus præfidens, extra rectam viam impetu fertur, frenaque acriter præmordens, procliuius in profundum vitiorum gurgitem se præcipitat. Atque cum omnino iam in desperationem salutis in* DEO *sita veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit: sed magnis quibusdam ac nefariis facinoribus admissis, vbi semel omni improbitate & nequitia perditus euaserat, nullam non sceleris labem ex æquo cum aliis contrahere secum statuit. Istis igitur in familiaritatem ascitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto, paratoque se ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate denique acerbissimum præbuit. Interea temporis, vbi necessaria ad eam rem incidebat occasio, Ioannes accersitur. Ille vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione disposuisset, Age (inquit) Episcope, depositum nobis redde, quod ego &* CHRISTVS, *Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Hic vero primo attonitus stupuit, arbitratus pecuniam, quam nunquam acceperat, à se per fraudem & dolum malum repeti: & tamen neque facile credere poterat, ea ab se reposci per calumniam, quæ neutiquam habuisset: neque Ioanni, depositum repetenti, omnino diffidere. Verum simulatque Ioannes dixerat,*

Deteriores omnes sumus licentia.

Corruptix morum, præuorum societas.

Paulatim fit in deteriora prolapsio.

Prou. 18. v. 3. Impius cũ in profundũ venerit peccatorum, contemnit.

Adole-

Adolescentulum repeto, & animam fratris: senex demisso vultu ingemiscens, & item lachrymans, ille [inquit] mortuus est. Quo modo, & quo genere mortis? DEO, inquit, mortuus est. Nam nequam & perditus, &, vno verbo, tam euasit. Et iam pro Ecclesia, in qua versabatur, nonnem cum nefaria hominum sui similium turba occupat. Apostolus ergo veste dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: Iuuenum, inquit, custodem animæ fratris tui te reliqui. Equus iam iam mihi adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab Ecclesia, ita vt erat, cum festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum, à primis latronum excubitoribus prehenditur. Qui neque fugam parans, neque euitare studens, sed vociferans admodum, dixit: Huc huius rei causa accessi, me ad principem vestrum adducite. Qui quidem ad tempus, vt erat armatus, exspectat. Verum, vt Ioannem aduentantem agnouerat, præpudore capessit fugam. Hic vero ætatis suæ oblitus, illum pro viribus propere insequitur: atque clamat. Quid [inquit] fili, me tuum ipsius patrem, inermem, & ætate confectum, fugis? Miserere laboris mei, fili: ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego CHRISTO pro te reddam rationem: & si sit opus, pro te lubens mortem appetam, sicut DOMINVS pro omnibus nobis: pro tua anima meam dabo: consiste, crede: CHRISTVS me misit ad te. Ille vbi hæc audiuerat, primum oculis humi defixis constitit: deinde arma abiecit: tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est: Senem ad se aduentantem complectitur: fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit: & dextera sola occultata, lachrymarum vnda secundo baptizatur. Apostolus rata & constanti asseueratione, ei se à seruatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur: atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tanquam aquæ pœnitentiæ ablutam, purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus DEVM pro illo inuocat, continuis ieiunijs vnà cum eo se macerat, variijs diuinæ sapientiæ sententijs eius animum quasi quibusdam lenoci-

Ardens S. Io. caritas de proximi peccato & exitio tam acerbè dolentis.

Nescit tarda molimina caritatis abundantia.

Amor addidit alas.

Nulli desperandum.

Stupenda S. Ioan. caritas.

Tabula in peccati naufragio pœnitentia.

Non sola resipiscentia, pœnitentia. Ioel. 2. v. 12. 13.

lenociniis mitigat, tranquillatque: neque prius, vt fertur, inde deceßit, quam illum Eccleſiæ miniſterio præfeciſſet. Cuius conuerſione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum ſecundæ regenerationis ſpecimen, illuſtre denique trophæum à peccatis reſurrectionis, per exteriora pœnitentiæ ſigna hominibus propoſuit ad imitandum. Iſta à Clemente hoc modo præſcripta, tum ad rei geſtæ cognitionem, tum ad vtilitatem legentium accommodata, iſtum locum obtineant. Hoc agnoſcit & Ioannes Chryſoſtomus epiſtola quinta ad Theod. Lap. Quæ, ait, geſta ſunt cum illo iuuene, qui pridem diſcipulus fuit Ioannis filii Zebedæi: deinde longo tempore ducem egit latronum: iterum à ſanctis manibus beati ſenis interceptus, in ſuperiorem virtutum è luſtro, è ſpelunca latronum penetrauit, ipſe non ignoras: noſti enim non minus quam ego.

Pœnitentia ſecunda regeneratio.

§. Alterum dilectionis præcipuæ exemplum commemorat *Sanctus Hieronymus libro tertio in Epiſtolam ad Galatas capite ſexto. Beatus Ioannes Euangeliſta, cum Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: Quia præceptum* DOMINI *eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit.*

S. Ioan. decrepitus ſenex.

Dilige, & quod vis, fac conſentaneè S Ioanni ait B. Aug trac. 7. in 1. D. Io. epiſt.

CAPVT

CAPVT XLVI.

CHARITAS SS. IACOBI APOSTOLI ET Stephani Protomartyris.

§. AS. Joanne Apostolo accedamus ad S. Jacobum, etiam Zebedæi filium, & Joannis fratrem truncatum capite ab Herode. *Act. 12. vers. 2.* Debet *Eusebius Cæsar. ex Clemente Alexandr. libro 2. histor. capite 8.* scribit, *quod is qui eum adduxisset in iudicium, cum cerneret tam fortiter nomen* CHRISTI *confiteri, & se Christianum professus sit, cumque ambo simul ad supplicium ducerentur, hic à Iacobo veniam postulauit, Iacobus autem ei pacem cum osculo dedit, & sic vterque securi percussus vitam finiuit.* Duplex hic dilectionis exemplum: & quod magnanima charitate CHRISTI Saluatoris honorem, religionemque tuitus sit, & quod tanta beneuolentia suæ mortis auctori condonauerit.

§. Veniamus & ad S. Apostolum Jacobum Alphæi primum Jerosolymorum Episcopum, de quo S. *Hieron. lib. de viris illustribus, vel de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo. Iacobus,* inquit, *qui appellatur frater* DOMINI, *cognomento Iustus, vt nonnulli existimant, Ioseph ex alia vxore, vt autem mihi videtur,* MARIÆ, *sororis matris* DOMINI, *cuius Ioannes in libro suo meminit, filius, post passionem* DOMINI *statim ab Apostolis Hierosolymorum episcopus ordinatus, vnam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est. Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, in quinto Commentariorum libro de Iacobo narrans, ait: Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater* DOMINI *Iacobus, cognomento Iustus. multi siquidem Iacobi vocabantur. Hic de vtero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic soli licitum*

Apostolicæ vitæ austeritas non ex necessitate misera, sed voluntate pia.

licitum erat ingredi sancta Sanctorum. Siquidem vestibus laneis non vtebatur, sed lineis, solusque ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur; in tantum, vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum est. Sed & Iosephus in vicesimo libro antiquitatum refert, & Clemens in septimo ὑποτυπώσεων, mortuo Festo, qui Iudæam regebat, missum à Nerone esse successorem eius Albinum: qui cum necdum ad prouinciam peruenisset, Ananus, inquit, Pontifex, adolescens, Anani filius, de genere sacerdotali, accepta occasione, ἀναρχίας Concilium congregauit: & compellens publicè Iacobum, vt CHRISTVM DEI Filium denegaret, contradicentem lapidari iussit: qui cum præcipitatus de pinna templi confractis cruribus, adhuc semiuiuus tollens ad cœlum manus diceret, DOMINE, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste, quo vda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit idem Iosephus tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, vt propter eius necem, creditum sit subuersam esse Hierosolymam. Hic est, de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum, fratrem DOMINI.

Assidua S. Iacobi precatio

Sublatis ad Deum manib. pro suis occisorib. precatur veniã S. Iacobus.

§. Ante hunc Sanctum Jacobum fratrem DOMINI, & Sanctus Stephanus electus ab Apostolis, & consecratus Diaconus, de suorum etiam interfectorum salute, ex amoris abundantia sollicitus fuit, de quo S. Lucas Actuum 7. versiculo 58. 59. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: DOMINE JESV, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: DOMINE, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit in DOMINO. De quo S. Stephani facinore, ita S. Augustinus serm. 1. in eius Festo cap. secundo. Et ille, inquit: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram DEI. At illi clamantes continuerunt aures suas. Aures clauserunt, & ad lapides cucurre-

Suis interfectorib. impunitatem poscit S. Stephan. & Saulo impetrauit.

currerunt, impetumque fecerunt omnes in eum, & lapidabant Stephanum inuocantem DOMINVM, & dicentem, Adscisit anima mea post te, quia lapidatur caro mea pro te. Accipe spiritum meum, & redde mihi promissum tuum. Orauit CHRISTVS pro suis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro suis lapidatoribus. DOMINVS IESVS CHRISTVS orauit affixus ligno, Stephanus genu flexo. Quando suum spiritum commendauit DOMINO, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat DOMINVM pro inimicis amicus, dicens, Certè ego patior, ego lapidor, in me saeuiunt, in me fremunt, ne statuas illis hoc peccatum: quia, vt hoc dicam tibi, à te primo audiui. Ego seruus tuus patior, sed multum interest inter me & te. Tu DOMINVS, ego seruus. Tu verbum, ego auditor verbi. Tu Magister, ego discipulus. Tu creator, ego creatus. Tu DEVS, ego homo. Multum interest inter peccatum istorum, qui lapidant me, & illorum, qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti, Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: pro magno peccato petisti, & me pro nemo petere docuisti. DOMINE, inquit, ne statuas illis hoc peccatum: tanquam diceret, Ego patior in carne, isti non peccent in mente. Illi lapides mittebant & S. Stephanus orationem fundebat.

Pulchra antitheses.

Idem de reliquis Christi Apostolis & discipulis censendum.

§. Et quidem idem fuit amoris sensus in aliis Christi Domini discipulis, & eorum successoribus, qui nec Dei gloriam propugnarent, hominumque saluti consulerent, neque diuitias, neque honores, neque commoditates, neque quietem, neque mortalem vitam quicquam pensi habuerunt.

Benignissima S. Aug. aduersus egenos caritas.

§. Apostolis supparem adiungamus S. Augustinum, de quo eius in vita Possidius Calamensis Episcop. c. 23. Pauperum semper memor erat, eisque inde erogabatur, vnde ipsi & sibi suisque, omnibusque secum habitantibus erogabatur, hoc est vel ex redditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et capite vigesimo quarto. Dum pecunia Ecclesiæ deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habe-

se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos & plurimos indigentes, frangi & conflari iubebat, & indigentibus dispensari. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit & scripsit l. 2. Offic. c. 28. toto.

Sacra vasa conflantur in pauperum vsus.

§. His astruam aliquot ex S. Gregorio Magno, vt optimo Auctore vera & certa ejusdem argumenti exempla. Is ergo Sanctissimus Pontifex libr. 1. Dialog. cap. 3. *In eodem monasterio quidam magnæ vitæ Monachus erat hortulanus. Fur verò venire consueuerat, & per sepem ascendere, & occultè olera auferre. Cumq; ille multa plantaret, quæ minus inueniret, & alia pedibus conculcata, alia directa conspiceret: totum hortum circuiens, inuenit iter, vnde fur venire consueuerat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam serpentem, cui præcipiens dixit: Sequere me: atq; ad aditum furis perueniens, imperauit serpenti, dicens: In nomine Iesu præcipio tibi, vt aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus serpens totum se in itinere in transuersum tetendit, & ad cellam Monachus rediit. Cumq; meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur aduenit, ascendit sepem. Et cũ in hortũ pedem poneret, vidit subitò quia extensus serpens clausisset viam, & tremefactus post semetipsum concidit, eiusq; pes per calciamentum in sude sepis inhæsit, sicq; vsq; dum hortulanus rediret, deorsum capite pependit. Consueta hora venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit, & serpenti dixit: Gratias ago Deo, implesti quod iussi: recede modò. Qui statim abscessit. Ad furem verò perveniens, ait: Quid est frater? tradidit te Deus mihi, quare in labore Monachorum furtum toties facere præsumpsisti? Qui hæc dicens pedem illius à sepe, in qua inhæserat soluit, eumq; sine lesione deposuit. Cui dixit: Sequere me: Quem sequentem duxit ad horti aditum, & olera, quæ furto appetebat, auferre ei cum magna dulcedine præbuit, dicens: Vade, & post hæc furtum non facias: sed cum necesse habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laborabas tollere, ego tibi deuotus dabo,*

Alia diuinæ caritatis in Clericũ exempla.

Furi offertur beneficium.

Venenata bestia homini obedit.

Quies à prandio.

Caritas patiens benigna est. 1. Corinth. 13. v. 4.

S. Paulinus omnia pauperib. dilargitus seipsū in seruum vendit pro viduæ filio.

§. Idem B. Greg. l. 3. dialog. c. 1. stupendæ charitatis documentum commemorat, cujus breuiarium hoc est. *Paulinus Nolanæ ciuitatis Episcopus depopulata Campania Vuandalorum excursionibus: cum in redimendis captiuis cuncta consumpsisset, seipsum quoq; in Elemosynam tradidit. Profectus n. in Africam, vicaria seruitute redemit viduæ cuiusdam filium, olitoremq; se fecit barbari Domini, vt matrem viduam eius missione consternatam eo recuperato consolaretur. Lacrymas eius volunt facultates non modicas in pauperum vsum impendisse. Ecce qui omnia impenderat, inuenit præterea, quemadmodum inops factus omnium diuitum Elemosynas superaret. Cæterum misericordiæ remunerator Deus, virum tantæ pietatis præmio non est passus diutius iugo premi impiorum. Contulit illi Prophetiæ spiritum: quo afflatus cum prædixisset regem in proximo moriturum, diuinationiq; respondisset euentus tanta admiratione fuit, vt statim libertatem sibi acciperet, alius impetraret. Pro vnius liberatione se in seruitium obtulit, sed cum omnibus qui è Nola abducti fuerant, liberatus. Frumento insuper naui impositō, ad patriam postliminio rediit, pristinaq; dignitate honorificentissimè fuit restitutus.*

B. Sanctulus se pro alio neci offert.

§. Est & illud admirabilis charitatis argumentum, quod idem S. Doctor commemorat l. 3. dia. c. 37. cuius summa est ista. *Sanctulus Nursiæ prouinciæ Abbas, cum pro pecunia non suppetisset, qua diaconum suum à Longobardis latronibus captum redimeret, aliam longè difficiliorem redemptionem iniit, & vt sibi cum illo colloqui, diesq; aliquot transigere liceret, rogauit. Qui rogabatur, hac lege concesserunt, vt si diaconus effugisset, tunc abbas qui per ætatem effugere non posset, capite puniretur. At ille pro diacono mori paratus, fugam persuadet, eumq; noctu emittit. Qua de caussa ad necem petitus præbuit ceruicem. Cæterum iam ad feriendum elatam videns spiculatoris manum, protinus exclamat. Sancte Ioannes tu illam, quæ immota mansit, & rigentibus neruis defecit, manum iuuit. Reliqui miraculo territi, abbatem liberum fecere. Qui rogatus, male affectam manum oratione curauit. Multipli-*

S. Ioannes Baptista occisionem impedit.

dem

dona certatim offerebant, venerantes iam quem dudum occidere voluerant. Nihil illi accipere libuit præter captiuos, qui omnes libertati redditi, cum ei gratias egissent, abiere. Itaq; Sanctulus abbas dum se morti opponere pro vnius salute non dubitat, vna cum multis meruit seruari Deo id tribuente hominis pietati.

§. Et quidem Sanctulus miraculo mortem euasit, quam felicius S. Soranus ex charitate pertulit, de quo S. Gregor. l. 4. dialog. c. 22. Compendium historiæ illud: *S. Soranus Abbas Longobardis Italiam vastantibus redimere captiuos & eos qui amissis rebus prædæ superfuerant iuuare non destitit, donec latronum gladiis Ecclesiæ thesauros ab eo frustra quærentium (quoniam iam nulli erant) confossus occubuit. Eo corruente terra tremuit, testata credo tàm pium hominem tàm impiè cæsum non oportuisse, nisi ad pietatis mercedem cumulus accederet corona martyrii.*

B. Soranus collatis in egenos diuitiis hostia Deo mactatur.

§. Istud & memorabile quod in Lausiaca historia memoriæ prodidit c. 38. *Palladius. Serapion cum nihil præter tunicam, & pallium, & euangeliorum codicem haberet, duobus pauperculis obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit, & cum nudus sederet, interrogatus quis eum despoliasset, protento codice illo quem manu tenebat, hic inquit, Iterum alios mendicantes conspicatus etiam codicem vendidit, & venditi precio illis distribuit, dicens à Domino præceptum esse:* Matt. 19. *v.* 11. *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdum se istud impleße putauit, donec semetipsum quibusdã gentilib. vendidit, ita tamen vt ipsos Domino lucraretur. Cumq; eos ad Christum conuertisset, pecunia quam acceperat se redemit. Rursum idem Lacedemoniæ fecisse dicitur, eodem successu, conuerso diuite, quodam ac principe viro. Post talia charitatis officia in Abbatem electus apud Arsinoen, decem millium monachorum pater fieri meruit, & qui omnes præibat pietate omnibus præesse dignus fuit.*

Liberalis & ingeniosa caritas.

CAP. XLVII.

DE DIVINI HONORIS ET HV-manæ salutis studio.

EX amore zelus nascitur, qua de causa & Sanctus Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus ait, quod Deus appelletur zelotes Exod. 20. v. 5. & cap. 34. versic. Deut. 4. v. 24. Iosuæ 24. versi. 19. Nahum 1. v. 2. propter multum amorem quem habet ad existentia. Cuius rationem affert S. Thomas 1. 2. quæst. 28. art. 4. c. Manifestum est, inquit, quòd quanto aliqua virtus intensiùs tendit in aliquid fortius, repellit omne contrarium, vel repugnans. Cum igitur amor sit quidam motus in amatum, vt Augustinus dicit in lib. 83. quæst. q. 35. & 36. tom. 4. Intensus amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat: aliter autem hoc contingit in amore concupiscentiæ, & aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiscentiæ, qui intensè aliquis concupiscit, mouetur contra omne illud, quod repugnat consecutioni vel fruitioni quietæ eius, quod amatur: Et hoc modo dicuntur zelare vxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in vxore quærunt. Similiter etiam qui quærunt excellentiam, mouentur contra eos, qui excellere videntur, quasi impedientes excellentiam eorum. Et iste est zelus inuidiæ, de quo dicitur in Psalm. 36. Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem. Amor autem amicitiæ quærit, bonum amici: vnde quando est intensus, facit hominem moueri contra omne illud, quod repugnat bono amici, & secundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando ea qua dicuntur vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quãdo ea, quæ sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur: secundum illud 3. Reg. 19. Zelo zelatus sum

Cur zelus sit amoris effectus.

Zelus ex amore concupiscentiæ pro bono proprio

Zelus ex amore amicitiæ pro bono alieno.

Quis zelus pro amico.

Quis zelus pro Deo.

tus sum pro Domino exercituum. Et Ioan. 2. super illud, zelus domus tuæ comedit me, dicit Sanctus August. in Euangel. Iohan. tractat. 10. Fratres, vnusquisq; Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ forte ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit, si emendare non potest, tolerat, gemit. Si in domo tua, ne quid peruersum fiat, satagis: in domo Dei vbi salus proposita est, & requies, sine fine debes pati quantum in te est, si quid forte peruersum videris: Fac quicquid potes pro persona tua, quam portas, & perficis: zelus domus tuæ comedit me, Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruem Deo. Eia non venit tibi in mentem seruus ille qui abscondit talentum, & noluit erogare? Matth. 25. Nunquid enim accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit? Ex quibus Sancti Augustini verbis colligitur, quis sit bonus zelus, quem & Albertus Magnus Paradisi animæ cap. 26. describens ait: Zelus animarum verus & perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, feruentibus desideriis, lachrymis, orationibus, vigiliis, ieiuniis atq; aliis bonis operibus pro salute animarum laborat.

§. Hic zelus cumprimis decet Ecclesiasticos. Qui eluxit in summo Sacerdote & Iudæorum duce Moyse Exod. 32. versicul. 9. vsque ad 15. Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptii: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israel, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo

Exempla sanctorum hominum zelo feruentium.

Zelus Clericis conuenit.

Zelus Mosis.

plicabo semen vestrum, sicut stellas cœli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebunt eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. Et versiculo 26. vsque ad 30. Moyses stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatiq; sunt ad eum omnes filii Leui: quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: Ite, & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem, & amicum, & proximum suum. Fecerunt q; filii Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderunt q; in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Et versic. 31. 32. Reuersus q; ad Dominum, ait: Obsecro, peccauit populus iste, peccatum maximum, fecerunt sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Vlciscitur Dei injuriam, jusq; honorem vindicat Moyses, & tamen pro populo offert se ad pœnam.

Mosis zelus

§. Resplenduit & in Sacerdote Phinee iste zelus Num. 25. v. 10. vsq; ad 14. Dixit q; Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis auertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ego delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tàm ipsi quam semini eius pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel. Ps. 105. v. 30. & 31. Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem vsq; in sempiternum.

Phinees zelosus.

§. Idem zelus emicuit pro Dei gloria in Mathathia Sacerdote 1. Machab. 2. v. 23. vsq; ad 28. Et vt cessauit qui verba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundùm iussum Regis: Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucida-

Zelus Mathathiæ Sacerdotis.

trucidauit eum super aram: sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me.

§. Splendidissimus verò hic zelus fuit in Christo Maximo nostro Pontifice Psal. 68. v. 10. & Matth. 22. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* In Beato Petro Actor. 5. versicul. 1. ad 12. vbi ob mendacium contra Deum, & fraudem Ecclesiæ factam Ananiam & Saphiram conjuges morte mulctauit diuino judicio & sententia. In Sancto Paulo 2. Corinth. 11. v. 2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.*

§. Quam mirificus animarum Zelator S. Apostolus fuerit, optimè declarat S. Gregorius Nazianzenus Apolog. 1. *Omnibus aliis, inquit, prætermissis, Paulum vnum proferamus, atq; in eo quanta quamq; ardua sit animarum cura consideremus. Quod quo facilius intelligi perspicique possit, quid Paulus ipse de Paulo dicat audiamus. Mitto labores, postoli pro animarum salute.* *peruigilia, timores, fame & siti, frigore & nuditate afflictum corpus, externos insidiantes, internos aduersantes, atq; in contrarium laborantes. Mitto persecutiones, cõcilia, ergastula, vincula, accusatores, tribunalia, mortes in dies atq; horas incursantes, sportam, lapidationes, virgarum supplicia, circuitus, pericula in terra, pericula in mari, profundum, naufragia, pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula in falsis fratribus,* 2. Cor. 11. v. 23. ad 29. *vitam manuum labore toleratam,* Act. 20. v. 34. 1. Cor. 4. v. 12. 1. Thess. 2. v. 9. 2. Thes. 3. v. 8. *gratuito promulgatum Euangelium,* 2. Cor. 11. v. 7. *quemadmodum etiam spectaculum erat & Angelis & hominib.* 1. Cor. 4. v. 9. *medius inter homines Deumq; constitutus, pro his videl. dimicans, illi, autem peculiarem eximiũq; populũ con-*

Tormenta Apostoli pro animarum salute.

S. Paulus sine sumptu posuit Euangeliũ 1. Cor. 9. v. 18.

concilians & adiungens: 2. Cor. 5. v. 20. *prater hæc, quæ extrinsecus ipsi accidebant. Quis etiam satis dignè quotidianam ipsius animaduersionem attentionemq; commemoret, quæ priuatæ cuiusq; salutis curam,* Actor. 20. v. 31. 1. Thess. 2. v. *qui Ecclesiarũ omniũ solicitudinem, condolentiaq; & charitatis erga oẽs affectũ ostendebat? offendebat aliquis: & Paul. infirmitate corripiebatur. Alius scandalizabatur: & Paulus vrebatur,* 2. Cor. 11. v. 28. 29. *Iam quid de dicendi labore ac diligentia dicam? quid de multiplici medendi ratione? quid de humanitate & clementia? quid rursus de asperitate: quid de prout usq; mixtione & temperamento,* 1. Cor. 4. v. 21. *ne vel benignitate & facilitate ignauos, nec acerbitate feroces atq; immaces homines redderet? Heris ac seruis leges dictat, præscribit subditis, viris & mulieribus, parentibus ac liberis, matrimonio & cœlibatui, delitiis & continentiæ, sapientiæ & insciæ, circumcisioni & præputio, Christo & mundo carni & spiritui.* Rom. 12. 13. 14. 1. Corint. 7. Apostolus omnibus omnia factus 1. Cor. 9. v. 22. Ephes. 5. v. 21. ad 31. Et cap. 6. vsq; ad 10. Colos. 3. versic. 18. ad cap. finem, & cap. 4. 1. Thess. 4. versicul. 1. ad 13. 1. Timoth. cap. 5. 6. Tit. 2. *Pro aliis gratias agit* Roman. 1. v. 8. 1. Corinth. 1. versic. 4. *alios acrius perstringit,* 1. Cor. 4. v. 8. 18. & c. 5. ver. 1. ad *Alios gaudium suum & coronam nominat,* Philipp. 4. v. 1. Thessal. 2. v. 19. 20. *aliis amentiam obiicit,* Galat. 3. v. 1. *Aliis rectum iter tenentibus comitem se adiungit, alacritatem eorum alacritate sua excitat: alios malè incedentes coercet & reprimit. Nunc ab Ecclesiæ cœtu proscribit* 1. Cor. 5. v. 2. 11. 13. *nunc caritatem firmat,* 2. Corinth. 2. versic. 6. 7. 8. *nunc luget,* 2. Cor. 12. v. 21. *nunc voluptate afficitur,* Rom. 16. 19. Phi. 4. v. 10. *nunc lac propinat,* 1. Cor. 3. v. 1. 2. Hebr. 5. 12. *nunc abdita mysteria attingit,* 1. Cor. 2. v. 5. *nunc ad auditoris captũ se demittit, nunc eundẽ secũ subuehit: nunc vrget, nunc minatur, nunc clementiæ spiritum protendit,* 1. Cor. 4. v. 21. *nunc apud sublimes & arrogantes se effert, nunc apud homines se deiicit, nũc Apostolorũ minimus est,* 1. Cor. 15. v. 9. *nũc de-*

S. Paulus priuatim singulorum, publicè omnium quæ sinit, salutem.

S. Paulus vt perittissimus animar. medicus singulis ægrotis salluberrima remedia præscripsit.

S. Paulus æquissimus Legislator.

eumentum se daturum profitetur Christi in se loquentis, 2. Corinth. 2. vers. 3. *Nunc ex hac vita migrare gestit, ac delibatus nunc propter suos magis necessarium esse censet in carne manere* Philip. 1. v. 21. ad 27. *Non enim quod suum est, quærit*, 1. Corinth. 10. v. 33. *sed quod filiorum, quos per Euangelium genuit. Hic enim spiritualis omnis præfecturæ finis est, nimirum priuata vtilitate neglecta commodis aliorum inseruire. Ad hæc infirmitatibus & afflictionibus suis velut alio quopiam ornamento gloriatur* 2. Cor. 12. v. 9. 10. *in Christi Iesu mortificatione sibi placet*, 2. Cor. 4. v. 10. *Carnis dotibus eminet, spiritualibus tamen exulat. Imperitus non est scientia*, 2. Cor. 11. v. 6. *& tamen per speculum & in ænigmate videre se ait* 1. Cor. 13. v. 12. *Spiritui fidit, & interim tamen corpus subigit, ac velut aduersarium profligat* 1. Cor. 9. v. 27. *his verbis scilicet nos docens atq; admonens, ne terrenis rebus efferamur, nec eruditionis laude intumescamus, nec carnem aduersus spiritum excitemus. Pro omnibus dimicat, pro omnibus preces fundit*, 2. Cor. 13. ver. 7. Philipp. 1. v. 9. Coloss. 1. v. 3. *Zelotypia erga omnes afficitur, pro omnibus inflammatur*, 2. Cor. 11. v. 2. 3. *tàm à lege alienis, quam legi subiectis*, 1. Cor. 9. v. 19. ad 23. *Gentium concionator, Iudæorum antistes & patronus. Quin etiam maius quiddam pro suis secundum carnem fratribus ausus est, (vt ipse quoque audacius hæc dicam) eos apud Christum in locum suum subrogari pro caritate optat*, Rom. 9. v. 3. *O incredibilem animi præstantiam! O prædicandum spiritus feruorem! Christum, qui nostra causa maledictum factus est*, Gal. 3. v. 13. *qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit, imitatur, aut, vt parcius dicam, primus ipse post Christum aliquid eorum causa perpeti, & quasi impetus non recusat, modo ipsi salutem consequantur. Quid singula commemorare pergo. Ipse enim non sibi, sed Christo & prædicationi viuens, mundumq; sibi ipsi crucifigens, ac vicissim mundo rebusq; in aspectum cadentibus crucifixus*, Gala. 6. vers. 14. *parua omnia cupiditateq; sua inferiora existimat*, Phil. 3. v. 8. *quamuis etiam ab Hierusalem & circumiacentibus regionibus vsq; ad Illyricum Euangelium impleuerit,*

Quis Ecclesiastico Magistratui inscopus.

Latatur D. Paulus in afflictionib. pro animarum salute susceptis.

S. Paulus alienæ salutis satagens, sua non negligens.

Rom. 15. v. 19. *quamuis ad tertium cœlum raptus peruenerit, quamuis Paradisi spectator fuerit, quamuis denique arcanorum nobis verborum auditor*, 2. Cor. 12. v. 2. 3. 4. *Hæc Paulus, & qui eodem spiritu præditus est.*

CAP. XLVIII.

QVÆ ZELI ANIMARVM incentiua.

Fructus sanguinis Christi in multis perit ob zeli defectum.

§ HVne prudentem & sanctum zelum, vt concipiant Ecclesiastici. *Intueantur Christum Seruatorem innumerabilium animarum stragem & interitum maximam charitate miserantem, & iure conquerentem quod sacrosancti sanguinis sui pretium tàm miserè & infructuosè pereat.* Psal. 29. *Quæ vtilitas in sanguine meo?* Isa. 49. v. 4. *In vacuum laborauit, sine causſa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.*

Animæ præstantia & Dei erga eam amor zeli inuitamenta.

§. Animaduertant quanta sit vnius etiam animæ dignitas quam nec totus aspectabilis mundus æquare potest, quod Christus Dominus noster confirmat Matth. 16. ver. 26. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur & animæ suæ detrimentum patiatur: Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quare sapientissimus ille mercator Deus, qui pro mille mundis, nec sanguinis guttulam dedisset, pro anima vnius cum sanguine vniuerso libentissimè profudit paratissimus pro singulis animabus eadem & acerbiora tormenta sustinere, quæ sustinuit pro omnibus si opus pretium fuisset. Hæc anima expressa Dei imago & similitudo est, capax diuinitatis, qua sola eius cupiditas expleri potest, par angelis, filia & sponsa Dei, hæres æternæ fœlicitatis. Quis labor, quis sumptus pro hac recusandus?

Vnica anima hac rerum vniuersitate præstantior.

Animarum conseruatio summoperè probatur Deo.

§. Attendant & reputent Deo charissimæ animæ & earum lucrum gratissimum. *Parcis, inquit Salomon Sap. 11. v. 27. omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui*

amas animas. Hoc ingens gaudium suum declarauit Lu. 15. cum ait: *Congratulamini mihi quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Ecce Deum cœlitusq; vniuersos vnius animæ exhilarat conuersio, quanta ergo lætitia eos perfundit, quando plurimæ conuertuntur. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam. Tanti facit, tantopere amat Deus animas, vt pro earum salute vnigenitum, & dilectissimum filium suum morti exposuerit.* Et Ioan. 21. *Christus Dominus noster hortatur S. Petrum, vt eum amorem, quo se prosequeretur, cura erga ouiculas suas testatum faceret.* §. *Proinde optimè* Sanctus Chrysostomus homil. 3. in Genes. *Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ vt animarum salus, sicut clamat Paulus dicens: 1. Tim. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et iterum Deus ipse ait* Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, neq; vt suppliciis nos torqueat, sed vt saluet, & ab errore liberatis, regno nobis frui concedat. Et cum Deus sit propter nihil aliud meam induit carnem, & alia humana sustinuit, & crucem quoq; susceperit. Hæc omnia cum sciamus præ omnibus aliis huius vitæ curis de salute animarum loquamur, proximis eandem illis sollicitudinem ingerentes.*

Deus ad æternam hominem salutem condidit.

§. Considerent & perpendant eximium ac maximum præmium iis propositum, qui animas à Diabolo ad Deum, à vitio ad virtutem traducunt. Dan. 12. versic. 3. *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Matth. 5. v. 19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 25. Seruum qui acceptis talentis lucrum fecerat, ita Deus alloquitur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Conuertentiũ animas eximia in cœlo gloria. Eximia merces eorũ qui alios Christo adiungunt.

§. Iac.

§. Iacob. 5. v. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Qui ad aliorum salutem procurandam inuigilant, propriorum peccatorum veniam impetrant, Dei gratiam conciliant, virtutem, meritum, gloriam sibi exaugent: *Vt anima*, inquit S. Chrysostomus homil. 3. in Genes. *corpore melior est: ita hi, qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, maioribus præmiis digni sunt his, qui admonendo & continuo docendo in viam rectam supinos & desides inducunt monstrando eis diuinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam.* Rursum idem Beatus Ioannes Chrysostomus homilia 1. super Matthæum opere imperfect. *Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas. Si quis eam immaculatè custodiat: Nam super omnia opera sua pretiosiores existimat Deus animas hominum*, Matth. 16. v. 26. *quanto magis credibile est, vt super omnia bona constituat eum, qui confert Deo lucrum animarum?* Matth. 24. v. 47. *Non solum autem omnibus bonis meliorem indicat hominem, sed etiam sui ipsius imposuit & præposuit salutem humanam.* Et tamen ingentia præmia benignis eleemosynarum largitoribus, vt in sacris literis legimus, decreta sunt.

Exactissima de animarũ salute poscenda ratio.

§. Expendant quam accurata & exacta ratio ab his exigenda sit, quibus animarum cura commissa est. *Vnicuique quidem*, vt ait Ecclesiasticus 17. ver. 12. *mandauit Deus de proximo suo, & vt diligatur, sicut seipsum, quisque diligit.* Matth. 22. v. 39. Leuit. 19. v. 18. Et proinde vitam & illi velit efficaciter salutem eumq; pro viribus promotione promoueat, & qui hoc non facit legis & præcepti reus est, multo tamen magis delinquunt, qui ex officio hoc præstare deberent, & exactiorem rationem reddituri & acerbiores pœnas daturi sunt. Ezech. 3. v. 17. & 18. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente*

me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Et cap.34.v.10. *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Hebr.13.ver.17. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim priuigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Benè ergo argumentatur S. Augustinus hom.7. lib.50. hom. *Si pro se fratres carissimi vnusquisq; vix possit rationem reddere; quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ.*

Imitandi animarum zelatores.

§. Ante mentis oculos ponant, quanta gloria & honore in judicio ornantur seduli & ardentes animarum salutis curatores 1. Thess. 2. v. 19. *Quæ est enim spes & gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Quanta vero ignominia in extremo judicio negligentes animarum pastores afficientur? qua de re S. Gregorius homil. 17. in Euangelia monet: *Pensandũ qui opera nostra conuersi luxuriam, auaritiam, superbiam deseruerunt, quod animarum lucrum accepto talento fecerimus, quomodo in illo districto iudicii examine Petrus Iudæam, Paulus mundum, Andreas Achaiam; Ioannes Asiam, Thomas Indiam à se conuersam in Iudicis conspectu ducent, & alii alias prouincias, & populos, quo tempore Sacerdotes pudefacti obmutescent nescientes quid dicturi sunt.*

Animarum zelus.

Pœna negligentium animas.

§. Cogitent & ponderent, quod etiam negligentes grauissimas Deo daturi sint pœnas. Matth.25. vers. 30. *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Inutilem ait non prodigum, non dissipatorem, non fraudulentum, non impium, non sceleratum, sed otiosum, torpentem, lucrum & quæstum animarum non facientem. Hinc & D. Prosper lib. de vita contempl. cap.20. *Illi cui diuini verbi dispensatio commissa est, etiamsi sanctè viuat, & tamen pendite viuentes*

uentes aut arguere erubescat, aut metuat, cum omnibus, quia tacente perierunt, perit. Et S. Greg. hom. 11. super Ez. Tu occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Et si homicida non habet vitam æternam in se manentem. 1. Ioannis 2. quæ supplicia in animarum interfectores expendent

Cuiq; sit diligens salutis proximi cura.

§. Quam accurata salutis proximi habenda ratio docet S. Chrysost. lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ; *Audiuit profecto fidelis*, ait, *quæcunq; summa apud nos viri, diuino spiritu repleti, de terribili horrendoq; iudicio, q̃ post huius excessum vitæ sequitur, philosophati sunt. Ait ante omnia admonẽdus est diei illius ac pernicios̃imi fluminis in morem decurrentis ignis, eiusq; flammæ, quæ nunquam extinguitur, cum solis tollentur radii, lunæq; splendor occultabitur, cum stellis decidentibus cœlisq; conuolutis virtutes commouebuntur, cum vndiq; concussa & liquescente humo, terribilis alternusq; sonitus tubarum concrepabit: cum percurrentis orbem vniuersum Angelis, assistentibusq; regi millibus, & millies millium ministrantibus, aduenientibusq; cum ipso iudice ad obsequium paratis exercitibus, ante castra ipsa cœleste signum lucebit: cum solium parabitur, & aperientur libri mirandi illa reuelabitur inaccessa, atq; ineffabilis: cum vox illa iudicantis audietur horribilis & metuenda, alios quidem in ignem paratum Diabolo & Angelis eius ire præcipientis: alios verò pœnitentiam illam exercitationem, virginitatisq; labores ipsius thalami ianuis arcentis, ministrorumq; aliis zizania colligere, aut in fornacem immittere iubentis: aliis item alios nonnullos compeditos, vinctosq; post terga manus in exteriores tenebras abducere, atq; horrifico dentium stridori addicere: cum hunc quasi impudice tantum aspexerit, illum quod intempestiuo se risui dederit, alium quod maledixerit duntaxat, vehementissima atq; grauissima animaduersione plectet. Nam quod istos quoq; poena acerbissima maneat, ipsum iudicem audias licet, qui & hos eiusmodi supplicia intentat. Ad hunc nobis iudicem prorsus eundum est, atq; diem illum metuendum, in quo nuda & patefacta erunt omnia, non tantum opera & verba, verum ipsæ quoq; cogita-*

Diuini iudicii timor.

cogitationes & intentiones animi. Nam eorum quoq; delictorũ, quæ videntur esse leuia & nulla, terribiles tunc pœnas expendemus. Adeo iudex ipse pari & eadem ferè diligentia & nostram & proximorum nostrorum salutem requirit à nobis: idcirco Paulus quoq; semper & vbiq; monet singulos, non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximorum: Ideò in Corinthios vehementer inuehitur, & nullam prudentiam, nullamq; curam habuerant eius, qui in grauissimum crimen fornicationis incideret, sed magis eius vulnus tumidum obduratumq; contemserat. Galatis quoq; c.6. eadem scribens aiebat: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi corrigite. Thessalonicens. 1.c.5. itẽ eadẽ monita edebat dicens: Itaq; exhortamini inuicẽ, sicut & facitis. Itemq;: corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos. Ne quis n. diceret, quid mea interest, etiã aliorũ curare salutem? Qui perit, pereat: & qui seruatur seruetur: nihil horum pertinet ad me. Ne quis, inquã, ista diceret, immanem hanc & prorsus inhumanam cogitationem iugulans, legib. istis illam sepsit & circumcluſit, quib. plurima iuberet nostrorũ commodorum negligere, vt proximorũ saluti consuleremus, atq; omnib. in locis vitæ eandem diligentiam habendã definiuit. Romanis quoq; cũ scriberet ingentem illis curã huiusmodi procurationis imposuit, multumq; in ea parte voluit esse solicitos, fortes imbecillib. patrum loco esse iubens, eorũq; salutem curæ illis esse admonens. Sed ista in eo loco habentis atq; consulentis voce magis quam imperantis autoritate mandauit: alio v. in loco summa cũ vehementia auditorũ animos perterruit, eos qui fratrũ salutẽ negligerent in ipsum Christũ peccare asseuerans, Deiq; ædificium diruere. Quæ quidem omnia, non vt à se inuenta asserebat, verum à magistro didicerat. Namq; vnigenitus Dei Filius docere nos cupiens, quã istud debitũ necessariũ sit, vtq; hi qui illud reddere negligunt, summis afficiãtur incõmodis, aiebat: Quicunq; scãdalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei vt suspendatur mola asinaria circa collũ eius, & demergatur in profundũ maris. Atq; is qui talentum attulerat, non q̃ aliquid ex suis cõtempsisset, sed q̃ proximi salutẽ neglexisset & increpitus

In salute proximi cuique seritur & metitur.

Christus Dominus non tantum exigit, vt videamus ædib. in nostris quæ praua aut erecta gerantur, sed etiam vt proximi saluti studeamus.

& sup-

Salutis alienæ neglectus exitialis.

& supplicio affectus est: itaq; etsi vitam omnem nostram diligentissime compositam & instructam egerimus, hac non exacta negligentia, nihil consequemur emolumenti, cum ea talis & tanta sit, quæ sola in gehennæ profunda possit immergere. Si enim is, qui proximum in eis rebus, quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excusari poterit: verum ut is, virginitatem ille seruauerit, extra sponsi thalamum proiectus is, qui quod multo maius est omiserit, (quippe longe maximum est animarum gubernatio & regimen) cur non mala omnia petiti merito dignissimus existimetur? Hominem enim non

Homo à Deo conditus non vt sibi vni viuat, sed & aliis.

sibi ipsi tantum prodesset creauit Deus, sed vt multis. Idcirco Paul. quoq; fideles homines luminaria appellat, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles cæteris quoq; vsui esse. Luminare quippe quamdiu seipsum tantummodo illuminat, luminare profecto non est. Quocirca gentilibus quoq; ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligerent, sic dicens: si quis autem suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non gerit, fidem abnegauit, & est infideli deterior: Quid enim hoc loco prouidentiæ nomine significari putas? An forte sumptuosam largitionem? Equidem reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse, sin verò tu contentiosè sensum tuum afferre malueris, sic quoq; sententia mea firmior ac validior manebit. Nam si de corpore hæc dixit, eumq; qui vilem hominis & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, gentilibusq; deteriorem esse ait: quonam tandem in loco statuimus eum, qui id, quod longe maius & dignius est, magnis necessarium, contemnit? Age itaq; colligamus peccati nostri magnitudinem, ac paulatim ascendentes ostendamus, quantum peccata omnia exuperat proximorum contemptus & neglectus vsq; ad summum malignitatis verticem euadit. Est igitur primus malitiæ & iniquitatis gradus amicos aspernari, quia vt ad inferiora sermonem reducamus: nescio enim quo pacto id nos

Notæ neglectæ proximi salutis gradus.

penè effugerat; prior illa lex Iudæis tradita Exod. 23. & Deuteronom. 22. ne iumenta quidem inimicorum despici permittit, sed siue illa deciderint, simul erigere: siue aberrauerint, re-

ducere

ducere iubet. Est itaq; primus malitiæ & crudelitatis gradus ab infimis ascendendo iumenta & pecora inimicorum & errantia, vel lapsa negligere. Secundus illo superior, inimicos ipsos negligentius curare. Quanto enim homo mutis animalibus ad honorem præstat, tanto peccatum istud maius quam illud est. Tertius deinceps, fratres aspernari, si fuerint ignoti. Quartus, familiares quoq; despicere. Quintus, cum non solùm corpore verum anima quoq; fratrum pereunte desidemus. Sextus, si non familiaribus modò, verum ipsis quoq; liberis nostris pereuntibus negligimus. Septimus, cum nec alios quibus illi curæ esse possint prouidemus. Octauus, cum & eos, qui id à seipsis facere instituunt, arcemus atq; prohibemus. Nonus, cum non tantum illos prohibemus, verum oppugnamus quoque. Itaq; si primus & secundus & tertius eiusce facinoris gradus tanto supplicio afficiendus est: quantos ille meretur ignes, qui cunctos eos gradus ascendit.

Auctoris ad Deum pro animarum zelo deprecatio.

§ Amem te Domine, amem te ex toto corde meo, & amore tui diligam & proximum meum, sicut meipsum. Illi vt mihi omnia bona velim, sed præcipuè illi, p viribus procurem præsentem & æternam salutem. Infirmer cum infirmis, vrar cum scandalizatis, omnibus omnia commiserationis affectu fiam, vt omnes lucrifaciam, & ne meus conatus inanis, ne labor irritus sit, affluenter Domine largire gratiam; quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed tibi vni debetur fructus & gloria, qui das incrementum & prouentum Deus in secula benedictus.

CAP. XLIX.

GENTILIVM SACERDOTVM ET NOstrorum in Euangelica lege eruditio.

Quod Medicus ignorat, quo modo curat?

§. SAcerdos non poterit ritè ligandi ſoluendiq; miniſterium exequi & exercere, niſi diſcernendi habeat ſcientiam, qua rectè diiudicet inter lepram, & lepram, inter eam ſcilicet quæ magis eſt exitialis, & quæ minus exitii infert animæ, ac inter varia mortiferorum criminum genera.

Quod Doctor ignorat docere non poteſt.

§. Non valebit item rectè Sacerdos alios docere viam Domini, & veritatis luce probè illuminare, niſi ſacras calleat litteras, diuinorumq; myſteriorum habeat peritiam, atque ſacrorum eloquiorum intelligentiam. Quocirca primum Sacerdotis ornamentum quo refulgere debet eſt ſcientia rerum ſacrarum, & eorum quæ ad ſuum ſpectant officium, notitia, qua ſi prorſus careat, quomodo rector aliorum eos duxerit in via Domini: *Nonne ſi cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt?* Lucæ 6. v. 39.

Ethnici Sacerdotes naturæ inſtinctu doctiſſimi.

§. Certè Ethnicorum & gentilium Sacerdotes longuntur inſigni doctrina ſupra cæteros ſuæ nationis ſemper effloruiſſe. Vt apud Ægyptios Sacerdotes negotiorum ſæcularium curis liberi, quod à Regibus annona illis aſſignaretur ad victum, rerum arduarum contemplationi vacare permiſſi ſunt, vt author eſt in primo Metaphyſicorum libro Ariſtoteles, & Mathematicas artes ibidem primum inuenerunt. Fuitque adeo illuſtris & celebris Ægyptiorum Sacerdotum in toto orbe ſapientia, vt Lycurgus Lacedæmonius, Pythagoras Samius, Plato Athenienſis, Democritus Abde-

Aegyptii ſacerdotes diſciplinis inſtructiſſimi.

Abderites, & ferè Græci omnes, qui singulari claruerunt doctrina, in Ægyptum ad Sacerdotes profecti sint, vt morum instituta, & disciplinam illorum perciperent.

Chaldæorũ Sacerdotes literatissimi.

§. Sic apud Babylonios Chaldæi eorum Sacerdotes illum locum in sua Republica, quem Ægyptiorum Sacerdotes quondam habuere. Ad cultum enim Deorum (vt Diodorus Siculus author est) deputati per omnem vitam philosophari solebant. Astrologiæ (quod omnes concedunt) vltra cæteros peritissimi habebantur, cum in ea diutius versati sint. Et eorum quæ ad sacra pertinent scientissimi.

Persar. Sacerdotes artium studiis eruditissimi

§. Apud Persas item Magi illorum Sacerdotes maximo in pretio fuere, & idnomen à magnitudine scientiæ sunt assecuti.

Indorũ Sacerdotes doctrina abundantes & à M. Alex. honorati.

§. Ab illis autem profluxerunt Indorum Gymnosophistæ, qui ab omni opere immunes soli rerum contemplationi & sapientiæ fuerunt intenti, & sacrificiorum Dijs offerendorum curam habuerunt. Nonnullos eorum Alexander Magnus interrogasse legitur, authore Plutarcho in ejus vita & singularem eorum prudentiam admiratus, multis donatos muneribus à se dimisit.

Græciæ ac Galliæ Sacerdotes, scientiis excultissimi.

§. Adhæc apud Græcos Sacerdotium ferè Philosophiæ conjunctum fuit, & Sacerdotes ibidem aut Philosophi fuerunt aut Sapientiæ studio intenti. Denique apud Gallos Druydæ haud longe à Cornutibus sedes sortiti, Sacerdotes habebantur antequam supernæ lux veritatis illis terris irradiaret, & rerum omnium peritissimi. Qui vt refert Cæsar libro sexto Commentariorum de Bello Gallico, rebus diuinis interesse sacrificia publica ac priuata procurare, & religiones interpretari ex officio habebant. Adeos magnus Adolescentum numerus, disciplinæ gratia concurrere tum solebat. Multa de animæ immor-

Eccles. 6. v. 36. Si videris sensatum euigila ad eum. & gradus ostiorũ illius exterat pes tuus.

immortalitate, de sideribus ac eorum motibus, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputare, ac peruentuti tradere, sunt ex more consueti, vt ex illis intelligamus illos egregia præstantes fuisse doctrina. Sed quorsum hæc? Quo commonstremus, & Christianos Sacerdotes diuinæ sapientiæ studio gnauiter intentos esse debere, cum viderint Ethnicos & Iudæorum cultores Sacerdotes tantam doctrinæ & eruditionis habuisse curam simul, & excellentiam, erubescantq; ab illis superari diligentia percipiendæ doctrinæ, quæ longe antecedunt pia religionis synceritate & veritatis agnitione, habentes sanctum Dei veri cultum, cujus illi erant prorsus expertes & ignari.

Deus in lege à Sacerdotibus exegit scientiam.

§. Humanis itaque diuinisq; literis perpolitiri esse debent Ecclesiastici, ac præsertim Sacerdotes. Quod ostendit Deus Exod. 28. v. 30. *Pones autem in rationali iudicii, doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino, & gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper.* Leuit. 4. cum pro ignorantiæ peccato hostiam instituisset Deus. *Obseruandum sanè est*, ait peruetus Ecclesiæ Magister Origenes hom. 2. in Leuit. *quod in peccato Sacerdotis non addit Legislator: quia per ignorantiam, aut non voluntate peccauerit. Neq; enim ignorantia cadere poterat in illum, qui vt cæteros doceret, prouectus est.* S. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam de veste Sacerdotali. *Obid, inquit, in rationali Sacerdotis veritas est, id est, scientia, vt noueris quæ docenda sint, & manifestatio atq; doctrina, vt possit instruere alios, quod mente concipit.* Et Leuit. 10. versi. 8. 9. 10. *Dixit Dominus ad Aaron, vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii ne moriamini: quia præceptum sempiternum in generationes vestras: Et vt habeatis scientiam, discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum & mundum: docendi*

ceatisq; filios Israel omnia legitima mea, quæ loeutus est Dominus ad eos per manum Mosi. Et Deuteronom. 17. v. 8. 9. 10. 11. *Si difficile & ambiguum apud te esse iudicium prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: Surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: Quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram.*

§. Aggæi 2. v. 12. *Interroga Sacerdotes legem,* in quam sententiam scribens S. Hieronymus, & epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali; *Vbi sunt, inquit, qui innocentiam Sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex nouæ congruit. Idipsum Moses, quod Apostolus: ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus; iste Timotheum, & Titum instruit disciplinis.* Matth. 13. ver. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.*

Inerudita sacerdotis probitas haud excusabilis.

Christus, Apostolus Apostolicq; discipulus B. Dionys. à Clericis scientiam postulat.

§. S. Dionysius Areopagita epistola ad Demophilum. Ea Presbyterum scientia præditum esse vult, qua & alios ad veritatem, erudire possit: Sacerdotes, inquit, nuntii, & interpretes, secundum Pontifices, sunt diuinorem judiciorum. Ab eis rectè & ordine tu per medios, interiectosq; ministros, cum tempus postulabit, diuina disce, &c. Si Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profectò penitùs abhorret à Sacerdotum ordine, atque facultate is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multo magis is, qui illustratus non est. Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumit, quæ sunt propria Sacerdotum; neque metu, & pudore à diuinorum tractatione præter captum ac meritum deterretur; putatq; Deum ignorare quæ ipse sibi conscius est.

Qui alios docere nequit, Sacerdotio abstineat.

Cur discipuli Christi sal terræ & lux mundi, iusti & docti esse debent.

§. Et B. Chrysost. in opere imperfecto homil. 10. *Prius Dominus*, inquit, *vocauit discipulos sal, postea autem lux; aut quia prioris loci est seruare quos habes, secundi autem vocare quos non habes. Aut quia prius est bene viuere, secundo autem bene docere, nam per bonam conuersationem ascenditur sine dubio ad scientiam, à scientia autem nescio, si ad bonam conuersationem omnimodam veniatur. Ille est laudabilis doctor qui facit & docet, Quoniam qui docet, & facit quod docet, vere ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, & non docere, quam docere, & non facere. Quoniam qui facit etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem docet, & non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moueatur ad peccandum, cum viderit ipsos Doctores putatis peccantes? Ergo per illos quidem Doctores, qui docent & faciunt, magnificatur Deus, per eos autem qui docent, & non faciunt, blasphematur. Vt puta si bene doceant Sacerdotes & melius viuant, videntes Gentiles dicunt: Benedictus Deus qui talis habet seruos. Verè enim eorum Deus, verus est Deus. Nisi enim ipse esset iustus, nunquam populum suum circa iustitiam sic teneret. Nam disciplina Domini ex moribus familia demonstratur. Non sicut nostri Philosophi, qui magna loquuntur, & ea modica faciunt. Si autem bene doceant, & malè conuersentur, videntes dicunt. Qualis est Deus eorum qui talia agunt? Nam quid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operib. eorum.*

Quis Doctor commendandus.

Doctor non recte viuens in Deum conuitium iacit.

Ignoratio Sacerdoti vt pessima fugienda

§. Vnde benè S. Isidorus libr. 3. de summo bono c. 13. & habetur distinctione 37. cap. 16. §. *Elaborandum est itaq; Sacerdotibus vt ignorantiam à se quasi quandam pestem abiiciant. Licet enim seruus nesciens voluntatem Domini sui, & non faciens dicatur vapulare paucis: non tamen hoc de omnibus generaliter intelligitur.* Ait enim Apostolus: *Qui ignorat ignorabitur, quod de eo colligendum est, qui nolunt intelligere, vt bene ageret.* Vbi & bene ex Sancto Augustino libr. quæstionum veteris ac noui Testamenti quæ. 67. subjungit Gratianus c. 17. *Non omnis qui ignorat innocens*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

est à pœna; ille enim ignorans potest excusari à pœna qui à quo disceret non inuenit: illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent operam non dederunt.

Quæ scientia opus Clericis.

§. Quid autem potissimùm clericis cognoscendum sit exponit Cœlestinus Pontifex epist. ad Orthodoxos omnes Episcopos & habetur dist. 38. c. 5. *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere & Patrum possit regulis obuiare, quæ enim à nobis res dignè seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliorum libita licentia populis permissa frangatur?* Et cap. 6. ex dictis Augustini subjungitur: *Quæ ipsis Sacerdotibus necessaria sint ad discendum, id est, Sacramentorum liber, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, computus, canones pœnitentiales, Psalterium, homiliæ per circulum anni in Dominicis diebus & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si vnum defuerit Sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosæ Euangelicæ minæ sunt, quibus dicitur* Matth. 15. *Si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

Lectio Sacræ Scripturæ commendatur.

§. Diuinarum verò Scripturarum & studium & scientia maximopere Clericis commendatur. Auctor sermonum ad fratres in eremo apud S. August. tom. 10. *Legite,* ait, *fratres mei Scripturam sacram, legite eam ne cœci sitis, & duces cœcorum: legite sacram Scripturam in qua quid tenendum, & quid fugiendum sit, plenè inuenietis: legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior inuenitur,* Psalm. 18. versicu. 11. Hinc quia Scripturæ studium negligunt, tàm multi Ecclesiastici in grauia offendicula impingunt, est enim illa, vt docet S. Greg. part. 3. Past. adm. 25. *in nocte vitæ præsentis, quasi quædam nobis lucerna posita,* juxta illud Psalm. 118. *Lucerna pedib. meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Prou. 6. v. 23. *Mandatũ lucerna est & lex lux.* Et 2. Pet. 1. v. 19. *Lucerna lucens in caliginoso loco.* Est clauis scientiæ Luc. 11. per q̃, vt ait S. Chrys. hom. 23. in Matt. *aperitur hominib. ianua veritatis: adapertio a. est interpretatio vera. Quam qui non audit,*

S. Scriptura in tenebris lucerna.

nec resurgenti ex mortuis credet Lucæ 16. v. 31. *& similis est viro stulto super arenam ædificanti* Matth. 7. v. 26. *Beatus vero qui in lege Domini meditatur die ac nocte* Psalm. 1. ver. 2. *& qui audit verbum Dei, & custodit illud* Lucæ 11. versic. 28. *Et in corde suo abscondit eloquia Dei, vt non peccet illi*, Psalm. 118. *Sacræ Scripturæ*, ait Beatus Augustinus Conc. 2. in Psalm. 90. *sunt literæ Dei ad nos de cœlo missæ exhortantes vt bene viuamus.* Quod & habet B. Gregorius libro 4. epistola 40. Optimè & S. Isidorus Pelus. libro 2. epistola 73. *Sacrarum*, ait, *Scripturarum lectionem salutis nostræ ticum esse existima, vt quæ eorum, qui eam studiosè atq; diligenter audiunt, probitatis amorem, ac virile robur, præclaris & illustribus exemplis parat.*

S. Scriptura Dei epistola.

S. Scripturæ lectio vel auditio caritatem & fortitudinis incitamentum.

§. Eleganter more suo necessariam Ecclesiasticis scientiam distinguit S. Thom. 4. sent. dist. 24. q. 1. art. 3. Sacerdos, inquit, habet duos actus vnum principalem circa corpus Christi verum, & vnum secundarium circa corpus Christi mysticum. Secundus dependet à primo; sed non conuertitur. Et ideo aliqui ad Sacerdotium promouentur, quibus committitur tantum primus actus: Sicut religiosi, quibus cura animarum non committitur; & à talium ore non requiritur lex; sed solum quod Sacramenta conficiant. Et ideò talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quæ ea quæ ad Sacramentum conficiendum spectant, recte seruare possint. Alii promouentur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum; & à talium ore populus legem requirit. Vnde scientia legis in eis esse debet: non quidem vt sciant omnes quæstiones legis difficiles, quia in his debet ad superiores haberi recursus; sed sciant, quæ populus debet credere, & observare de lege. Sed ad superiores Sacerdotes, scilicet Episcopos pertinet, vt etiam ea, quæ difficultatem in lege facere possint, sciant; & tanto magis, quanto in majori gradu collocantur.

Maior illi eruditio necessaria, qui curam gerit agitque animarum, quam qui eam curam non suscipit.

CA

CAP. L.

QVIS MODVS DIVINAM COMparandi scientiam.

§ ANgelicus Doctor B. Thomas Aquinas opusc. 68. diuinæ Sapientiæ studioso quædam præscribit fugienda & quædam consectanda. Vitanda sunt hæc: *Multus sermo, curiosa in res alienas & diuinas inquisitio: nimia familiaritas, discursatio. Adhibenda verò & amplectenda sunt: Conscientiæ puritas, precationis studium, solitudinis amor, morum amabilitas, Sanctorum ac bonorum imitatio, non dicentis, sed dicti consideratio, res auditione perceptas intelligendi cura, & memorabilium rerum ad memoriæ thesaurum appositio.* *Quid vitandum faciendumq; sapientiæ amanti.*

§. Similiter apud Ioannem Cassianum collatione 14. cap. 10. diuinæ percipiendæ sapientiæ præclara dat documenta Nesterotes Abbas: *Festinandum, inquit, tibi est, si ad veram Scripturarum scientiam vis peruenire, vt humilitatem cordis immobilem primitus consequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat scientiam, charitatis consummatione perducat. Impossibile namq; est immundam mentem donum scientiæ spiritalis adipisci, Et idcirco omni cautione deuita, ne tibi per studium lectionis, non scientiæ lumen, nec illa perpetua, quæ per illuminationem doctrinæ promittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantiæ vanitate nascantur. Deinde hoc tibi est ommimodis euitandum, vt expulsa omni sollicitudine & cogitatione terrena, assiduum te, ac potius iugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, arcam quodammodo ex ea faciens Testamenti, habentem in se scilicet duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem: vrnam quoq; auream. hoc est, memoriam puram atq; sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate* *Animi demissio.* *Mentis puritas.* *Studii assiduitas.*

citate conseruet, spiritualium scilicet sensuum, & angelici illum panis perennem cœlestemq; dulcedinem, nec non etiam virgam Aaron id est, summi veriq; Pontificis nostri Iesu Christi salutare vexillum, immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc namq; est virga, quæ postquam de radice Iesse succisa est, viuacius mortificata reuirescit. Hæc autem omnia duobus Cherubin, id est, historicæ & spiritalis scientiæ plenitudine prænguntur. Cherubin enim interpretatur scientiæ multitudo, qua propitiatorium Dei, id est, placiditatem pectoris tui iugiter protegent, & à cunctis spiritalium nequitiarum incursibus obumbrabunt. Et ita mens tua non solum in arcam diuini testamenti, verum etiam in regnum sacerdotale prouecta, per indissolubilem puritatis affectum quodammodo absorpta spiritalibus disciplinis illud implebit pontificale mandatum q̃ à legislatore ita præcipitur: Et de Sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium Dei, i. e. cor suum, in quo iugiter habitaturum se Dominus repromittit, dicens: Inhabitabo in eis & inter illos ambulabo. Quamobrem diligenter memoriæ commendanda est, & incessabiliter recensenda sacrarum series Scripturarum. Hæc etenim meditationis assiduitas duplicem nobis confert fructum. Primum q̃ dum in legendis ac parandis lectionib. occupatur mentis intentio, necesse est, ut nullis noxiarum cogitationum laqueis capiatur; deinde quæ, quæ creberrima repetitione percursa, dum memoriæ tradere laboramus, intelligere id temporis obligata mente non quimus, postea ab omnium actuum ac visionum illecebris absoluti, præcipueq; nocturna meditatione taciti reuoluentes, clarius intuemur, ita vt occultissimorum sensuũ quos ne tenui quidem vigilantes opinatione percepimus, quiescentibus nobis, & vel sopora stupore demersis, intelligentia reueletur.

Continua Scripturæ consideratio binas affert vtilitates.

§. De his conditionibus & adminiculis adipiscendæ S. doctrinæ, porro consideremus quid nos doceant Scriptura & S. Patres: Eqdem de conscientiæ puritate Sap. 1. v. 4. 5. *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritum n. S. disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationib. qua sunt si-*

Putissima conscientia diuina illustratione capacissima.

nt

ne intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Ioann. Cassl. l. 5. c. 33. *Vidimus etiã Abbatẽ Theodorũ summa sanctitate & perfecta scientia præditum non solum in actuali vita, sed etiam notitia Scripturarum, quam ei non tam studium lectionis, vel litteratura mundi contulerat, quam sola puritas cordis*: Et c. 34. *Hic ergo quibusdam fratrib. admirantib. tam præclarum scientiæ eius lumen, & ab eodem quosdam Scripturarum sensus inquirentibus, ait*: *Monachum ad Scripturarum notitiam pertingere cupientem nequaquã debere labores suos erga commentatorum libros impendere, sed potius omnẽ mentis industriã & intentionẽ cordis erga emundationẽ vitiorũ carnalium detinere. Quib. expulsis confestim cordis oculi, sublato velamine passionũ, sacramenta scripturarum velut naturaliter incipient cõtemplari. Siquidẽ nobis non vt essent incognita vel obscura, S. Spiritus gratia promulgata sunt: sed nostro vitio velamine peccatorum cordis oculos obnubente redduntur obscura, quib. rursũ naturali redditis sanitati ipsa Scripturarum S. lectio ad contemplationẽ veræ scientiæ abundè etiã sola sufficiat, nec eos cõmentatorũ institutionib. indigere: sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent doctrina, si modo fuerint a suffusione vel caligine cœcitatis immunes. Ideo namq; & tanta varietas erroresq; inter tractatores ipsos exorti sunt, q; plerisq; minime erga purgationẽ mentis addita diligentia, prosilientes ad interpretandũ eas pro pinguedine vel immunditia cordis sui diuersa, atq; contraria vel fidei, vel sibimet sentientes veritatis lumen cõprehendere nequiverunt.*

Ad Scripturæ intelligentiam plus confert cordis puritas, quam commentariorũ peruolutatio

Cur varia interpretamenta.

§. *De orationis studio* Deut. 33. v. 3. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedib. eius, accipient de doctrina illius.* Sap. 9. v. 10. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecũ sit & mecũ laboret, vt sciã quid acceptũ sit apud te: scit n. illa omnia, & intelligit & deducet me in operib. meis sobrie, & custodiet me in sua potentia.* Eccl. 43. v. 37. *Omnia a Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam.* Iob. 28. v. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia: Initium sapientiæ timor Domini* Ps. 111. v. 10. Prou. 1. v. 7. *Timor Domini principiũ*

Pietas cœlestis doctrinæ magistra.

Sapien-

Sapientiæ: Sapientiam atq; doctrinam stulti despiciunt. 3. Regum 3. v. 11. *& dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium.* Et Sapientiæ 7. v. 7. *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Et cap. 9. v. 10. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* Est enim sapientia Dei donum, & proinde precibus impetrandum.

Vacatio & quies à superuacaneis negotiis cœlestis doctrinæ perceptio necessaria & morum iucunditas.

§. De secessus & solitudinis amore ac animi præsentia Ecclesiast. 38. v. 25. *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet.* S. Basil. in regulis fusius disp. interrog. 41. Neque enim natura nostra plura simul assequi studia potest: multoque est præstabilius vnum modo solerter & industriè confecisse, quam multa attentasse, quæ necessario postea sint relinquenda. Si quidem quæ ad res plures animi fit distractio, & mentis identidem modo ad hanc, modo ad illam applicatio, præterquam quòd opus nullum perfectè perduci ad exitū sinit, etiam morum leuitatem, vel si ineſt, arguit, vel si non ineſt, ingenerat.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt quanto magis S. Scripturæ studiū.

§. De morum suauitate Eccl. 26. v. 13. *In filia vigila de absconsione tua, & non sis ei nimis seuera, ne inuenta occasione vtatur se.* Prouerb. 2. v. 3. vsque ad 7. Ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam & judicium, & æquitatem; vt detur parvulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum. Et cap. 8. v. 17. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me.

§. De

§. De rerum auditarum intelligendi diligentia & seria ad eam percipiendam, mentis applicatione Sapientiæ 6. v. 13. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam.* Eccles. 6. versic. 34. *Si inclinaueris aurem tuam excipies doctrinam; & si dilexeris audire, sapiens eris.* Et cap. 39. v. 1. 2. 3. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta Prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur.* Et Sanctus Ambrosius super Psal. 118. serm. 10. *Debet Sacerdos amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Tit. 1. v. 9. *Quod vtiq; sollicitæ, atq; intentæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis.* Et ad Timotheum scribens ait cap. 4. v. 13. *Attende lectioni, & exhortationi & doctrinæ. Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur.* *Ad res auditas intelligendũ animũ seriò applicandus.*

§. His addenda 1. diuinorum mandatorum obseruatio & vitæ integritas. Deuteronom. 4. versiculo 6. *Et obseruabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.* Et cap. 29. v. 9. *Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt intelligatis vniuersa, quæ facitis.* Ierem. 8. ver. 9. *Confusi sunt: verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.* Ecclesiast. 1. versicul. 10. *Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.* Et cap. 21. vers. 14. *Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia & scientia insensati inenarrabilia verba.* S. Isidorus de summo bono libr. 3. cap. 8. *Lector strenuus potius ad agendum, quæ legit, quam ad sciendum erit promptissimus. Minor enim pœna est, nescire, quod appetas quam ea, quæ noueris, non implere.* *Alia diuina sapientiæ cognoscendæ subsidia.* *Probitas.* *Dei caritas.*

§. Hu

Animi demissio.

§. Humilitas etiam Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 73. *Sacrarum Scripturarum lectionem salutis viaticum esse existima, vt quæ eorum, qui eam studiosè, atq; diligenter audiunt: probitatis amorem, ac virile robur, præclaris & illustribus exemplis parat.* Et B. Isidorus Hispal. Episc. lib. 1. de summo bono c. 8. *Geminum confert bonum lectio sacrarum Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.* Quocirca Concil. Col. de off. priuato, ac publico, c. 5. *Hic satis est admonuisse, omnes pariter Ecclesiasticis muniis consecratos, ipsos precibus, supplicationibusq; publicis Deo persoluendis mancipari. Quas vt non tantum ore murmurent, sed & corde persoluant, nunquam à manibus eorum liber Legis, h. e. Biblia, deponatur. Nam, vt, quæ legunt, & canunt, discant intelligere, tota vita vix sufficerit: Si tamen quid est in literis sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, aliis subinde diuitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus.*

Lectæ Scripturæ vtilitas.

Studiū Ecclesiasticis necessariū, vt quæ legunt, intelligant.

Scriptura obscura & difficilis, hinc & Dominus Ioa. 5. versic. 38. Scrutamini Scripturas.

§. Quod hæc Synodus de Scripturæ obscuritate affirmat, suo & calculo Sanctus Augustinus confirmat epistola 3. ad Volusianum. Tanta est enim Christianorum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, melliore ingenio conarer addiscere: non quo ad ea, quæ necessaria saluti sunt, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua nec recteque non viuitur, tàm multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, & annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc

contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Ecclesiast. 18. versicul. 6. Cum consummauerit homo, tunc incipit. Quæ tandem mens auida æternitatis, vitæque præsentis breuitate permota, contra hujus diuinæ auctoritatis culmen lumenque contendat? Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis ex quibus Christus dicit totam legem, Prophetasque pendere, vllo modo sint comparandæ; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum tanquam teipsum? Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenq; animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæq; concordiæ, cum bonum commune diligitur, q̃ summum ac verissimum, Deus est, atq; in illo inuicem synceriſſimè se diligunt homines, cum propter illum se diligant, qui quo animo diligant, occultare non possunt. Modus a. ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamuis pauciſſimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atq; doctorum. Ea verò quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quo-

Duab. præceptionib. omnem Scripturæ scientiam comprehendit.

quodammodo renouantur, renouata ſuauiter inti-
mantur. His ſalubriter & praua corriguntur, & parua
nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic
doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam ne-
ſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medi-
nam.

§. Et eam ob rẽ, vt diuinæ Scripturæ & ſacræ Theo-
logiæ vacare poſſint Clerici tot extant canones, vt ſe-
cularibus negotiis aut profeſſionibus ſe non admiſce-
ant. De curioſitate vitanda. Eccleſ. 3. v. 22. 23. 24.
*Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſa-
quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operi-
eius, ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium, ea qua
abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſupernacuis rebus no
ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus non eris curioſu
Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Rom.
12. v. 3. *Dico per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſun
inter vos. Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad
ſobrietatem, ſicut vnicuiq; Deus diuiſit menſuram fidei.* Quæ
affirmet: Per ſpiritalem gratiam & ſapientiam ac Apo-
ſtolatum, quæ mihi diuinitùs tributa ſunt, hortor &
ſuadeo, ne in rebus fidei perſcrutandis ſitis curioſi, vt
ſentire & docere plura velitis, quam ſana fides docet
at aut permittat, vt explanat S. Irenæus libr. 5. c.
20. B. Auguſt. epiſt. 47. & D. Gregor.
homilia 3. in Ezechie-
lem.

CAP.

CAP. LI.
DE CONFESSARII SCIENTIA.

§. HÆc diuina Sapientia cum vniuersis Clericis sit vtilissima & honorificentissima, Confessario tamen & Ecclesiastæ est perneccessaria. Ea Confessario doctrina necessaria est. 1. vt nodos conscientiæ nouerit expedire. Concil. Colonienſe. c. 33. *Magnopere necessarium iudicamus, vt Sacerdos, qui à confessionibus est, sit integer, eruditus, ac silentii tenax. Alioqui, si ad quæstum intentus sit, si ad malum sollicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si intricatam conscientiam extricare nesciat, si deniq; vel ebriosus, vel iracundus, vel leuis, secreti minimè tenax, dissipandis magis, quam pascendis ouibus videbitur idoneus.* S. Augustſ. de pœnit. dist. 6. c. 1. *Diligens inquisitor & subtilis inuestigator sapienter, & quasi astutè interroget à peccatore, & fortè ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaq; crimine varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, &c. Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. Adiuuet confitentem in orando eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo; semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando, &c.*

Qua quantaq; confessario necessaria scientia.

Vitia mali confessarii.

Quomodo tractandus confitens.

§. 2. Vt peccati naturam & speciem benè cognoscat, tradit Sexta Synodus can. 102. quem vide. *Oportet*, ait, *qui facultatem absoluendi, & ligandi à Deo receperunt peccati qualitatem speculentur, peccatoris promptitudinem ad reuersionem, &c. non enim simplex, est peccati morbus, sed varius, & multiformis, &c. Oportet attentè rimari, qualiter affectus sit qui peccauit; an ad salutem inclinet, an contra moribus, quibus assueuit, familiariter aduersus se ægritudinem prouocet inspicere, &c. Sexcentis oculis*, ait S. Chr. l. 2. de Sacerd. *Sacerdos inspiciat habitum peccatoris.*

Qualitas peccati & confitentis spectanda.

§. 3. Vt aptum nouerit peccatis adhibere remedi-

Vt cuiq; morbo ita & peccato propria facienda medicina Sanctus Prosper lib. 2 de vita contemp. c. 1.

um. Sexta Synodus can. 102. Concil. Wormac. cap. 5. Sacerdos sit discretus & cautus, vt more periti medici infundat vinum & oleum vulneribus sauciatis, diligenter inquirens peccatoris circumstantias, & peccati. Ex quibus prudenter colliget, quale debeat ei præbere consilium, & eiusmodi remedia adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum egrotum. Caueat autem omninò, ne verbo, vel signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed, si prudentiori consilio indiguerit illud absq; vlla expressione personæ cautè requirat. Quoniam. qui peccatum, &c.

Nulla ratione peccatum in confessione congruè manifestandum.

§. 4. In modo tractandi pœnitentem. Suidas in vita S. Chrys. Non eodem modo, ab eo, qui præst, tractandi sunt omnes; cum ne medici quidem sit eadem medicamenta egrotis omnibus propinare, neq; gubernatoris eundē tenere cursum ventis restantibus. Deinde cogitate, qualem eum esse deceat, qui tantæ tempestati, tot procellis & fluctibus obsistere oporteat, nempe grauem eum esse decet, & non insolentem, & formidabilem, placabilem, & imperiosum, & sociabilem, & incorruptum, & seruantem & humilem, & inuictum, & hilarem & manuductum, qui hæc facilè certamina confecturus sit. Itaq; homo candidus mus, & cordatus cauere debet, ne vel ipse aduletur aliis, vel adulari sibi alios patiatur, vt nec arrogans sit, nec aduletur; sed vtrumq; nimium est in vtroq; malo caueat. Itaq; liber sit, ne ad contumaciam declinet, aut seruilem in modum se abiiciat. Et S. Th. opusc. 65. c. 4. Habeat Sacerdos orarium, siue stolam, quando communicat aliquem, &c. & debet in porrectione Sacramenti Eucharistiæ facere signum crucis cum ipsa hostia in facie pœnitentis, dicens: Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi conseruet & custodiat te in vitam æternam. Cum verò porrigit calicem, dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi, quia nihil nisi purum vinum cum aqua, & non sanguis.

Qua consideratione tractandus.

Præstat exiguam pœnam iniungere, quam iusto maiorem.

§. 5. In pœnitentia imponenda. S. Chrys. super cap. Matt. hom. 43. & habetur 26. q. 7. c. Allegat. Si enim modicam pœnitentiam imponentes, nōne melius est, propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatē & se-

cun-

cumbere pœnitentem, ejusmodi enim defectus expiatorio igne suppletur. dist. 25. c. *Qualis*. Et S. Th. opusc. 65. c. 4. Conc. Trid. sess. 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, lenissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo aliorum peccatorum participes efficiantur. Habeant a. præoculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam claues Sacerdotum non ad soluendum tantum, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & edocent, &. S. Hier. de pœnit. d. 1. c. eod. 26. q. 7. c. tempora. c. de his vero. c. pœnitentibus. Mensuram temporis in agenda pœnitentia, ideo non satis aperte præfigunt canones pro vnoquoq; crimine vt de singulis dicant, qualiter vnumquodq; emendandum sit, sed magis in arbitrio Sacerdotis relinquendum statuunt. Quia apud Deũ non tã valet mensura temporis, quã doloris; nec abstinentia tantũ ciborũ, quã mortificatio vitiorum propter quã ipsa tempora pœnitentiæ pro fide, & conuersatione pœnitentium abbreuianda, præcipiunt, & pro negligentia prolatanda. Theodor. in Pœnit. 26. q. 7. c. 1. Ab infirmis in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ; sed innotescenda, & cum amicorũ orationib. & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevãdum; &, si forte migrauerint, ne obligati à communione & consortio veniæ fiant alieni. Et V. Beda de tabernac. l. 2. c. 2. Cilicium habitus pœnitentium, Psalmista teste, qui dicit: Ego autem, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, hoc est, habitu pœnitentiæ & humilitatis, quo furorem persequentium aut leuius sufferrem placidus, aut etiam mitigarem assumpsi, &c.*

Nimis remissus & indulgens confessarius aliena culpa fit reus

Pluris Deus facit contritionis magnitudinẽ quã temporis in agenda pœnitentia longinquitatẽ.

Moribundis quo iniungenda modo pœnitentia.

§. 6. In silentio seruando cautissimus sit. Prouer. 25 *Sicut vrbs patens, & absq; murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Rectè Ouidius:

Eximia est virtus præstare silentia rebus.

Verum in Sacerdote confessario silentium non modò virtus, sed & suprema necessitas est, nisi & salutem perdere & grauissimas ab Ecclesia pœnas sustinere velit: nam Præsbyter peccata reuelans & ab officio deponendus & in Monasterium ad perpetuam & seueram penitentiam agendam detrudendus. Ita S. Greg. de Penitentia. d. 7. c. 2. *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, quæ confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est, non propinquis, non extraneis, neq; (quod absit) pro aliquo scandalo: nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Et rursum: *Caueat omnimodò sacerdos, ne verbo aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiore consilio indiguerit, illud absq; vlla expressione personæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus: Verumetiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Innocent. III. de pœnit. & remiss. c. *Omnis vtriusq; sexus.* S. Leo epist. 80. dist. 6. c. *Sacerdotes.* Concil. Wormatiense c. 7.

Quomodo tacito confitentis nomine de eius casu doctior consuli possit.

CAP. LII.

CONFESSIONES EXCIPIENDI ACTUS & vsus.

Qualis à confessario habendus qui ad illum accedit.

§ COgitare debet confessarius eum qui ad se accedit veluti hospitem, qui aberrauerit à via: veluti reum, & vinculis adstrictum, vel ægrotum, sauciũm, vel curuum, qui à Deo mittatur ad se, vt eius opera in viam rectam reuocetur, exoluatur, & sanetur.

Vt ad sacrũ excipiendæ confessionis munus benè præsbyter afficiatur, quæ illi considerãda.

§. Magni refert confessarium ex animo, & cum quadam propensione suo muneri operam dare, deq; illius dignitate, vt par est, altè sentire, quam ad rem vtile erit hæc capita expendere.

Primo.

Primo Sacerdotem dum aures præbet confitentibus esse Vicarium Saluatoris mundi, vices quodammodo gerere summi terrarum ac cœli Regis, cum Reges etiam ipse faciat, & quodammodo beatos; quandoquidem sine illius opera Deus constituit homines peccatis obstrictos non saluare : siquidem *quibus ille peccata remittit, remittuntur, & quorum retinuerit, retenta sunt.* Ioannis 20. ver. 23. Secundo. Sacerdoti licere in sacrosanctum illum thesaurum & fontem sanguinis Domini manus immergere, & eo sordidas noxiorum animas abluere & ornare. Tertio. Quam nobilis sit anima illius, quem antè se videt prostratum, non solum natura sua, quia est ad imaginem & similitudinem Dei creata, verum & pretii infiniti excellentia, quo redempta est. 1. Corinth. 6. versic. 20. *Pretio empti estis magno.* Quo ? 1. Pet. 1. v. 18. 19. *Pretioso sanguine, quasi immaculati Agni Christi.* Quarto. Confessarium proximè ad salutem animarum suam operam conferre. Colligit enim quodammodo fructus, & metit ex semente concionatorum. Ioannis 4. versic. 37. *Alius est qui seminat, & alius qui metit.* Quinto. Delectum à Deo confessarium esse, vt ex Diaboli seruitute in libertatem filiorum Dei vindicet homines peccatis obnoxios, quod S. Augustinus dicit, majus opus esse, quam vniuersum mundum creare, tractat. 72. in Ioannem, & Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 17. Gaudium esse in cœlo majus de vno qui ex peccatis resipiscat, quàm de nonaginta nouem justis, qui non indigent pœnitentia : quare ejus gaudii ministrum & adiutorem aliqua ex parte confessarium esse.

Quis confessario spectandus finis

§. Confessarii mens in hoc munere rectà ferri ad Deum debet, vt nihil nisi diuinam gloriam, & salutem proximorum, spectet, non suum commodum, (Matth. 10. vers. 8. *Gratis accepistis, gratis date*) non voluptatem, quam capit ex confitentium nobilitate, vel

numero vel ex curiositate ; ne qua tanti Sacramenti fiat profanatio : talia enim profana sunt.

Oratio confessionis auditionem antegrediatur.

§. Magnopere decet, antequam opus aggrediatur audiendi, animum præparare aliqua boni precatione, vel cogitare de ejus negotii præstantia. Est enim ægrotis animis medicinam, cœcis lumen præbiturus, oppressos graui onere peccatorum exoneraturus, errantem ouiculam ad Christi ouile reuocaturus ; quare etiam confugiet ad opem alicuius Sancti, Patroni, & Angeli custodis illius, qui confitetur, simul offerens pro sua & confitentis salute Patri æterno opera, labores & sanguinem Christi Seruatoris.

Patientia confessario necessaria.

§. Necesse est etiam antequam ad sedem sibi am (quæ publica sit, & cancellis intercluſa: quia Angelus est lucis non tenebrarum) accedat, animum diligenter muniat & præparet, præcipuè ad patientiam. Est enim difficile hoc negotium, tàm propter fœda peccata, quæ audiuntur, quam propter implicatos casus qui incidunt, & periculum in re graui, grauiter errandi, tum propter diuersa hominum ingenia, difficilia & morosa, cum quibus agendum est, tum quia multi non satis parati ad Confessionem accedunt, vel etiam peccata excusant & occultant. Ad hæc ergo omnia prius confirmandus est animus.

Prouideat confessarius ne peccatum ãgens inquinetur ab ea, Eccl. 13. v. 1.

§. Magnà etiam Confessarius cura caueat, *ne sanctum det canibus, & proiiciat margaritas ante porcos* Matthæi 7. vers. 6. indignos absoluendo, & ne dum alios purgat, ipse fœdetur. Imitabitur igitur Medicos, qui dum visunt ægrotos, ne contagione lædantur odores ferunt, aut aliquod medicamentum accommodatum. Ita Confessarium aliquid ad manus habere oportet, quo se à fœda & periculosa vitiorum contagione liberum & incolumem seruet.

§. Quibus

Iustus sit confessarius?

§. Quibus Confessarius dotibus præditus esse debeat. Quamuis absoluendi à peccatis ex auctoritate & potestate Sacerdotis, non ex eius bonitate vel improbitate pendeat, vt docet Concil. Trid. sess. 7. can. 12. & sess. 14. & c. 5. & 6. & can. 10. Et S. August. 1. q. 1. c. *Dominus.* & tract. 6. in Ioannem dist. 19. c. *Secundum.* tamen vis maxima est in ejusdem Præsbyteri Sanctimonia & conjunctione cum diuina voluntate, ad inducendum aliquem ad veram pœnitentiam peccatorum, & promouendum in virtute. Plurimum enim Pater similes sibi gignit filios: *Qui vero sibi nequam est, cui bonus erit?* Eccl. 14. v. 5. S. August. & habetur 3. q. 7. c. 9. *Sacerdos, vt sapiens medicus & perfectus primum sua peccata diluere sciat, & postea aliena detergere, & sanare & non publicare.* S. Greg. p. 2. Past. c. 2. *Necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ aliorum diluere sordes curat, ne tacta quæq; deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet.*

Et cognitione & actione gnarus sui sit muneris confessarius.

§. Non solum cognita habeat omnia necesse est, quæcunque ad suum munus pertinent, eamque ob causam auctores cum inspexerit, quid hac de re agunt, & quæ sibi necessaria sunt, excerpserit, verum etiam opus, vt magna prudentia & dexteritate vtatur. Cum enim sit Pater quidam spiritalis Medicus, & Iudex. In Patris officio cauendum est, ne sit vel Indulgentior, vel seuerior quam res postulat, non quem consolari debet, eum acerbitate verborum affligat. In officio medici, ne medicamenta prębeat minus accommodata ad morbi & ægroti naturam, quib. malum non sanetur, sed augeatur potius. Denique in Iudicis officio ne condemnet absoluendos, & condemnandos absoluat, sed rectam, æquam & tempestiuam sententiam ferat. Prouerb. 17. versic. 15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum abominabilis est vterque apud Deum.*

Confessarius sit misericors.

§. Vbi Confessarius audit grauia peccata, condoleat ex animo, & intimis sensibus misereatur, gemat, lachrymetur, taciteque precetur pro fratris lapsu. Qui *infirmatur*, ait Apostolus 2. Cor. 11. v. 29. *& ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror?* sic Dei infinitam misericordiam & patientiam imitetur, & Christi Domini, qui perditissimorum hominum consuetudinem non horrebat, vestigiis insistat. Habeat ante oculos exemplum pii illius Samaritani, Lucæ 10. v. 33. qui saucii ac miseri hominis conditionem miseratus, ejus curam suscepit, vulnera alligauit &c. *Veranstitia compassionem habet, falsa verò dedignationem*, ait Sanctus Gregor. hom. 34. in Euang.

§. Duos item in se affectus excitet, 1. vt sentiat se esse omnium peccatorum maximum ac postremum, & fr- isse infœdissima scelera reipsa prolapsurum, nisi manus eum diuina sustinuisset, vt S. Paulus 1. Timoth. 1. v. 15. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*, sicq; confitentem quantumuis grauia peccata non spernet. 2. timoris, indignum se eo munere profitendo ac metuendo, ne aliorum dum abluit sordes, ipse fœdetur, atque Christi sanguinem indignis impertiat. Quare antequam manus præbere confitentibus incipiat, det operam, vt doleat de suis peccatis, vt nullum Spiritui sancto obiciat impedimentum.

Deo confidat confessarius.

§. Magnam etiam spem concipiat de auxilio diuino sibi affuturo in suo munere, quippe quod & ab ipso Deo impositum est, & ejus causa exerceatur, & ex pietate vel obedientia suscipitur. Quare nihil sibi aut prudentiæ humanæ confidens, lucem & auxilium precetur à Deo, vt quod maximè expediat ad salutem ejus, quem in præsenti audit, videre & exequi possit.

§. Non

Deliberandum Confessario de aptis cuiq; remediis.

§. Non solum id spectare debet, vt hominem à grauibus peccatis absoluat, & iterum admittendis reuocet, verum etiam vt magis magisque prouehat ad sanctitatem suoq; in statu quemq; perficiat. Quare frequenter cogitet de natura ingenioque eorum, cum quibus agit, quid cuique aptissimum esse videatur, qua quisq; via possit facillimè atque ad virtutem maximam duci.

Modestus & temperatus sit Confessarius.

§. In habitu & persona exteriore grauis compositusque omnibus in rebus ad maturitatem sit, vt tamen horrida asperitas absit, sed potius paternam benignitatem facilitatemque præ se ferat, qua homines alliciantur, sibique persuadeant, nihil aliud ipsorum præter salutem spectare. Vnde fiet vt æquè ametur & obseruetur, & Christi in eo persona agnoscatur. Tum verò maximè cum audit confessiones, necesse est hominem quodammodo penitus exuat, & induat Christum vt in habitu corporis, in verbis ejus ac moribus expressa Christi Domini species eluceat.

Commendet Deo pœnitentem confessarius

§. Absoluto opere gratias Deo agat, quod se aptum dignumq; fecerit, ad tam nobile ministerium, hoc est, vt in salutem animarum operam suam conferret. Demum quicquid à se factum est, Deo commendabit, vt si quæ à se sunt sparsa semina, ea pro sua pietate & Christi sanguine foueat, & maturam frugem ipse perducat, nec patiatur eos, qui à peccatis expiati sunt, iisdem rursus vel nouis sceleribus inquinati.

CAP. LIII.

CONCIONANDI MVNVS PERDIFficile, eximiam sapientiam & virtutem postulat.

Præcipuum in Ecclesia concionandi munus.

§. DIuus Greg. Nazianz. Apolog. 1. *Iam ipsam verbi distributionem (vt quod in nostra religione primum est, postremo loco dicam) verbi inquam diuini excelsiq; distributionem, quam omnes hac ætate profitentur, si quis est alius, qui audacter suscipiat, aut cuiusuis ingenii esse censeat, huius sublertiam animiq; aciem miror, ne dicam stultitiam.* Mihi quidem nequaquam res ea leuis momenti, nec parui spiritus esse videtur, vnicuiq; verbi perinde ac tritici mensuram temperatam dare, Matth. 24. ver. 45. ac dogmatum nostrorum veritatem cum iudicio dispensare, hoc est, ea omnia, quæ sacra Philosophia de mundis vel de mundo disseruit, de materia, de mente, & intelligentibus naturis tam bonis quam malis, de prouidentia omnia constringente atq; gubernante, itemq; de iis, quæ vel insita & probabili caussa euenire, vel terrenæ humanæq; rationi temere accidere videntur, tum etiam de prima nostri creatione, & postrema instauratione, de figuris & veritate ac Testamenti, de prima & secunda Christi præsentia, de incarnatione, & sacramentis ac morte, de resurrectione, de fine, de iudicio, ac mercede tam tristi quam læta atq; illustri, quodq; doctrina nostra sapientiæq; caput est, quid de Principe & Regia, ac Beata Trinitate credendum sit, explicare. Qua quidem in re iis, quibus erudendi fideiq; luce collustrandi gregis cura credita est, summopere verendum est, ne vel in vnam personam, ne plures dii inducivideantur, contracta fidei doctrina nuda atque inania nobis nomina relinquat, eundem videlicet esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum existimantibus: vel in tres alienas & extraneas aut perturbatas atque confusas, diuinitatique, vt sic lo-

Asini ad lyram.

Quales concionatori cognoscendæ.

Præcipuum fidei dogma S. Trinitatis mysterium.

quar,

quar, contrarias, diuisa, in idem malum contrario errore prolabatur: haud aliter ac peruersa aliqua planta, cum in alteram partem vehementius detorquetur. Quandoquidem & Deus vnus necessariò retinendus est, & tres personæ confitendæ, atq; vnaquæq; cum sua proprietate. Sed ad hæc intelligenda & pro rei dignitate declaranda atq; exprimenda longiori oratione opus fuerit, quam præsens institutum atq; adeo vita hæc ferat. Quin ad id potius & nunc & semper adhibendus sit Spiritus, per quem solum Deus & intelligitur, & exponitur, & auditur. Puro enim tantummodo attingendus ille est, qui purus est, vniusq; atq; eiusdem modi. Hæc autem idcirco in præsentia paucis commemorauimus, vt illud ostendamus ei, qui de tantis rebus disputationem habeat, præsertim apud multitudinem, quæ ex variis atatibus habitudinibusq; conflata est, multifidiq; instrumenti cuiusdam musici in modum variis pulsibus opus habet, difficile esse eiusmodi orationem inuenire, quæ omnes concinnare atq; conciliare scientiæq; lumine collustrare possit. Cuius rei ea causa est, q; cum in his tribus reb. periculum versetur, mente, sermone, atq; auditu, vix aliter fieri potest, quin si minus ad omnia, ad vnum certè horum impingamus. Aut enim mens superno splendore minime perfusa est, aut sermone languet, aut denig; auris, quia nequaquam purgata est, doctrinam excipere nequit: quorum si vnum acciderit, non minus quam si omnia concurrant, veritas claudicet necesse est. Accedit etiam illa causa, quod auditorum pietas & religio, quæ per facilem iis, qui aliud quoduis doctrinæ genus profitentur, gratamq; & acceptam orationem reddit, in detrimentum hic periculumq; cadit. Etenim, velut de Deo ac re omnium maxima, saluteq; adeò ipsa, primariaq; omnium spe, certamen habentes, quo ardentiori fide præditi sunt, eo acrius orationi aduersantur, atq; obsequium & credulitatem non pietatem, sed veritatis proditionem esse interpretantes, omnia ante proiecerint, quam opiniones eas, quas domo secum afferunt, & dogmatum, quibus inutriti sunt, cõsuetudinẽ. Ac de moderatioríb. nec omnino perdite affectis hominibus adhuc loquor, qui etiamsi à veritate aberrent, tamen

Est Deus in cœlo reuelãs mysteria Dan. 2. v. 28

Cur concionatori multa opus scientia.

Tria concionatori necessaria 1. animus diuinitus illustratus. 2. sermonis vigor. 3 auditor Alacris.

Bonum conflat ex integra caussa, malum ex singulis defectibus.

tamen quia veritatis ſtudio pietatisq; zelo, tametſi non ſecundum ſcientiam, Rom. 10. v. 2. id ipſis accidit, ex eorum fortaſſe numero futuri ſunt, qui non grauiſſimis pœnis damnabuntur, nec verberibus multis afficientur, quemadmodum ii, qui animi malitia & peruerſitate voluntatem Domini explere neglexerint. Luc. 12. v. 47. 48. Atq; hi quoq; fortaſſe à ſententia aliquando dimoueri, atq; ab eadem illa pietate, ob quam prius pugnabant, ad meliorem mentem reuocari queãt, ſi quis eos ſemel attigerit, atq; aut internè aut externè, vt ferrum ſilicem, ſic prægnantem luceq; dignam mentem atq; ita affectam, vt exigua ſcintilla luculẽta ſtatim in ea veritatis flamma effulgeat, ſimodè tempeſtatiueq; pulſauerit. Quid porro de illis dixeris, qui inanis gloriæ ſtudio dominandiq; libidine iniquitatem in excelſum loquuntur, Pſ. 72. v. 8. de Ianne inquam & Mambre, 2. Ti. 3. v. 8. non illis quidem aduerſus Moſen, ſed aduerſus veritatem arma induentibus, atq; aduerſus ſanam doctrinam inſurgentibus? Quid etiam de tertia Claſſe, nimirum de iis, qui per imperitiam eiusq; comitem temeritatem aduerſus omnem doctrinam ſuillo quodam affectu gradiuntur, pulchraſq; veritatis margaritas conculcant? Matth. 7. v. 6. Quid poſtremo de iis, qui nec certam vllam opinionem nec diuinæ doctrinæ vel probam vllam, vel vitioſam formam impreſſionemq; ſecum ferentes, rerum ſermonibus omnibus magiſtriſq; ſeſe ſubiicientes, tanquam ex omnibus id quod melius certiusq; eſt, electuri, ac ſibipſis, hoc eſt malis veritatis iudicibus confidentes, à diſertis poſtea verbis ad perſuadendum comparatis ſubinde circumferuntur atq; verſantur, omnibusq; ſermonibus obruti protritiq;, multisq; doctrinis permutatis, ac multis literis, velut puluere, in vento facile abiectis, auribus tandem & animo fatiſcentes (O inſignem recordiam) omnes peræq; fidei doctrinas faſtidiunt, pernicioſamq; formam ſibi ipſis inſculpunt, ipſam videlicet fidem noſtram, vt incertam nihilq; ſani habentem irridentes & aſpernantes, ſalteq; à doctrinæ profeſſoribus ad doctrinæ condemnationem tranſeuntes. Quod perinde eſt, ac ſi quis vel oculorum morbo, vel aurium vitio laborans, ſolem aut voces accuſare inſtituat, illum

Academici aſſenſum ſuſtinentes.

Non circũferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum Epheſ. 4. v. 14.

Cæcus de coloribus.

vt obscurum minimeq; fulgentem, has vt absonas & imbecilles. Ac proinde minoris est negotii rudi adhuc animæ veritatem primum, instar cæræ nondum signatæ, imprimere, quam conscriptis iam literis, hoc est, pestiferis opinionibus placitisq; doctrinam piam inducere, nihilq; aliud assequi, quam vt posteriora cum prioribus confundantur & perturbentur. Neque enim vt planam & tritam viam calcare præstat, quam asperam nullisq; pedum vestigiis impressam, aruumq; colere aratro iam sæpè proscissum & emollitum : ita commodius quoq; fuerit animum pingere, cui vitiosa iam aliqua doctrina impressa sit, improbæq; literæ altissimè consignatæ. Alioqui pio scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, vt & priores substituat. Ac toe tamq; graues sunt cum in reliquis animorum morbis, tum in doctrina etiam ipsa peruersæ peruersiq; spiritus notæ & impressiones, tantumque ei negotium incumbit, cui hæc moderandarum regendarumque animarum cura commissa est : pluraq; etiam, ne modum oratio excedat, prætermisimus. Quemadmodum igitur si quis belluam variam & multiplicem ex multis belluis magnis iuxta paruisque feris mitibusque conflatam curare ac ducere aggrediatur, huic in natura adeò varia & prodigiosa gubernanda, maximus procul dubio labor subeundus sit, maximumq; certamen, quippe cum nec vocibus iisdem nec alimentis, nec manus attrectationibus ac sibilis, nec reliquis deniq; institutionis modis belluæ omnes delectentur, sed aliæ aliis, pro sua quaq; natura & consuetudine, vel gaudeant, vel offendantur : vt qui eiusmodi belluæ curam susceperit, eum varia omninò & multiplici scientia ornatum instructumque esse oporteat, & congruentem cuique rationem adhibere, siquid in belluam cum laude ducere atq; incolumen tueri cupit. Haud dissimili modo communi hoc Ecclesiæ corpore instar compositæ cuiusdam & inæqualis belluæ, ex pluribus variisque moribus & sermonibus coagmentato, summopere quoque necesse est, antistitem simul & simplicem esse, quantum ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, animi integritatem. & quam maximè varium ac multiplicem, quantum ad id attinet, vt vniuscuiusq; bene-

Qua semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Dissimil.

Elegans similitudo.

Varium & mutabile vulgus.

Ecclesiæ corpus quale.

beneuolentiam sibi conciliet, omnesq; apta & apposita oratione alloquatur. Quidam enim lactis alimonia opus habent, hoc est simplici & rudimentaria doctrina, nimirum qui animi habitudine teneri sunt, recensq;, vt sic dicam, compacti, nec vllem sermonis cibum ferunt, quem si quis ipsis prater vires admouerit, eius pondere oppressi fortasse atq; obruti (animo ad id quod transmissum est, attrahendum, sibiq; accommodandum nequaquam satis virium habente, quemadmodum nec corpus in cibis materia constantibus) pristinas etiam earum vires labefactabit. Alii sensuum organa ad veri falsiq; delectum atq; discrimen exercitata habentes, Hebr.5.v.14. ac proinde sapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, sublimioriq; & firmioris cibi indigentes, 1. Corinth. 2. versicul. 5. si quis lac illis proponat, 1. Corinth.3.versic.2. oleribusq; hoc est infirmorum cibo contentus alat, Rom.14.v.2. indignè acerbeq; id laturi sint, nec immerito, vtpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabili illo incremento augescentes, Ephes.4.v.15. quod sermo diuinus affert, eum, qui præclarè alitur, in virum absoluens, atq; ad spiritalis ætatis mensuram ducens. Et ad hæc quis idoneus? Non enim plerisq; similes sumus, qui veritatis doctrinam cauponum ritu adulterant, vinūq; aquæ admiscent, Isa.1.v.22.h.e. doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari humore, ptante & euanida, frustraq; & temerè fluente (vt ipsi ex hac cauponatione nonnihil emolumenti capiant) aliasq; alio modo cum iis, à quibus adeuntur, verba faciunt, omnibusq; assentantur. Ventriloqui sanè homines & vaniloqui, voluptatibus suis subsequentes, easq; verbis aucupantes, è terra pronunciatis, atq; in terram accumbentibus, vt sic maxime populi existimatione floreant, aucupantes, grauissimum sibi ipsis detrimentum, imo exitium afferentes, innoxiumq; simpliciorum animarum cruorem effundentes, de manibus nostris aliquando requirendum. Quin potius illud exploratum habentes, melius esse alios, qui artis peritia præstent, habenas nostri concedere, quam indoctos & imperitos aliorum aurigas esse, præstare q; candidam aurem submittere, quam stolidam linguam mouere: hoc enim nobis cum

Veritatis caupones.

Ventriloqui & vaniloqui doctores quidam, qui Pythonem in ventre habēt omnia abdominis causa loquentem, qui non Domino, sed suo ventri seruiunt Roma 16. v 18.

Tutius parere, quam imperare.

nobiscum nec pessimis fortasse consultoribus, beneuolis quidem certe collocuti, laudabilius duximus ea, quæ dicenda & facienda, sint, addiscere, quam quæ nescimus, docere. Præclare enim cum eo agitur, cui vel altissima senectus doctrinam canam attulerit, eamq; vim habentem, vt nouæ in pietate animæ vtilitati atq; adiumento esse queat. Ac meo quidem iudicio admodum stulte temereq; illi faciunt, qui priusquam ipsi satis doctrina instructi sint, aliorum se Magistros profitentur, figlinamq;, vt vulgo dici solet, in dolio discunt, hoc est, alienarum animarum periculo pietatem meditantur. Stulte, si ne ignorantiam quidem suam præsentiunt; temere, si cum eam intelligant, hoc tamen negotium suscipere audent.

Temerarii qui in rebus maximis statim ingenii ac doctrinæ specimen edunt.

CAP. LIV.

QVA CONCIONATORI OPVS *scientia.*

§. PRouidendum, vt concionatores probè didicerint, & intellexerint, quod alios edocere voluerint, & si ætatis & judicii maturitate caruerint, ne illud tam sublime officium illotis quasi manibus & velut muscæ in accensam candelam non inuolent, honoris lumine delectati, & combustionis periculum non attendentes, quos moralis Doctor Beatus Gregorius Magnus serio ab hac inconsideratissima temeritate deterret 3. part. Pastor. admonit. 26. *Admonendi sunt*, ait, *quos à prædicationis officio, vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit: ne dum tanti sibi onus*

Recte certoq; intelligendū, quod quis alios docere statuerit.

Implumes auiculæ.

onus officii præcipitatione arrogant: viam sibi subsequentis meliorationis abscindant: & cum arripiunt intempestiue & non valent: perdant etiam quod implere quandoq; tempestiue potuissent: atq; scientiam quam incongrue conantur ostendere iuste ostendantur amisisse. Admonendi sunt vt considerent quæ structuris recentibus nec dum solidatis, si tignorum pondus imponitur: non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt, vt considerent quæ conceptas soboles fœminæ si prius quam plene formentur proferunt: nequaquã domos, sed tumulos implent. Hinc est quod ipsa veritas quæ repente quos vellet robustos potuisset: vt exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam discipulos de virtutis præditatum

Aptæ similitudines.

Luc. 24.

instruxit: illo adiunxit: Vos autem sedete in ciuitate quousq; induamini virtute ex alto. In ciuitate quippe consedemus: si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus: nequando exterius euagemur, vt cum virtute diuina perfecte induimur: tunc quasi à nobismetipsis foras etiam alios instruendo exeamus. Hinc per quendam sapientem dicitur Eccl. 32. v. 10. *Adolescens loquere in causa tua vix. Et si bis interrogatus fueris: habeat initium responsio tua. Hinc est quod idem Redemptor noster cum in cœlis sit conditor, & ostensione suæ potentiæ semper doctor Angelorum, ante tricenale tempus in terra Magister noluit fieri hominum, vt videlicet præcipitatis vim salubberrimam timoris infunderet: cum ipse etiam qui labi non posset perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate præstaret.*

Christi exemplum.

Scriptum quippe est: Luc. 2. v. 42. *Cum factus esset annorum duodecim: remansit puer Iesus in Hierusalem. De quo à parentibus requisito paulo post subditur,* v. 46. *Inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum· audientem illos & interrogantem. Vigilanti itaq; consideratione pensandum est, quod cum Iesus annorum duodecim dicitur in medio Doctorum sedens: non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo satis ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer docere interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministrauit.*

§. S. Hieron.

S.Hieronym.epist.2 ad Nepot.cap.8. Diuinas, inquit, *scripturas sæpius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Discè, quod doceas.* Et rursum *S.Hieronym.epist.4 ad Rusticum Monachum, & habetur 16.quæst.1.cap.27. Si clericatus,* ait, *titillat desiderium, discas, quod possis docere, & rationabilem Deo offeras hostiam; nesis miles, priusquã tyro, ne prius magister sis quam discipulus.*

Lectio Scripturæ S. perpetuanda.

§. Verum quantumuis humana, diuinaque scientia perpolitus sit concionator, toto tamen pectore in studium incumbat, necesse est. Sic Apostolus suum hortatur *Timotheum 1.epist.4.v.13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Inuigila S.Scripturis, vt alios queas exhortari & docere. Et cui hoc scribebat D.Paulus? Cui dat testimonium, *2.Timoth.3 vers.15. Ab infantia sacras literas nosti.* Si nouerat, quid opus studio? Pro se ac S.Timotheo respondet D. Augustin. Doctorum princeps *epistola 3. ad Volusianum*, cuius sententia à nobis recitata est capite 50. quæ hunc habet sensum: quod quamuis in Scriptura eæ res pateant in promptuque sint omnibus, quæ ad salutem sunt cognitu necessariæ, tamen tam multa, tam varia, tam abstrusa in ea lateant mysteria, vt illa ab humano ingenio penetrari & exhauriri nequeant, vt nunquam studendi, discendique desit materia.

§. Quin & ipse diuinus Paulus, diuino huic studio immortuus est. Licet enim Euangelium diuinitùs edoctus esset Galat.1.vers.11.12. & martyrio proximus. *Ego,* inquit *2.Timoth.4.vers.6. iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*, tamen vers.16. subiungit: *Penulam* (S. Hieron. 3. libro aduersus Pelag. lacernam, hoc est, pallium, siue extremam vestem, qua in carcere se contra aeris iniurias muniat, nec ab aliis petere cogatur) *quam reliqui Troade apud Carpum, veniẽs affer tecum & libros* (veteris, nouique testamenti scriptos codices) *maximè autem membranas* (à me scriptas) vt nimirum iis viuens vtatur,

tatur, tam S. Scripturæ studio deditus erat, & moriens Christianis relinqueret: Tamdiu discēdum nobis est, q̄diu viuitur dicebat Solon. *Beati qui scrutantur testimonia Domini, & in toto corde suo exquirunt eum.* Psal. 118. v. 2.

Concionandi officium incō sideratè non prensandum.

Ecclesiastico probus & doctus concionandi munꝰ nō diffugiat.

Ecclesiastico ad docendi officium non temerè præsiliat.

§. S. Bernardus serm. 18. in Cantica. *Sanè, inquit, cauendum in his aut dare quod nobis accepimus: aut quod tenendum accepimus, retinere. Rem profecto proximi retinet iniustus, si (verbi causa) plenus virtutibus cum sis, foriū, nihilominus bonis scientiæ & eloquentiæ ornatus, metu forte, aut segnitie aut minus discreta humilitate verbum bonum quod posset prodesse multis, inutili, imo & damnabili ligas silentio, certè maledictum quod frumenta abscondis in populis. Rursum quod tuum effundis & perdis, si priusquam infundaris totus, semipatus festines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens. Nimirum vita atq; salute quam alteri das, te fraudas, dum sana vactus intentione, gloriæ tuæ vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis: Quamobrem si sapis, concham exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penè simul & recipit & refundit: illa vero donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum ejus partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me: Stultus (ait Salomon) profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia emanant, vt ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & alijs præesse gestientes, qui seipsos regere nescient.* Et quidem sine solida eruditione ad docendum præceptes silentio Christi Domini ad 30. vsque annum secretò fugillat idem *S. Bernard. sermon. 1. in Epiphania Domini. Hic est, ait Pater Matth. 17. v. 5. Filius meus dilectus, in quo mihi bene placui. Ecce Domine Iesu, vel iam nunc loquere. Quousque siles? quousque dissimulas? Diu tacuisti, & valde diu: ta-*

Ironia.

Christi taciturnitas garriendi sanat pruriginem.

cui

iam nunc loquendi licentiam habes à patre. Quamdiu virtus & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? Quamdiu nobilis rex & rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Euangelista testatur cap. 3. v. 23. quoniam adhuc filius Ioseph putabatur. O humilitas virtus Christi, quãtum confundis superbiam nostræ vanitatis? parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & iam silere non possum: impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria patris? vtiq; timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat esse timendum: nobis cauebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere: & quod postea docuit verbo, iam clamabat exemplo. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Seruatorũ modestia.

Iacob. 1 v 19. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendũ, & tardus ad iram.

§. Istam in pulpita insiliendi, & sine necessaria virtute ac eruditione docendi temeritatem reprehendit Sanctus Gregorius Nazianzenus Apologetico 1. Tam male affecti sumus, vt maior pars nostrum, ne dicam omnes, prius fere quam lanuginem primam abiecerint, puerilique more balbutire desierint, priusquam diuina atria ingressi sint, priusquam sacra volumina vel de nomine nouerint, priusquam noui testamenti-que veteris signa notasq; cognouerint: nondum enim dico priusquam impuræ flagitiosæq; vitæ cœnum absterserint, easq; animæ fœditates, quas nobis peccatum asperserit, si duas aut tres pias voces edidicerimus, ac nec id quidem ex lectione, sed ex auditione, aut Dauidi nonnihil operæ dederimus, aut pallium scite contrahamus, aut zona tenus philosophemur, pietatisq; specie quadam & fuco nosmetipsos oblinamus. papæ, quam egregia præfectura! quam excelsus animus! Protinus Samuelem ab ipsis incunabulis sacrosanctum in ore habemus: protinus sapientes sumus, & præceptores, & rerum diuinarum cognitione sublimes, & Scribarum & Legislatorum primi, nosq; ipsos calculo nostro

cœlestes designamus, ac vocari ab hominibus Rabbi exoptamus: nec vsquam litera, sed omnia spirituali modo intelligenda sunt, meraque deliramenta insumnia nostra indigneq; & molestè tulerimus, nisi mirificis laudibus in cœlum efferamur. Id mihi pulchrè illud Salomonis quadrare videtur. Est peruersitas, quam vidi sub sole, hominem opinione sua sapientem, & quod sceleratius est, aliis instituendis præfectum, qui ne suæ quidem ignorantiæ sibi sit conscius. Hoc vitium lachrymis quidem & luctibus, si quod aliud, dignum est, idque sæpenumero mecum ipse deploraui, optimè sciens, opinionem rei opinione concepta maximam partem auferre, inanisque gloriæ studium ad virtutis adeptionem hominibus plurimum obesse.

§. Et quidem S. Paulus hoc nomine commendat B. Timotheum 2. epist. cap. 3. v. 14. & 15. quod piam, veramque doctrinam ab illo ipsomet hauserit, & sacras Prophetarumque cognitionem à teneris vnguiculis perceperit, hortaturque, vt his constanter inhæreat, vt quæ sacræ literæ illum informant, quo modo perueniat in Christum salutem consequatur, Apostoli verba sunt: *Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in* CHRISTO JESV.

Modus sciendi.

Id ante omnia perdiscendum, quod diuino amori humanaque saluti aptius.

Varij discentium fines.

§. Quæ optima discendi, docendique ratio, tradit Sanctus Bernardus sermone 36. in Cantic. *Qui se, inquit, Apostolus 1. Corinth. 8. putat aliquid scire, nondum scit quo modo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo sit actum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine? vt id primum quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine*

fine tantum, vt sciant: & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi: & turpis vanitas est. Qui profecto non euadent subsannantem Satyricum, & ei qui est eiusmodi decantantem: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificēt: & charitas est. Et item, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Psalm. 110. vers. 10. Reliqui omnes audiant: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei. Iacobi 4. versic. 17. Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne caritatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ nouerit, vita attestante & moribus bona efficiatur: nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos, noxiosque humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores praui mores? An non inflationes & tortiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens? An non responsum mortis & damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit DEVS, *quia seruus sciens voluntatem* DOMINI *sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis? Lucæ 12. v. 47.*

Scientia inflat, charitas ædificat. 1. Cor. 8. v. 1.

CAPVT LV.

CONCIONATORES NON SVAM, SED DEI gloriam, auditorumque spectent vtilitatem.

§. CONCIONATOR etiamsi sæcularibus diuinisque literis instructissimus sit, ea tamen doctrina piè sapienterque ad populi ædificationem vtatur, non ad propriam ostentationem. Rectè Sanctus Hieronymus epistola 2. ad Nepotianum cap. 10. Docente in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo presbyteri, scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumq; sonoritate, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpe, quod nescit: & cum aliquis suaserit, sibi quoque vsurpat scientiam. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere. Qui idem S. Hieronym in cap. 3. Isaiæ v. 12. Populi meus, &c. Ille est Doctor Ecclesiasticus: qui lachrymas auditorum mouet: qui corripit peccatores: qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem: nec præuenit sententiam iudicis sui: dicente Scriptura sancta: Ne beatum dicas quemquam hominum ante mortem. Ierem. 23. v. 28. & 29. Propheta, qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere: quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Verè, inquit, loquatur sermonem meum.

Vera concionatoris laus.

Imperita audacia.

Adulatio abest à concionatore.

Eccl. 11. v. 30

Concionator non nisi vtilia & auditorum captui accomodata dicat absque omni tactatione & cupiditate.

§. Hortatur & Apostol. suum amantissimum spiritu filium Timoth. 2. epist. c. 2. v. 15. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo (vt Deus te tuaque facta approbet) operarium inconfusibilem (qui non erubescat euangelium, qui propter prauam vel doctrinam, vel vitam non pudeat,

defiat, aut nunc apud homines, aut in iudicio apud Deum) *recte tractantem verbum veritatis.* Græcè est ὀρθοτομοῦντα, id est, rectè secantem verbum veritatis, id est, circumcidentem & resecantem aliena, inutilia, superuacanea quæque, vt tantum argumento propria & auditoribus salutaria tradat & explanet, & velut coriarius lora, corrigias, calceos circumcidit, vt habet hic S. Chrysostomus. Nec spectet vllam auaritiam vel ambitionem, sed syncera intentione Dei verbum prædicet, & vitæ conuersatione confirmet. Vel vt tanquam colonus rectos in aruis sulcos faciens, nec inflectat ad dexteram vel sinistram, vt vel minus vel plus dicat, quam oporteat. *Laudamus,* ait hoc loco Theodoretus, *agricolas, qui rectos sulcos proscindunt; ita & magister laude dignus est qui sequitur regulam diuinorum eloquiorum.* Quod si secandi metaphora à nutricibus, cocis, mensarum præfectis, & modiparatoribus sumatur, vt cum aliis sentit noster Cornelius à lapide nobilis Scripturæ interpres, in hoc est similitudo: vt quemadmodum illi quod cuique commodum, sapidum, & gratum est, secant & distribuunt, ita & suorum auditorum ingeniis accommodet Concionator, nec apud coniuges de virginitate, nec apud virgines de coniugio, nec apud animo abiectos de DEI iudicio, inferorum supplicio, nec apud rudes de prædestinatione & Sancta Trinitate, nec apud doctos de asini vmbra, & vulgaribus tritisque rebus differat, omnia omnibus factus. primo Corinthior. nono.

Concionator certa & recta fidei congruentia doceat.

§. Idem Sanctus Apostolus *ad Titum primo, versiculo nono* requirit, vt Ecclesiasticus mordicus retineat veracem, indubitatum, certum, qui sane fidei doctrinæ consentaneus sit & decorus, sermonem. *Oportet,* inquit, *esse amplectentem eũ, qui secundum*

doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. Et cap. 2. v. 1. Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.

CAPVT LVI.

CONCIONATOR POTIVS EXEMPLO doceat quam verbo.

§. CONCIONATOR, quod alios docet, ipse facia Ideo S. Apostolus monet Timotheum 1. epist. 4. 16. Attende tibi, & doctrinæ: ista in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Ante omnia tende actionibus tuis, ac moribus emendandis, componendis, ornandis. A te tua consideratio inchoet, ait S. Bernard. l. 2. de Consid. ad Eugenium. ne frustrà extendamus alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Matth. 16. & tunc alios docens: cum magis morum honestate, quam dictionis grauitate prodes poteris.

§. Audiamus & magnum Ecclesiæ Doctorem S. Hier. epist. 128. Legamus, inquit, Leuiticum Leuit. 8. Non pri rationale, & sic superhumerale, sed ante superhumerale, q incepsrationale. A mandatis tuis, inquit, intellexi: prius faci mus, & sic doceamus: ne doctrinæ auctoritas casus operib destruatur. Hoc est, quod in Propheta legimus Oseæ 10. Semi vobis in iustitia, & metite fructum vitæ: illuminate vob men scientiæ. Primum seminate in iustitia, & fructum vitæ ternæ metite: postea vobis scientiam vindicate. Nec statim ab luta perfectio est, si quis superhumerale & rationale habeat, hæc ipsa inter se forti compagine solidentur, & sibi inuicem co nexa sint: vt & operatio rationi, & ratio operibus hæreat; & his præcedentibus doctrina sequatur, & veritas. Quod & re quirit S. Prosper Aquitanius libro 1. de vita contemplativa capite 15.

§. S. Greg.

§. S.Greg. Ista habet effata. 1. *Cuius vita despicitur, restat, vt eius quoq; prædicatio contemnatur.* 2. *Ille vberes prædicationis fructus colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.* 3. *Si negligis implere quod doces, alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas.* Qui idem B. Gregorius l.30. Moralium cap.5. & 3. parte Par. admonit.25. ita habet: *Admonendi sunt, qui rectè quidem verba legis intelligunt: sed hæc humiliter non loquuntur: vt in diuinis sermonibus priusquam aliis eos proferant: semetipsos requirant: ne insequentes aliorum facta, se deserant. Et cum rectè cuncta de sacra scriptura sentiunt: hoc solum quod per illam contra elatos dicitur non attendant. Improbus quippe & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit: & ipse vulnus quod patitur nescit. Qui igitur verba Dei humiliter non loquuntur: profecto admonendi sunt, vt cum medicamenta ægris apponunt, prius virus suæ pestis inspiciant ne alios medendo ipsi moriantur. Admoneri enim debent, vt considerent ne à virtute dicendi, viuendi qualitate discordent: ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptum est 1.Pet.4.v.11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Qui ergo verba, quæ proferunt ex propriis non habent: cur quasi de propriis tument? Audiant quod scriptum est 2.Cor.2.v.17. Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo enim coram Deo loquitur: qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit, intelligit: & placere per illud Deo, non hominibus quærit. Audiant quoq; quod scriptum est, Prouerb.16.v.5. Abominatio Dei est omnis arrogans. Quia videlicet dum in verbo Dei laudem, ac gloriam propriam quærit: ius dantis inuadit: eumq; laudi suæ postponere nequaquam metuit: à quo hoc ipsum quod laudatur accepit.*

Humilitas concionatori adhibenda.

Medice cura teipsum.

Idem sermone & opere præstandum.

Veri, sinceri, quæ concionatoris descriptio.

§. Idem S.Doctor & S.Pontifex Gregor.lib.23.Moral.cap.4. probi concionatoris formam proponit. *Sancta vniuersalis Ecclesiæ spiritualis quisq; prædicator, in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspicit: ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita à lingua discordet: ne pacem*

Qui aliũ doces, teipsum non doces? Rom.2.v.21

Vita ornet doctrinam & doctrina vitam.

quam in Ecclesia annũciat, in seipso dum bene dicit, & male vivit, amittat. Sed studet sũmopere contra maledictos rumoris aduersantiũ, & defendere loquendo q̃ viuit, & ornare vitã eo quod dicit: Nec in his omnib. suam, sed auctoris gloriã quærit: atq; omnẽ sapientiæ gloriã quam vt loqueretur accepit: nõ suis se adsumat meritis, sed eorũ intercessionibus pro quib. loquitur accepisse. Sicq; dũ se infra deijcit, super est, qui suæ nimirũ magis succedi proficit, eo quod bona quæ exercere præualet, alienis meritis reddit. Indignum se omnib. iudicat, etiam cum dignus cunctis viuat. Scit n. quod bona quæ innotescunt hominib. sine periculo esse vix possunt. Et quamuis sapientem se esse sentiat: vellet tamen esse sapiens, non videri, atq; hoc sibi omnimodo quod loquenda proditur pertimescit, & si liceat, tacere appetit, dum esse multo tutius silentium cernit: eosq; se faliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat: & tamen vt sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi caritatis impellitur, ex necessitate quidẽ officium locutionis suscipit: sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. Hoc ferme voto: illud exercet ministerio. Hanc aũt dicendi formulam mangantes ignorant. Neq; enim loquuntur, quia causæ eueniunt, sed causas euenire appetunt vt loquantur.

Scientia sæpe propter auditores à Deo tribuitur.

Concionatoris improbitas plus affert nocumẽti, quam doctrina emolumenti.

§. Quin imo improbus concionator plus obest qui prodest, dum altera manu panem altera lapidem offerit, & quod ædificat verbo, destruit opere. Docet id S. Greg. l. 21. Moral. partim 7. partim 8. c. exponens mystice verba S. Iobi c. 31. v. 8. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. More sacri eloquij serere dicimus, verba vitæ prædicare. Hinc etenim propheta ait Isa. 32. v. 20. Beati qui seminatis super omnes aquas. Sanctæ quippe Ecclesiæ prædicatores super omnes aquas seminare conspexit, quia cunctis late populis verba vitæ quasi cœlestis panis grana tradiderunt. Comedere autem est bonis operibus satiari. Vnde per semetipsum veritas dicit Ioan. 4. v. 34. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Si ergo ea quæ protulit, facere prætermisit, mit: Seram, & alius comedat. Ac si apertè dicat: Quod os meum loquitur, non ego [illegible] tur ego-

ter operetur. Prædicator quippè qui à suis vocibus morib. discrepat, ieiunus ferit, q̃ alius manducet: quia suo semine ipse nõ pascitur, quando à verbi sui rectitudine praua actione vacuatur. Et quia plerũq; discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita, operum exemplo destruuntur, rectè subiungitur: Et progenies mea eradicetur. Doctoris n. progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur: quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neq; enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salom. 3. Reg. 3. v. 19. mulier filium quem vigilans lactare consueuerat, dormiens interemit, quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborũ lacte videbantur. Vnde plerunq; dum ipsi reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt: alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt, & quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Vnde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsiuit alienum Sed tamẽ veram matrem Salomonis gladius inuenit: quia videlicet cuius fructus viuat, vel cuius intereat, extremo examine ira districti iudicis demõstrat. V. Beda de Anglis cleric. & monach. l. 3. hist. Anglor. c. 26. Siquid, inquit, pecuniæ à diuitib. accipiebant mox pauperib. dabant. Nam neq; ad susceptionem potentiam sæculi, vel pecunias colligi, vel domos præuidere necesse fuit. Qui nunquam ad Ecclesiam nisi orationis tãtum & audiendi verbum Dei causa veniebant. Rex ipse cum oportunitas exegisset, cum quinq; tantum vel sex ministris veniebat & expleta in Ecclesia oratione discedebat. Quod si fortè eos ibi refici contingeret simplici tantũ & quotidiano fratrũ cibo cõtenti nil vltra q̃rebãt. Tota n. fuit sollicitudo doctorib. illis Deo seruiendi nõ seculo, erat tota cura cordis excolẽdi nõ vẽtris. Vnde & in magna, veneratione tẽpore illo religionis habit⁹, ita vt vbicũq; cleric⁹ aliq⁹ aut monach⁹ adueniret gaudẽter ab omnib. tãq; Dei famul⁹ exci-

Concionator recta docens & non facita aliis bonus sibi nequã est.

Talis similis vaccæ lacte nr lẽtrũ tm lac. i. & i pede euertẽti.

Trahentes discipulos post se Act. 20.

exciperetur. Etiam si in itinere pergens inueniretur occurrebant & flexo ceruice vel manu signare, vel ore illius se benedici gaudebant. Verbis quoq; horum exhortatoriis diligenter audiũ præbebant. Sed & diebus dominicis ad Ecclesiam siue ad monasteria certatim non reficiendi corporis, sed audiendi sermonis gratia confluebant. Et si quis sacerdotum in vicum forte deueniret, mox congregati in vnum vicum verbum vitæ ab illo petere cunctabant. Nam neq; alia ipsis sacerdotibus aut clero vicos adeundi quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi & vt breuiter dicam animas curandi causa fuit, qui in tantum erant ab omni auaritiæ peste castigati, vt ne territoria aut possessiones ad construenda monasteria nisi à potestatibus secularibus acciperent. Quæ consuetudo per omnia aliquanto post tempore in Ecclesiis Nordanhimbrorum seruata est.

CAPVT LVII.

IDONEVS DOCENDI MVNVS non refugiat.

§. CVM Concionator à scientia & virtute instructus est, non verecundia, non timiditate, non pigritia concionandi munus recuset, sed magna illud alacritate pro Dei gloria & animarum salute suscipiat & exantlet. Certus de amplissimo præmio. Matth. 5. 19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, quo vtique illud officium tam pium, tam sanctum negligentes carebunt.

Inuocatis & inuisis Christo Iudici sacerdotes, qui suorum salutẽ non promouent.

§. Hinc S. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 9. explanans verba Iobi 12. v. 19. *Ducit sacerdotes inglorios.* Magna, inquit, sacerdotis gloria est rectitudo subditorum. Vnde bene egregius prædicator discipulis dicit: *Quæ est enim nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos antè Dominum? Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quam de gloria

glorij ducuntur ? quia ante districtum iudicem nimirum gloriam tunc non inueniunt, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt.

§. Verum vt præmio carent, ita supplicio non carebunt, quod eleganter ex diuinis monumentis demonstrat S. Gregorius 3. part. Past. admonit. 26. Admonendi sunt, ait, qui cum prædicare vtiliter possunt: immoderata tamen humilitate refugiunt, vt ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias abscondunt: adiutores procul dubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt: morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Vnde & benè quidam sapiens dicit Eccles. 20. v. 32. Sapientia abscondita & thesaurus inuisus quæ vtilitas in vtrisq; ? Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi seruarent, auctores procul dubio mortis existerent. Quæ itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Vnde & benè per Salomonem dicitur Prou. 11 v. 26. Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur: quia in solius culpa silentij pro multorum quos corrigere potuit pœna damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluantur, aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt ea sectione verborum. Vnde & benè per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Ierem. 48. v. 10. Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur: Et gladius meus manducabit carnes. Hi autem cum apud se sermonem prædicationis occultant, diuinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem

Sicut opibus affluens & proximo extrema egestate & fame laboranti non subueniens reus est mortis ipsius, ita & doctrina præditus, si eam cum indigentib. non cõmunicet.

Mysticus Doctor Greg.

Deut. 32.

timor

timor expellat. Audiant quod talentum qui erogare nolait, sententia damnationis amisit. Mat. 25. v. 30. Audiant q̃ Paulus se à proximorũ sanguine mundũ credidit, quo feriendis eorũ vitiis nõ pepercit, dicẽs Act. 20. v. 26. Contestor vos hodierna die quia mundus sum à sanguine oĩm vestrorum, non n. subterfugi quo minus annunciarẽ omne consiliũ Dei vobis. Audiant q̃ in angelica Ioan. admonetur, cũ dicitur Apoc. 22. v. 17. Qui audit dicat veni. Vt nimirũ cui se vox interna insinuat, illuc ẽt clamando alios quo ipse rapitur trahat, ne clausas fores ẽt vocatus inveniat: si vocanti vacuus appropinquat. Audiant q̃ Esa. qui verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna veritatis nitẽtiæ semetipsum ipse reprehendit dicẽs c. 6. v. 5. Væ mihi quia tacui. Audiant q̃ per Salom. in illo prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod iã obtinuit torporem nõ tenetur. Ait nãq; Prou. 11. v. 15. Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Qui enim dum exterius benedicit: interioris augmenti pinguedinem recipit, & dum vino eloquij auditorum mentem debriare non desinit potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant quo Dauid hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens Psal. 39. v. 10. 11. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi: Audiant quod sponsi colloquio ad sponsam dicitur. Cant. 8. v. 13. Quæ habitas in hortis: amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Ecclesia quippè in hortis habitat, quia viriditatem intimam exculta plantaria virtutum seruat. Cuius vocem amicos auscultare, est electos quosq; verbum prædicationis illius desiderare: quam videlicet vocem sponsus animas desiderat: qui ad prædicationem eius per electorum studia animas anhelat. Audiant quod Moyses cum vrascentem Dominum populo cerneret: & assumi ad vlciscendum gladios iubet: illud parte Dei denunciauit existere qui delinquentium scelera districtanter ferirent, dicens Exodi 32. v. 26. Si quis Dominus est, adiungatur mihi: ponat vir gladium super femur suum. Ite et

Doctor alios erudiendo sibi prodest.

dite de porta vsq; ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem suum, & amicum & proximũ suum. Gladium quippè super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre: vt cum sancta quis studet dicere: curet necesse est illicitas suggestiones edomare. De porta vero vsq; portam ire, est à vitio vsq; ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium vero castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam viuere: vt qui delinquentium culpas redarguit: in nullius se debeat fauorem declinare. Vnde & rectè subiungitur: Occidat vir fratrem, & amicum, & proximum suum. Fratrem scilicet & amicum & proximum interficit: qui cum punienda inuenit: ab increpationis gladio nec eis quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo diuini amoris excitatur: profectò esse se Dei denegat, qui inquantum sufficit increpare vitam carnalium recusat. *Mystica expositio.*

§. Reprehenditur & punitur suos cogitans deserere subditos *V. Beda l. 2. hist. Anglor. c. 6. B. Laurentius Cantuarien. Archiepisc. socios suos Mellitum & Iustum exire è Britannia secuturus iussit ac ipsa nocte in Ecclesia beator. Apostolor. Pet. & Pauli stratũ sibi parari. In quo cũ post multas preces ac lacrymas ad Deũ pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescẽdũ mẽbra posuisset atq; dormiuisset apparuit ei beatiß. Apostolor. princeps, & multo illũ tẽpore secretæ noctis flagellis acriorib afficiens scisci-* *Disciplina sua correxit & docebit, me Ps 57. v. 36.*
tabatur apostolica district. quare gregẽ quẽ sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorũ oues Christi in medio luporũ positas, fugiens ipse dimitteret. An mei inq; oblitus es exẽpli q̃ p̃ paruulis Christi quos mihi in indiciũ suæ dilectionis cõmẽdauerat vinc- *S. Pet. exemplum pastoribus.*
tula, verbera, carceres, afflictiones, ipsãq; postremo mortẽ, mortẽ aũt crucis ab infidelibus ẽt inimicis Christi ipse cum Christo coronatus pertuli. His B. Petri flagellis & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius mox mane facto venit, ad regem & retecto operimento quantis esset verberibus laceratus ostendit. Qui multum miratus & inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere. Vt audiuit quod causa sua salutis

salutis Episcopus à B. Apostolo Christi tanta esset tormentorum ga sá perpessus, extimuit multum. Atq; anathematizato omni idololatriæ cultu & abdicato connubio non legitimo suscepit eidem Christi, & baptizatus Ecclesiæ rebus, quantum potuit omnibus consulere ac fauere curauit. Misit etiam in Galliam, reuocauit Mellitum & Iustum, eosque ad suas Ecclesias instituendas redire præcepit, qui post annum, ex quo abierant uersi sunt.

CAPVT LVIII.

CONCIONATOR AD AVDITORVM captum se accommodet.

§. S Augustin. libro de vera religione cap. 18. tradit qua ratione ad suorum captum, se Ecclesiastici accommodent Doctores. *Quod etiam, ait, temporibus nostris populi à magnis, & spiritalibus viris Ecclesiæ Catholicæ omnis video cautissimè prouideri: ne quid populariter agatur, quod nondum esse temporis, vt cum populo agatur intelligunt, alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus atq; instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vero & animalibus, quamuis nouis hominibus; adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum, cum quibus societatem vitæ huius intrauerunt. Hæc enim lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam, & percipiendam gratiam DEI, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit.*

1. Cor. 2. v. 1. 5. & c. 3. v. 1.

Ostentatores scientiæ.

CAPVT

CAPVT LIX.

SVPERBIA CONCIONATORI vitanda.

§. QVANTVMVIS verò Concionator literis, eloquentia, moribus instructissimus sit, caueat tamen vt pestem & venenum fastum & superbiam, qua de re superius etiam tractatum est.

§. *Quantopere vero arrogantia timenda, & velis, remisque fugienda sit, Ecclesiastico Doctori ostendit S. Augustin. Doctorum princeps, & tamen de se demisse confitens Epistola 132. ad Florentinam, quod esset Doctor non perfectus, sed cum docendis perficiendus, sic autem id loci ait: Et solicitissimè cauendum est in docendo superbiæ vitium, quod in discendo non ita est. Vnde & sancta scriptura nos admonet, dicens Iacobi 1. v. 19. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et ille in psalmo 50. v. 10. ait; Auditui meo dabis exultationem & lætitiam: continuoq; subiecit; Et exultabunt ossa humiliata. Vidit enim in audiendo facillimè seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo; quoniam necesse est, vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere ne subrepat elatio. Videsne quemadmodum periclitemur à quibus hoc exspectatur, vt non solum doctores simus, verum etiam cum simus homines, diuina doceamus? Sed laborum, periculorumque nostrorum singulare est solatium, cum ita proficitis, vt illo perueniatis, vbi nullius hominis doctoris egeatis. Isto autem periculo non tantum nos: nam ad illum, de quo dicturus sum, quid sumus nos? non ergo nos tantum periculo isto, sed etiam ille doctor gentium periclitatum se esse testatur, cum dicit 2. Cor. 12. v. 7. Ne in magnitudine reuelationum mearum extollar, datus est mihi stimulus carnis, & cæt. Vnde & ipse Dominus timoris huius admirabilis medicus; Nolite, inquit Matth. 23. v. 10. ab hominibus vocari Rabbi, vnus enim est magister vester Christus.*

S. Auguſt. de cendo proficit,

In altiore dignitatis gradu humilitatis periculū.

Operæ discipulorum, suæ solatium cōcionatori est auditorum profectus.

Quod retinens idem ipse Doctor gentium dicit 1. Corinth. 3. v. 7. *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat* DEVS. *Hoc & ille meminit, qui in natis mulierum, quanto magnus erat,* Matthæi 11. v. 11. *tanto se in omnibus humiliabat, indignum se affirmans, qui* CHRISTI *calceamenta portaret.* Matthæi 3. v. 11. *Quid enim aliud ostendit, vbi ait* Ioannis 3. v. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

§. De quo fastu & *Sanctus Prosper in Sancti Augustini sententijs capit.* 455. *Ad vitandam tentationem vanæ gloriæ melior est discentis conditio, quàm docentis. Tutius enim auditur veritas, quam prædicatur. Quoniam cum doctrina accipitur, humilitas custoditur. Cum autem disputatio placet, vix est vt differentem non pulset quantulacunque arrogantia.*

Quod cõciliatoris munus.

§. Christiani itaque Doctoris officium, quod ex iis, quæ hactenus diximus perspicitur, compendio vero illud exponit *Sanctus Augustinus libro quarto de doctrina Christiana capit. quarto. Debet igitur, ait, diuinarum Scripturarum tractator & Doctor, defensor rectæ fidei, & debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aduersos, remissos erigere, instruere scientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Vbi autem benevolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt sicut causa postulat.*

CAPVT

CAPVT LX.

PRECIBVS ET CONCIONATORI, ET AVditoribus conciliandus est DEVS, vt ritè munus suum expleat.

§. ANTE concionem rogandus DEVS, vt auditorum mentes illustret, vt veritatem congnoscant, & voluntates permoueat, vt quæ agenda sint efficaciter velint. *S. August. l. 4. de doct. Christ. cap. 15. Agit itaq; noster iste eloquens, cum & iusta, & sancta, & bona dicit: neq; enim alia debet dicere: agit ergo, quantum potest cum ista dicit: vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter, audiatur: & hæc se posse si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, vt orando pro se, ac pro illis quos est allocuturus sit orator antequam dictor. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad* DEVM *leuet animam sitientem, vt eructet, quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Et quis facit, vt quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri? Sapient. 7. vers. 16. Ac per hoc discat quidem omnia quæ docenda sunt, qui & nosse vult & docere, facultatem q; dicendi, vt decet virum Ecclesiasticum comparet. Ad horam vero ipsius dictionis illud potius bonæ menti cogitet conuenire, quod Dominus ait Matthæi 10. vers. 19. Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro* CHRISTO, *cur non & in eis qui tradunt discentibus* CHRISTVM? *Et ibidem capit. 30. Si enim regina orauit Hester cap. 14. v. 13. pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Regem, vt in os eius* DEVS *congruum sermonem daret: quanto magis orare debet, vt tale munus*

Quid concionatori, vt præstet, conandum.

Deus salutifer sermonis dictor.

Fiducia concionatoris in Deo.

accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat?

Incassũ vox cõcionatoris aures pulsat, si animus sit vitio intus corda non mouet.

§. Causſam huius rei, cur ante concionem precandum, veram dat B. Auguſt. *tract. 3. in 1. Epiſt. S. Ioannis.* Sonus, inquit, *verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt. Nolite putare quenquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter. Adeo fratres vultis noſſe? nunquid non ſermonem iſtum omnes audiſtis? Quam multi hinc indocti exituri ſunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus ſum: ſed quibus vnctio illa intus non loquitur, quos Spiritus ſanctus intus non docet, indocti redeunt. Magiſteria forinſecus, adiutoria quædam ſunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet: De Domino dico. Propterea ait & ipſe in Euangelio, Nolite vobis dicere magiſtrum in terra: vnus eſt magiſter veſter Chriſtus, Matth. 23. v. 10. Ipſe vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum intus eſt: quia etſi aliquis eſt à latere tuo, nullus eſt in corde tuo. Et non ſit nullus in corde tuo. Chriſtus ſit in corde. Vnctio ipſius ſit in corde, ne ſit in ſolitudine cor ſitiens, & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magiſter eſt qui docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet. Vbi illius inſpiratio, & illius vnctio non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba. Sic ſunt iſta verba fratres, quæ forinſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem: forinſecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ. Quælibet forinſecus adhibeat, nunquid poma formar? Nunquid nuditatem lignorum veſtit vmbra foliorum? Nunquid tale aliquid intrinſecus agit? Sed quis agit hoc? Audite agricolam Apoſtolum, videte quid ſumus: & audite magiſtrum interiorem. Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. 1. Corint. 3. v. 6. 7. Hoc ergo vobis dicimus. Siue plantemus, ſiue rigemus loquendo, non ſumus aliquid: ſed ille qui incrementum dat Deus, id eſt, vnctio illius, qui docet vos de omnibus. 1. Ioan. 2. v. 27.* Sane ipſe Apoſtolus

Sine interiore ſpiritu Doctore hiſtrionalis fruſtra exterior docet cor.

postolus *Ephes. 6. v. 19.* assiduas à Christianis preces rogat, vt inspiret illi Deus fiduciam, & in prædicando Euangelio dicendi libertatem. *Orantes*, ait, *& pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij: pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Ita & precabatur Dauid *Psalmo 50. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.*

§. Probat hoc *S. Gregor.* exemplo, *hom. 30. in Euangel. Per vocem*, ait, *non instruitur, quando mens per spiritum non vngitur. Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur? Certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret audiuit Genes. 4. v. 7. secundum 70. Peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus, non vnctione spiritus, audire verba Dei potuit, sed seruare contempsit.*

§. S. Gregor. homil. 17. in Euangelia docet docendi facultatem aliquando concionatoris vitio, aliquando auditorum delicto diuinitùs negari. *Pensate*, inquit, *fratres charissimi, q̃ dicitur: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suã. Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat: ne postquã prædicationis locum suscipimus, apud iustum iudicem nostra nos taciturnitas addicat. Sæpè enim pro sua nequitia prædicantium lingua restringitur. Sæpè vero ex subiectorum culpa agitur, vt eis, qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur. Ex sua quippe nequitia prædicantium lingua restringitur, sicut Psalmista ait Psalm. 49. v. 16. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas? Et rursum ex vitio subiectorum, vox prædicantium subtrahitur, sicut ad Ezechielem Dominus dicit Ezech. 3. v. 26. Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, & eris mutus nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Ac si apertè dicat: Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur; quia dum me in suis actibus plebs exasperat, non est digna cui exhor-*

Diuini verbi explicatio sæpe propter cõcionatoris vel concionãtiũ negatur

tatio veritatis fiat. Ex cuius ergo vitio prædicatori sermo subtrahatur, non facilè cognoscitur. Quia vero pastoris taciturnitas aliquando sibi, semper autem subiectis noceat certissime scitur. Sed vtinam si ad prædicationis virtutem non sufficimus, saltem nostri officium in innocentia vita teneamus.

CAPVT LXI.

PRAXIS HABENDI CONCIONEM.

§. COGITARE à DEO se inuitari Concionator debet ad ascendendum montem, cuiusdam altissimæ virtutis, & relinquendas terrenorum studiorum & operum valles. Illi enim dicitur *Isaiæ* 40. v. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere.* Precetur vt DEVS ipse se operarium suæ gratiæ idoneum efficiat, qui pro dignitate diuina iussa & mysteria populo exponat.

Excellens cõcionatoris munus.

§. Grato animo & submisso considerare debet Concionator, ad quam præstans & gloriosum opus sit vocatus à DEO, scilicet vt eius Legatus sit, vt inde cant verba illa *Sancti Pauli* 2. *Corinthiacæ* 5. *versic.* 20. Pro CHRISTO *legatione fungimur tanquam* DEO *exhortante per nos*, ita vt lingua mortalis fiat organum diuinæ vocis, oraculum Spiritus sancti. Est etiam Pater quidam spiritalis Concionator, ad multos in CHRISTO filios gignendos per Euangelium, ficut *Sanctus Paulus de seipso ait* 1. *Corinthior.* 4 *versic.* 15. *Per Euangelium ego vos genui*; vt quoniam princeps & primus omnium CHRISTVS DOMINVS, vt homo spiritum hunc fœcundum & vitalem vberrime suscepit, per quem plurimos DEO genuit filios, eiusdem beneficij ac dignitatis partem voluit cum Concionatoribus communicare, vt eius Vicarij sint in re tanta, quanta est

Concionator spiritalis pater.

munus

mortuos per peccata homines ad vitam spiritalem & dignitatem filiorum Dei reuocare.

Opus concionatori Dei gratia.

§. Vt quis sit idoneus DEI Minister ad animorum conuersionem, non est in hominum viribus positum, sed virtutem superat humanæ naturæ, idcirco Concionator non suis, vel naturæ donis, vel industriæ, eloquentiæ, ac doctrinæ, sed solum diuinæ gratiæ ac virtuti inniti debet: cuius est proprium Concionatorum mentibus vim ac lucem infundere, quæ ad hoc munus requiritur. Hinc gentium Doctor inquit *secundo Corinthiorum tertio, versiculo quinto. sufficientia nostra ex* DEO *est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera sed spiritu.* Quam ob rem ita laboret, ac studeat Concionator, vt omni sollicitudine abiecta ad fontem sapientiæ DEVM præcipuè confugiat, animum coram ipso expandens & præparans, vt penitus sua illum virtute DEVS & scientia compleat, ac simul obsecrans, vt ipse mentem & linguam suam impellat ac moderetur.

Omnis absit à concionatore ambitio.

§. Cum ad gloriam diuinam prædicandam Concionatores delecti sint, suæ gloriæ, existimationis, vel commoditatis omnino necesse est studium abijciant, & CHRISTVM DOMINVM imitentur, *qui in omnibus dictis & factis testabatur, non suam se, sed* DEI *Patris gloriam quærere. Ioannis septimo, versiculo decimo octauo, & octauo, v. 50. & Apostolus 2. Cor. quarto, versiculo quinto. Non nosmetipsos*, ait, *prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum.* Sciat quod in concionatorum animis ardentissimum studium esse debeat salutis animarum, & paternus omnino affectus erga eos, quos gignūt in Christo, ita vt quemadmodum mortales nullum recusant laborem, in educandis, ornandis, locupletandis liberis, & ad quam possunt altissimum gradum proue-
hendis, ita & ipsi enitantur ad virtutis & beatitatis fastigium illos extollere. Et sicut parentes filiorum

malis ac miseriis dolent, vt suis, ita ipsi intimis angantur sensibus, si quem videant in peccati & diaboli laqueos relabi: Atque in aliis adiuuandis, confirmandis & perficiendis, nulli parcant labori, aut incommodo suo vnquam defatigentur.

§. Quemadmodum Apostoli *Lucæ 24. v. 49. Act. 2. v. 1.* vt se idoneos redderent ad Euangelium prædicandum ex Domini præcepto abdiderunt se in domum, ibique in ardenti precatione persistentes diuini spiritus igne succensi prius ipsi paulo post orbem terrarum vniuersum inflammarunt, ita nunconcionatores, si aliquem ex suis laboribus fructum colligere volunt, ad Deum confugiant oportet, vt in oratione ac meditatione illorum, *Diuinus ignis exardescat, Psalm. 38. v. 3.* quo etiam auditores incendant. Id igitur à Deo petant, vt pondus verbis ipsorum addat. Ac sine dubio si bene petant, *Dominus dabit verbum euangelizantibus multa virtute. Psal. 67. v. 12.*

§. Magni est momenti ab omni cupiditate purgatos esse concionatores, vt verè de illis dicatur: *quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* *Rom. 10. v. 15.* Etenim ex hoc ministerio sæpè aut honores, aut ignominia apud homines existit. Vtrumq; autem æquo animo & moderatè ferendum. Imo libentius ignominiæ & contumeliæ amplectendæ sunt, quæ similiores nos Christo Domino efficiunt. Parietum alacritate deuorandæ sunt molestiæ, acerbitates, quas cum tam sancto ministerio infirmitas humana & diaboli peruersitas coniungit, Deo id ad nostræ mercedis cumulum permittente. *2. Cor 6. v. 3. ad 11.*

§. Dum operam nauant aliorum virtuti, cauendum est, ne seipsos negligant, & quodammodo obliuiscantur & audiant exprobrantem *Psalmo 49. vers. 16. Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam.*

Ppp

& proiecisti sermones meos retrorsum: si videbas furē, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas: Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos: quales declamatores & ipse detestatur *Seneca epistola 109. Nullos*, ait, *peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui aliter viuunt, quam viuendum esse præcipiunt; exempla enim inutilis disciplinæ circumferunt.* Imitentur ergo diuinum exemplum in seruatore nostro, *qui prius cepit facere, deinde docere Actorum 1. v. 1.*

§. Fugiant nimium ornatum, & operosam humani laboris industriam in verbis & sententiis, nam vt ait Demonax, *Sicut Philosophum decet vestis abiectior, ita decet vt oratio sit inaffectata*, & spiritu Apostolico vim nō ponant *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Neque aures audientium blando studeant sono permulcere, sed cor petant & monentem Isaiam audiant. *Loquimini ad cor Ierusalem. cap. 40. v. 2*

§. Absoluta concione quidquid effectum est, Deo tribuent, & si qua in re ipsi obstiterint diuinæ virtuti, & errauerint, supplices veniam petent.

CAPVT LXII.

SICVT MEDICVS DIVERSIS AEGROTIS diuersa adhibet medicamenta, ita & faciendum animarum medicis Antistitibus, Confessariis, Concionatoribus ac Pastoribus, de quibus hactenus multa nobis fuit dissertatio.

Quis spiritali & corporali medico propositus finis.

DOCET id præclare Theologus *S. Gregor. Nazianz. Apolog. 1. Quod ad vtriusque medicinæ, ait, corporalis scilicet & spiritalis fines attinet, illa nihil aliud spectat, quam vt sanitatem bonamq; carnis valetudinem vel præsentem tueatur, vel absentem reuocet: quorum vtrumque incertum est, iisne vti-*

ne vtilitati futurum sit, qui ea consecuti fuerint, (quippe cum res contrariæ maiorem plerumq; dominis suis vtilitatem afferant) quemadmodum opes & paupertas, gloria & ignominia, splendor & abiectio, cæteraq; alia, quæ suapte natura in media posita, nihiloq; magis in hanc quam in illam partem propendentia, ex dominorum vsu animiq; sententia vel virtutis, vel vitij nomen accipiunt. Huic contra scopus est animo pennas aptare, eumq; à mũdo abreptum Deo offerre, diuinæq; imaginis dignitatem vel integram atq; incolumẽ conseruare, vel periclitantem fulcire, vel dilapsam pristino splendore restituere Christumq; in Spiritum S. in pectoris domicilium admittere, eiq; denique, vt summa dicam, qui superno ordini sese adiunxerit, diuinam & supernam q; beatitudinem afferre. Huc magistra lex tendit: hoc inter Christum & legem interiecti prophetæ: huc spiritualium absolutor & finis Christus: huc inanita diuinitas: huc assumpta caro: huc noua illa Dei hominisq; cõmixtio, vnum ex vtroq; & vtrumq; per vnũ. Ob hanc causam Deus intermedia animam omni iunctus est, ac res inter se remotæ distractæq; per intermedia rei ad vtrãq; earum affinitatem & cognitionem inter se coniunctæ sunt, atq; oĩa salutis oĩm causa, & vno illo generis nostri fulgore in vnum coierunt, aĩa nimirum propter eam, quæ præcipuo diuino minimè paruit, caro propter eam, quæ aĩæ cupiditatem secuta est, simulq; cõdemnata, Christus denique, sublimior & præstantior, quã vt intra peccandi aleam esset, propter Adamum in peccatum collapsum. Ac nos huius medicinæ ministri operumq; participes sumus, quicunq; superiori loco sedemus: quib. tamen magnæ laudi ducendum est, propria vitia morbosq; perfricare, iisq; mederi (quanquam nondum id magnum censeri debet, eorum permultorum huius ordinis hominum improbitate vbi hanc orationem expreßit) multo tamen excellentius est aliorum morbos curare posse, sciteq; perpurgare, atq; vt vtrisq. conducibilius est, nempè & iis qui curatione indigent, & iis quib. medicandi scientiam profitentur. Nobis itaq; quib periclitatur ea salus, quæ beata est & immortalis, immortalibusq; vel superiis, vel laudib. prout vel vitium, vel virtutem coluerit, assignanda, quantum tandem certaminis propositum esse, quantaq; ea

Quo Christiana religionis mysteria intendant.

Christus extra peccati periculum.

Non corporis sed animæ salus agitur

opus esse existimãdum est, vt aliis aut nobis rectè medeamur, vitamq; in melius immutemus, terramq; spiritui addicamus? Nõn. eadem rationes nec iidem animorum impetus sunt maris & fœminæ, senectutis & adolescentiæ, diuitiarum & paupertatis, hilaris exporrectiq; animi & mœrore afflicti, sani & ægrotãtis, principum & subditorum, eruditorum & indoctorũ, audacium & meticulosorum, mansuetorum & iracundorum, munere suo præclarè fungentium & prolabentium. Quod si accuratius adhuc rem expendas, quantum interuallum inter coniugatos & cœlibes interiectum reperies? in iis rursus qui cœlibatum amplectuntur, quantum inter solitudinis alũnos, & eos qui societate aliorumq; consortio gaudent, discriminis erit, quantum inter virtute spectatissimos altiusq; contemplatione assurgentes, & eos qui recto duntaxat itinere progrediuntur? quantũ rursus inter vrbicos & rusticos, inter simplices apertosq; & versutiores, inter eos qui in reb. gerendis versantur, & quietis amãtes, inter eos qui ab aduersa rerũ mutatione vulnus acceperunt, & eos qui prospero cursu feruntur, nec duriore vnquã fortuna conflictati sunt? Horum n. vniquiq; cupiditatib. nõnunquam animiq; impetu magis inter se differunt, quã corporum figuris & lineamentis, aut, si mauis, elementorum, ex quib. constamus, mixturis & temperamentis: ac proinde nec facilè regi gubernariq; possunt. Verum quemadmodum non eadem medicamẽta, nec eadẽ alimenta corporib. omnib. offeruntur, sed alia aliis, habita videlic. vel sanitatis eorum vel aduersæ valetudinis ratione: eodem quoq; modo animæ diuersa ratione disciplinaq; curantur. Ii porro curationis testes sunt, qui morbis huiusce modi vexantur. Alios mouet oratio: alii antistitis exemplo componuntur: alii calcaribus opus habent, alii freno. Nam qui lentè & segniter ad virtutem mouentur, hi verborum stimulis excitandi sunt: qui vero spiritu plus quã par sit, incalescunt, ac præcipiti animorum impetu feruntur, velut equuli generosi procul à meta cursitantes, hos vtiq; orationis freno coercere, ac velut obstricto collo retardare præstiterit. Aliis laus prodest, aliis reprehensio, modo vtraque tempestiuè adhibeatur: nam intempestiuè & stultè adhibita nocumentum attulerit.

Ingeniorum & affectuum dissimilitudo

Pcrpulchrũ simile.

Spiritalis medi ina varietas.

Alios

Alios cohortatio ad officium ducit, alios obiurgatio, atq; hos rursus alios, si palam arguantur. Alios, si remotis arbitris inuentur. Sunt enim, qui nihil curent priuatas castigationes, publica autem reprehensione emendentur: Sunt rursus, qui liberius reprehensi pudorem omnem abstergant, contraq; primas castigationibus meliores fiant, ijsq; quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, vt eorum admonitionibus pareant. Quidam ita studiosè accurateq; obseruãdi sunt vt ne minima quidam & leuissima eorum dissimulentur errata, nimirum qui eo quod peccata sua nemini cognita fore putãt (quandoquidem id moliuntur) prudentiæ calliditatiq; laudem sibi insolenter arrogant: Contra in alijs ad nonnulla connivere satius fuerit (ita vt videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui ipsi nimium crebris obiurgationum aculeis confixi & obruti ad desperationem incitentur, tandemq; proiecto pudore quod ad inflectendos, alliciendosq; homines mirè efficax medicamentum est, ad quodlibet nefas perpetrandum audaciores reddantur. Quin etiam cum nonnullis ita agendum est, vt irati hominis ac contemnentis de salute eorum desperantis speciem præ te feras, cum tamen reuera nec ipsis irascaris, nec eos contẽnas, aut properditis ac desperatis habeas, quorum videlicet natura id requirit: alii rursus lenitate & humilitate curandi, coniunctaq; animi alacritate & promptitudine ad meliorem spem reuocandi. Alios vincere, aliis cedere plerumq; vtilius fuerit. Aliorum item opes & potentiam, aliorum egestatem, calamitatemq; vel laudare, vel execrari: neq; enim quemadmodum in virtute & vitio ita rem habere videmus, vt illa præclarissima semper, omnibusq; maximè fructuosa, hoc contra turpissimum, perniciosissimumq; sit eodem modo medicinæ quoq; nostræ ea est ratio, vt vnum idemque medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum: V. g. acerbitas aut clementia, singulaq; ex his quæ proximè à nobis enumerata sunt. Verum aliis hoc medicinæ genus bonum atq; vtile fuerit: aliis contraria medendi ratio conduxerit, prout, opinor, vel res, vel occasio tulerit, vel aegri tantum

Vigilãti sternore naso.

Desperatio periculosa.

tantium mores deniq; admiserint. Quæ quidem ratione omnia distinguere, atq; ita exactè perspicere, vt tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile est, quantacunq; cura & diligentia ingeniiq; sagacitate polleat: in rebus tamen ipsis & experimentis ea curatrici rationi & medico perspicua sunt. In vniuersum autem illud apud nos liquido constat, quod quemadmodum in sublimi & pēdulo fune gradientibus hac vel illac deflectere minimè tutum est, nec quamlibet parua inclinatio parium periculum affert, verum eorum salus ac securitas in æquilibrio posita est: ad eundem quoq; modum vtramuis in partem quispiam siue ob vitium, siue ob imperitiam propendeat, haud leue periculum tum ipsi, tum subditis immineat, ne in peccatum prolabantur. Quocirca via proculdubio regia ipsis magna cum circumspectione incedendum est, nec vel ad dextram, vel ad sinistram, vt est in prouerbiis cap. 4. versic. 27. declinandum. Ac talis morborum nostrorum natura est, tantusq; bono pastori labor incumbit, qui gregis animas probè cognitas perspectasq; habiturus est, eiq; iuxta pastoralis artis leges præiturus, duntaxat rectæ & iustæ ac vero pastore nostro dignæ.

Vt contra venena est Alexipharmacum, ita contra peccatū nō est vnum remedium. Aliorum rectiores funābuli.

§. Exemplo est S. Paulus 1. Corinth. 9. vers. 19. 20. 21. 22. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, iis qui sub lege sunt: quasi sub lege essē (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem, iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem CHRISTI) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus: vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum: vt omnes facerem saluos.

Ad aliorum ingenia se accommodat Apostolus.

§. Quomodo autem id egerit Apostolus, exponit optimus eius interpres Diuus Augustinus epistola 19 ad S. Hieronymum. Vtrisq;, inquit (Judæis & gentibus) debebat charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ac per hoc omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret non mentientis æstu, sed compatientis affectu, id est, non omnia mala hominum fallaci-

Commiseratio S. Pauli erga errātes, peccatores & quosuis miseros.

fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquã si sua essent, misericordis medicinæ diligentiã procurando. Hanc compatientis affectum, in ead. epist. ad Galat. præcipit, dicens: si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis attendens teipsum, & tu tenteris. Gal. 6. v. 1. Vide, si non dixit, fieri tanquam ille vt illum lucrifacias. Non vtiq; vt ipsum delictum fallaciter ageret, aut se id habere simularet: sed vt in alterius delicto, quod etiam sibi accidere posset, attenderet, atq; ita alteri tanquam sibi de altero vellet, misericorditer subueniret: hoc est non mentientis æstu, sed compatientis affectu sic Iudæo, sic gentili, sic cuilibet homini Paulus in errore, vel peccato aliquo constituto, non simulando, quod non erat, sed compatiendo, quia esse potuit, tanquam qui se hominem cogitaret, omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret.

§. Quod & epistola 9 ad eundem S. Hieron. D. Augustinus eleganti explanat similitudine cap. 4. Ista dixit Apostolus compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto: non cum febrem habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret. Ergo hoc totum dixit, non vt fallaciter se fingeret esse quod non erat, sed vt misericorditer eis ita subueniendum esse sentiret, ac si ipse in eodem morbo laboraret, non sc. mentientis æstu, sed compatientis affectu, sicut eo ipso generaliter intulit. Factus sum infirmis tanquam infirmus, vt infirmos lucrifacerem 1. Corint. 9. v. 22. vt sequens conclusio omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem, ad hoc referenda intelligatur, vt cuiusque infirmitatem tanquam in ipso miseratus appareat. Non enim & cum diceret. Quis infirmatur, & ego non infirmor. 2. Corinth. 11. versiculo 19. infirmitatem alterius simulasse potius, quam condoluisse, volebat intelligi.

§. Eandem personarum & ingeniorum rationem vt haberet, monuit Timotheum suum 1. epistola 5. v. 1. 2. Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem: iuuenes vt fratres: anus

vt matres: iuuenculas vt sorores in omni castitate.

Non tantum hoc probat, sed & commendat, & modum præscribit Optimus Pastor Sanctus Gregorius Magnus in Pastorali suo Parte tertia, capitibus 36.

1. Aliter admonendi sunt viri quam fœminæ.
2. Aliter iuuenes ac senes.
3. Alio modo inopes atque locupletes.
4. Non perinde læti ac tristes.
5. Alio pacto subditi ac prælati.
6. Non eodem modo serui ac domini.
7. Secùs sapientes ac hebetes.
8. Alia ratione impudentes quam verecundi.
9. Aliter proterui quam pusillanimes.
10. Aliter impatientes, aliter patientes.
11. Aliter beneuoli, aliter inuidi.
12. Aliter simplices, aliter impij.
13. Aliter incolumes, aliter ægri.
14. Aliter qui flagella metuunt, & ideo innocenter viuunt, atque aliter qui sic in iniquitatibus duruerunt, vt neque per flagella corrigantur.
15. Aliter nimis taciti, aliter multiloquio vacantes.
16. Aliter pigri, aliter præcipites.
17. Aliter mansueti, aliter iracundi.
18. Aliter humiles, aliter elati.
19. Aliter pertinaces, aliter constantes.
20. Aliter gulæ dediti, aliter abstinentes.
21. Aliter qui iam sua misericorditer tribuunt, aliter qui aliena adhuc rapere contendunt.
22. Aliter qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, aliter qui & sua tribuunt, & tamen aliena rapiunt.

23. Ali-

23. Aliter pacati, aliter discordes.
24. Aliter seminantes iurgia, aliter pacifici.
25. Aliter qui sacræ legis verba non intelligunt rectè, aliter qui rectè quidem intelligunt, sed hæc ita liter non loquuntur.
26. Aliter qui cum digne prædicare valeant, præ mia humilitate formidant, aliter quos à prædicando imperfectio vel ætas prohibet, & tamen præ cipitatio impellit.
27. Aliter qui in hoc quod temporaliter appetun prosperatur, aliter qui ea quidem quæ mundi sun concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fa gantur.
28. Aliter coniugiis obligati, aliter liberi,
29. Aliter peccatorum carnis conscij, aliter ignari.
30. Aliter qui peccata deplorant operum, aliter qu cogitationum.
31. Aliter qui admissa deplangunt, nec tamen dese runt, aliter qui deserunt, nec tamen plangunt.
32. Aliter qui illicita quæ faciunt, etiam laudant, a ter qui accusant prona, nec tamen deuitant.
33. Aliter qui repentina concupiscentia superantur aliter qui in culpa ex consilio ligantur.
34. Aliter qui bona nec inchoant, aliter qui inchoa ta minimè consummant.
35. Aliter qui mala occultè agunt, & bona publicè, aliter qui bona, quæ faciunt, abscondunt, & tamen quibusdam factis publicè malè de se opinari permittunt.

Quæ omnia sanctissimus ille ac eruditissimus Ecclesiæ Doctor singulatim explanat ad maximam animarum rectoris vtilitatem, qua, quæso, permotus il lum diligenter peruoluter, ego digitum in fontem intendi.

Quin & callidissimus ingeniorum propensionum-

que

que explorator Dæmon, vt latentius & efficacius noceat. S. Leo Magnus serm. 7. de Natiuitate Domini. *Quæ hoc Sacramentum mens comprehendere? quæ hanc gratiam valet lingua narrare? redit in innocentiam iniquitas, & in nouitatem vetustas: in adoptionem veniunt alieni, & in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis iusti, de auaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse cœlestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dextræ excelsi?* Psal. 77. v. 11. *Quoniam venit filius Dei dissoluere opera Diaboli:* 1. Ioannis 3. v. 8. *& ita se nobis, nos quoq; inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio fieret, hominis ad diuina prouectio. In hac autem dilectissimi misericordia Dei, cuius erga nos magnitudinem explicare valemus, multa solicitudine præcauendum est Christianis, ne diabolicis iterum capiantur insidiis, & eisdem rursus, quibus renunciauerant, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus, transfigurans se in Angelum lucis, deceptionum laqueos vbiq; prætẽdere, & vt quoquo modo fidem credentium, corrumpat, instare. Nouit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit, quem mœrore conturbit, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas quærit nocendi, vbi quemq; videret studiosius occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenaciùs obligauit, aptos suis artibus, quare ad alios decipiendos & ingeniis vtatur & linguis.* Et tales plærumque ipsis sunt Diabolis nocentiores.

Quantum beneficium incarnatio Filii Dei.

Damon mille artifex.

Dæmonis satellites & administri.

§. Hoc vel inuitus ostendit facto Diabolus: Nam vt est in vitis SS. Patrum, B. Abbas Macarius vidit Sathanam instar Pharmacopæi variis instructum pixidibus & ampullis, & ad suos pergentem fratres, vt si cui minus vnum adlubesceret venenum, sumeret aliud, superbiæ, luxuriæ, iracundiæ, inuidentiæ, & id genus aliorum vitiorum. Quod ergo perditus dæmon conatur ad perdendos homines, hoc nos seruati à Chri-

Pharmacæ non vendas pharmacopola mihi.

sto enitamur ad seruandos homines, sic ars deludi
arte bona scil. mala. *Non circumueniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius*, 2. Cor. 2. v. 11.

CAPVT LXIII.

ECCLESIASTICVS SVÆSIT famæ curator.

§. FAmam quæ est illæsæ dignitatis status legibus moribus comprobatus, bonam, & præclaram existimationem & habere & conseruare, & augere tantur, formidentque & caueant amittere. *Oportet* ait Apostolus 1. Timoth. 3. versic. 7. *autem & illum bo monium* (bonæ vitæ) *habere ab illis, qui foris sunt* (ab Ethnicis ne illi pristina opprobent peccata) *vt non in probrium* (infamiam) *incidat* (fiatque commune probrum) *& in laqueum Diaboli* (vt illius ignominia laqueo Diabolus partim fideles, partim infideles tiat, eosq; & à Sacerdote & religione auertat. De Apostoli loco Orig. hom. 6. in Leuit. & habetur 8. cap. 15. Licet. *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote populi præsentia, vt sciant homines, & certi sint, quod qui promotior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium & hoc attente populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam ne qua populus resideret. Hoc est, quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens : Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Quocirca & S. Timotheum 1. epist. 5. vers. 22. *à se ordinatum Episcopum hortatur Apostolus ne temere & inconsideratè Clericos consecret : Manus* inquit epist. 1. c. 5. v. 22. *cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis. Quam Apostoli sententiam explanat S. Leo epist. 85. & dist. 61. c. Miramur. Quid est, ait, manus cito imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et, quid communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui*

non meruit ordinari? Sic & Apostoli ordinaturi Diaconos ajunt Act.6.v.3. *Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia quos constituamus super hoc opus.*

§, De hoc publico honestæ vitæ testimonio B. Cyprian. epist.68. *Quod & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcepit dicens:* Numer. 20. versic.25. *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit, & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sic ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.* Quod postea secundum diuina magisteria obseruatur in *Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur: Surrexit,* inquit Act. 1. vers. 15. *Petrus in medio discentium, fuit autem turba in vno.* Nec hoc in Episcoporum tantum & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus obseruasse Apostolos animaduertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est, c.6. v.2. Et conuocauerunt inquit, illi duodecim totā plebē discipulorū & dixerunt eis. Quod vtiq; idcirco tam diligenter & caute conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalē locū indignus obreperet. Ordinari n. nonnunquā indignos, non secundū Dei voluntatē, sed secundum humanam præsumptionem & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima & iusta ordinatione Deus ipse manifestat per Oseæ Prophetam dicens c. 8. v. 4. *sibimetipsis constituerunt Regem & non per me. Propter q̄* diligenter de traditione diuina, & Apostolica obseruatione seruandū est, & tenendum, q̄ apud nos quoq; & fere per prouincias

Cur publicè fieri debeat Clericorum ordinatio.

vniuersas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem proximi proximi quiq; conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit.

Ante ordinationem inquirendum in Clericorum vitam.

§. Memoriæ prodidit Lampridius in vita Alexandri Seueri solitos Christianos proponere publicè nomina eorum, qui ordinandi erant Sacerdotes populumque rogare, vt si quis, quid criminis de quoquam nosset, ediceret. Sic & ordinandorum nomina publicè proponi, inq; illorum vitam inquiri sanciunt Tridentinum Synodus sess. 23. cap. 5. Cujus rei & in Eccles. modo extant vestigia.

Stoliditatis est & crudelitatis famã negligere.

§. De hac famæ integritate sollicitè tuenda præclarissimè philosophatur S. Augustinus libr. de bono viduit. c. 22. & habetur 11. quæst. 3. c. 54. *Non sanè diendi, siue viri sancti, siue fœminæ, quando reprehensa sunt quo negligentia sua per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi conscio Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non prudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes: qui occidunt animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis qua casta est displicet vita Sanctorum, siue etiam cum excusatione imitantium non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi nefacit, quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis forma nostra & vtiq; etiam quod aliis ministramus misericorditer alsalutem, ad nostram quoq; redundat vtilitatem. Vnde non frustra Apostolus. Prouidemus,* inquit Rom. 12. v. 17. 2. Cor. 8. v. 21. *bona non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus.* Idem dicit 1. Cori. 10. v. 33. *Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

Bona de nobis existimatio proximis necessaria.

§. In

§. In quadam etiam exhortatione dicit, Philip. 4. v. 8. *De cætero, fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; sancta, quæcunq; iusta, quæcunq; casta, quæcunq; charissima, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus: hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me.* Cernis quemadmodum inter multa quæ exhortando commonuit, non negleserit ponere, quæcunq; bonæ famæ, duobusq; verbis cuncta concluserit, vbi ait, *si qua virtus, si qua laus. Ad virtutem namq; pertinent, quæ antea memorauit bona, fama verò ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus alio loco dicens,* 1. Corinth. 4. v. 3. *Mihi autem minimum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Et alibi Galat. 1. versiculo 10. *si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et iterum 2. Corinth. 1. v. 12. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sed illorum duorum, id est, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod breuius dicitur, virtutis & laudis, vnum propter seipsum sapientissimè retinebat, aliud propter alios misericordissimè prouidebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones maleuolentissimas non potest omni ex parte vitare vbi pro existimatione nostra quidquid recte possumus fecerimus, si aliqui de nobis vel male credendo formam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planeq; etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis* Matth. 5. v. 11. 12. *etiam cum dicunt homines mala multa de nobis pietamen iusteq; viuentibus. Illa enim merces tanquam stipendium est militantium; per arma iustitiæ, non solum dextra, verum etiam sinistra, per gloriam scilicet & ignobilitatem per infamiam & bonam famam.* 2. Corinth. 6. v. 8. hoc est: siue honore & laude, siue probro & vituperio nos afficiant homines.

Contra falsas crimina tiones, quibus à nobis nulla data occasio exercenda patientia.

§. Idem sapientissimus & beatissimus Augustinus sermon. 49. de diuinis, qui est primus de communi vita Clericorum, & habetur 12. quæst. 1. cap. 10. Nolo. *Vobiscum*, inquit, *hic viuimus, & propter vos viuimus: & intentio votumq; nostrum est, vt apud Christum vobiscum sine*

fine viuamus. Credo autem ante oculos vestros esse conuersationem nostram: vt & nos dicere fortasis audeamus, quamuis illi multum impares qui dixit, 1. Corinth. 11. versiculo 1. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi Et ideo nolo, vt aliquis de nobis inueniat malè viuendi occasionem. Prouidemus enim bona, vt ait idem Apostolus 1. Corint. 8. versiculo 21. non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Propter nos, conscientia nostra sufficit nobis; propter vos, fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum Titum 2. versiculo 7. Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum: nostis omnes, aut pene omnes sic nos viuere in ea domo quæ dicitur domus Episcopi, vt quantum possumus imitemur Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum cap. 4. versiculo 32. Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Qui forte aliqui vestrum non sunt tam diligenter vitæ nostræ scrutatores, vt hoc sic nouerint, quomodo volo vos nosse: dico, quid sit quod breuiter dixi.

Fama propter proximũ necessaria.

Inhumanus & ferus vir Ecclesiasticus, bonum nomen neglectui habens.

Apostolicam cum suis virtutem auxit D. August.

§. Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me: vt quemodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, sic facerent, & illi, qui mecum esse voluissent, vt de communi viueremus. Commune autem nobis esset magnum & vberrimum prædium ipse Deus. Ecce, quomodo viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium; sed forte aliqui habent. Nulli licet: si qui habent, faciunt, quod non licet, Bene autem sentio de fratribus meis, & semper bene credens, ab hac inquisitione dissimulaui: quia & ista quærere, quasi male sentire videbatur. Noueram enim & noui omnes, qui mecum viuerent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ.

S. Augustin. religiosæ paupertatis cultor,

Religioso pauperi non licet quicquam habere proprium.

Curiosa inuestigatio in vitium diffidentiæ signum.

§. Vos

§. Verè & diserte pro suo ingenio Beatus Hieronymus epistola 11. ad Ageruchiam cap. 5. *Si Timotheo*, ait, dicitur 1. epistola cap. 5. versic. 11. *Adolescentiores viduas deuita.* Et iterum 1. epistola capit. 5. versicul. 2. *Ama, anus, vt matres; adolescentulas, vt sorores cum omni castitate: quare tu me commonentem non audias? Fuge personas, in quibus potest malæ conuersationis esse suspicio: nec paratum habeas illud è triuio: Sufficit mihi conscientia mea: non curo, quid de me loquantur homines* Et certe *Apostolus prouidebat bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*; 2. Corinth. 8. versiculo 21. *ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus.*

Ne fama nostra lædatur suspecta de vitio personæ vitanda.

§. *Habebat vtique potestatem sororem mulierem circumducendi*, 1. Corinth. 9. versiculo 5. *sed nolebat se iudicari ab infideli conscientia. Et cum posset de Euangelio viuere, diebus ac noctibus laborabat manibus suis, ne quem grauaret credentium.* 1. Thessalonicens. 2. versiculo 9. 2. Thessal. 3. versic. 8. *Si scandalizat*, inquit 1. Corinth. 8. versiculo 13. *esca fratrem, in æternum carnem non manducabo. Dicamus & nos: si scandalizet soror, vel frater non vnum, & alterum, sed totam Ecclesiam, nec sororem videbo, nec fratrem. Melius est rem familiarem minui, quam salutem animæ perire. Melius est amittere, quod, velimus, nolimus, aliquando periturum est. Melius est sponte dimittere, quam id amittere, pro quo omnia dimittenda sunt.*

Apostolus sollicitus famæ custos.

§. Et homilia 38. in Matth. operis imperfecti Diui Chrysostomi: *Quemadmodum*, inquit, *medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, omnium fides narcida est. Cor autem & stomachus Sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos*

Elegans similitudo.

Quod cor & stomachus in corpore hoc est Christiano populo Sacerdos.

totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locum est, ita Sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis, Esaiæ dicente de regibus quidem : Omne caput in dolore, de Sacerdotibus autem : Omne cor in tristitia. Sicut enim stomachus accipiens cibum, coquit eum in seipso & per totum corpus dispergit, sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas a Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho ministrante, vnumquodq; membrum suscipit nutrimentum, conuertit ipsum in se secundum suam naturam, vt puta quod suscipit iecur, totum fit sanguis : quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum : quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt : quod autem in mamillas, totum efficitur lac. Sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus verbum omnes suscipiunt, vnusquisq; autem conuertit illud secundum proprium cor, ita vt non idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad iram, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quæ sibilis : in aliis autem operetur dilectionem dulcissimam quasi mel, in aliis autem odia, quasi phlegma nociuum & expuendum. Videte ergo Sacerdotes quomodo vos componatis in verbo & opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus : si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma. Sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & Sacerdotes : si autem & Sacerdotes fuerint in peccatis totus populus constituitur ad peccandum. Ideo vnusquisq; Christianorum pro suo peccato reddet rationem : Sacerdotes autem non solum pro sua sed & pro omnium peccatis redditur. sunt rationem. Videbis arborem pallentibus foliis marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet. Namvere quemadmodum quum videris arborem pallentibus foliis marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem : ita cum videris populum indisciplinatum & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum.

Verbum Dei pro cuiusque affectione suscipitur.

Improbus sacerdos vnà secum in ruinam populum inclinat

Sacerdos & pro suis, & pro aliorum peccatis rationem reddet

§. *Vitia Antistitum se effundunt in populum*, vt benè ait S. Gregorius Nazianzen. Apologetico 1. *Neq; enim vel pannus tincturam ita facile contrahit, vel is, qui fœtido aut suaui odori propius sese adiunxit, eius particeps sit vel vapor quidam morbidus & noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur (quam nos vero nomine pestem dicimus) vt subditi præfectorum vitio celerrimè imbui atque impleri solent, & quidem multo facilius quam virtute. Hoc enim est, quod vitium probitatem maximè superat, quodque ipse animaduertens indignissime acerbissimeq; fero, quod cum res quædam facile imitabilis & exprompta sit improbitas, nihilque minoris negotii difficultatisque sit, quam malum fieri, etiam si nemo ducem se nobis ad vitium præbeat, rara tamen atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur ac retrahamur.* *Pulchra similia.* *Citius viticum Antistitis quam virtutem æmulatur populus.*

Quod etiam ipsum à Beatissimo Aggæo capit. 2. *animaduersum mihi fuisse videtur, cum admiranda illa verissimaq; imagine vteretur: Percontamini ex lege Sacerdotes, num si caro sancta in veste cibum aliquem aut potionem aut vas denique aliquod tetigerit, rei admotæ sanctitatem protinus allatura est? Quod cum pernegassent, Percontamini rursus,* inquit, *si qua res impuritati eorum propius admota fuerit, nonne impuritatem statim contrahet? tanquam videlicet eam piaculi participem fore, puritatemque suam contagione amissuram esse haud dubie affirmaturi sint. Quib. verbis, mea quidem sententia, hoc significat, virtutem huiusmodi esse, vt eam homines non nisi summo labore adipisci queant: quemadmodum nec humida materia ignem facile excipere solet: contra ad vitii perceptionem omnes fere mortales promptos idoneosq; esse non secus, vt opinor, ac stipula quædam ad scintillam ac ventum ob naturæ siccitatem facile accenditur, atq; consumitur. Citius enim exiguum vitium vberrime largissimeq; cuipiam impertiri queat, quam vel copiosissima virtus parce communicare. Nam & exiguum absinthium amarorem suum melli celerrime impertierit: mel contra ne duplo quidem maius dulcedinem suam* *Exiguos ardens euexit ad æthera virtus.* *Vitium in procliui.* *Absinthium & mel.*

absinthio infuderit : ac paruo quidem lapide submoto flumen totum in pronum trahitur : eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimiq; vix potest. Hoc igitur primum ex his quæ diximus, prouidendum est, nec eximiè admirandæq; virtutis mali Pictores appareamus, aut, vt rectius loquar, non mali fortasse Pictores sed malum plebis exemplar, atq; in illud prouerbiale incurramus, aliis mederi tentantes, ipsi vlceribus scateamus.

Pictura mala non imitanda.

§. Itaque *sic nos existimet homo*, (quilibet) *vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei* (hoc est arcanæ & diuinæ doctrinæ ac Sacramentorum Christi) 1. Corin. 4. versic. 1. *& in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia*, 2. Corinth. 6. versic. 4. Profecto qui de sustentatione, de diuitiis sollicitisunt, multo magis pro fama laborare debent : siquidem: *Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ, super argentum & aurum, gratia bona*, Prouerb. 22. versic. 1. Docet Salomon præclaram famam longe anteponendam opibus, & gratiositatem ac amabilitatem apud Deum & homines plurimum thesauris præstare, hæc enim bona vtilia sunt, illa verò honesta, honestas autem vtilitati præponderat. Plautus in Mostellaria:

Ego si bonam famam seruasso, sat ero diues.

Et salutare monitum est :

Omnia si perdas, famam seruare memento,
Qua semel amissa postea nullus eris.

Vt honestum conseruent nomen, quod Clericis agendum docet Conc. Trid.

Et illud Ecclesiast. cap. 41. versic. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Famam & virtutis celebritatem non modo in Diaconis & Sacerdotibus, sed etiam in Episcopis & purpuratis Principibus, Tridentina Synod. desiderat sess. 25. cap. 1. de Reformatione : *Optandum*, inquit, *vt ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes, agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro Dei gra-*

Ad quid Vocati Episcopi.

ria vocatos esse intelligant, nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem, innocentiamq; facilius inflammandos, si propositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatis contemptum præ se ferat. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit: Hæc de honesta fama & bona existimatione Ecclesiasticis summoperè necessaria nobis dicta sint, nunc etiam rationes ejus conciliandæ, tuendæ & augendæ exponamus. Vbi primo loco omnibus gratiosissima occurrit Modestia.

Episcoporũ emendatio Ecclesiastica disciplina instauratio.

Episcoporum frugalitas.

Cardinales à lege Ecclesiastica non exempti, sed eius præcipui cultores.

CAP. LXIV.

MODESTIA FAMÆ CONSERVATRIX.

Honesti mores ornamẽta Christianorum.

§. VErus ornatus maximè Christianorum & Christianarum non tantum nõ nullus fucus mendax, verum nec auri quidem vestisq; pompa, sed mores boni sunt, inquit Sanctus Augustinus epistola 73. ad Possidium. Et D. Petrus 1. epistola 3. affirmat *locupletem, copiosum ac sumptuosum ornatum in conspectu Dei esse spiritum quietum & modestum. Quod aurum fulgidius? quæ gemma nitidior, quod monile pulchrius Modestia?*

Quid sit Modestia.

§. Modestia, inquit Sanctus Augustinus libro de beata vita, *vtiq; dicta est à modo & à temperie temperantia. Vbi autem modus est atq; temperies, nec plus est quicquam nec minus.* Et Tull. libro 1. offic. *Modestia, quo in verbo modus ineest.* D. Ambrosius libro 1. offic. cap. 18. *Modestiam à modo sciendi, quid deceret appellatam arbitror.* Est autem modestia virtus, quæ internas animi passiones & externas actiones serias & ludicras, sermonem, risum, lusum, motus item & gestus corporis, atque hujus cultum vestitumque ac totum exteriùs hominem honestè ac decenter componit & moderatur.

In 4. Modestia cernitur.

§. Quatuor itaque sunt quibus temperamentum modumque adhibet modestia. Primo, facilioribus domitu affectibus præsertim ad excellentiam & curiositatem nitentibus frenum iniicit. Secundo. Modestia actiones serias & ludicras moderatur. Tertio mores motusque corporis dirigit. Quarto temperat corporis cultum ac vestitum.

§. Quæ modestia *Spiritus sancti fructus donum est* Galat. 5. v. 23. & proinde ab illo impetranda, & desidera-

in omnibus Christianis Philipp. 4. v. 5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, qua internam animi moderationem testemini, & qua alios ad Christianissimum capessendum vestramque imitandam modestiam inuitetis, Coloss. 3. v. 12. *Induite vos modestiam*, vt instar vestis vndique vos cingat & tegat, nec quicquam in vobis immodestiæ cernatur. Et 1. Petr. 3. v. 8. *Omnes modesti.* Et v. 16. *Cum modestia & timore habentes conscientiam bonam.* Tit. 3. v. 2. Vult *Apostolus omnes esse modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Exigit & potissimùm ab Ecclesiastico 1. Timoth. 3. ver. 3. *Non percussorem, sed modestum.* Et 2. Tim. 2. v. 25. *Cum modestia corripientem.*

§. Hæc modestia & Deo gratissima est, vt ex Sancto Petro epistola 1. cap. 3. vers. 4. paulò ante diximus, *quod modestus Spiritus sit apud Deum locuples*, cui sententiæ subjungit Sanctus Ambrosius libr. 1. offic. c. 8. *Magna igitur modestia, quæ cum sit etiam sui iuris remissior, nihil sibi vsurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, diues est apud Deum, apud quem nemo diues. Diues est modestia: quia portio Dei est.* Eadem modestia & ipsi homini vtilissima est: Siquidem vt est apud Salomonem Prouerb. 22. ver. 4. *Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita.* Præmium modestiæ est, quod homo perducatur ad firmiter sancteque timendum Deum, & ex hoc non modo temporales, sed multo magis spiritales & cœlestes, opes, honores & vitam consequatur: Quin & salutaris est proximo: *Quantum prosit modestia*, ait Diuus Ambrosius in cap. 2. epistolæ 2. Timoth. vers. 25. declaratur: *Si enim hoc in quibusdam hæreticis placitum est: quia humiles videntur: quanto magis laudabile & fructuosum erit in Catholico, si fuerit mitis, in quo & sensus vtilis, & grauitas imitanda percipitur?*

§. Et

§. Et quidem Modestia affectus regit humilitate & animi submissione cujus munus est, proprios in se defectus ac vitia, in proximo autem virtutes ac gratiam diuinitus acceptam intueri, atq; ea ex parte se illi posponere: de qua humilitate suo loco & tempore prolixius erit dicendum libris tribus de Christi humilitate. Hoc tamen silentio prætermittendum non est, quod B. N. Ignatius prudenter monet, vt in vera humilitate interna, & pace nos conseruemus, præ nobis tunc modestiam facilius & illustrius laturi. Et alibi vt in omnibus externis actionibus nostris appareat humilitas conjuncta cum religiosa maturitate, quia vt ait Beatus Greg. Nazianz. epistol. 139. *Modestia in grauitate sita est.* Ad Tit. 2. v. 7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.*

CAP. LXV

VT IN EXTERNIS ACTIONIBVS moderandis se habeat Modestia.

Modestia actiones serias & ludicras moderatur.

§. Modestia regit & temperat actiones serias & ludicras, excitatq; animaduersionem & diligentiam, ne quid temerè ac fortuito, inconsideratè negligenterq; agamus, cuius probabilem causam reddere non possemus. Ad quod tria potissimum requiruntur, de quibus S. Thom. 2. 2. q. 143. art. vnico. 1. bona ordinatio, vt discernamus quid faciendum, quid omittendum, quid hoc vel illo ordine tractandum, & in eo constanter perseueremus. 2. Ornatus, vt in actionibus decentia seruetur. 3. Auctoritas siue maturitas quædam in colloquiis. De joco autem & ludo & facetiis in quibus & modestia cernitur, vix quicquam verius, honestius, sanctius doceri potest, q̃ q̃ lib. 1. off. Cicero docuit, & approbatur à D. Th. 2. 2. q. 168. art. 2.

Locus & ludus.

§. Pa-

§. Primo *monet ne æstimemus ludum esse vitam nostram*, vt Sap. 15. v. 12. legimus. *Neq; enim ita generati à natura sumus*, inquit, *vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad studia quædam grauiora atq; maiora. Quocirca non ijs passim vti debemus, vt eam quasi artem profiteri videamur, quod scurrarum est*, sed nostræ facetiæ satis sint, ad sermonem ex Apostoli præcepto ad Colloss. 4. v. 6. condiendum, iiq; non excogitati, sed ex se nati de improuiso videantur.

Qui alios nugis delectare, & omnibus modis risum mouere nititur, est scurra.

§. Secundo exigit vt omnis ab ijs turpitudo absit. *Ipsum*, ait, *genus iocandi non profusum, nec immodestum, non illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum, sed ingenuum, elegans, vrbanum, ingeniosum, & facetum esse debet,*

Qualis iocus esse debeat.

§. Tertio hortatur, vt cum ad animi remissionem ludumq; descendimus, prouideamus, ne in quandam indecentiam ac leuitatem incidamus. *Vt pueris*, ait, *non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestatis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Et iterum: *Ludendi etiam est quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus, elatiq; voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Videndum est, ne quod nos pro faceto ducimus frigidum ineptumq; sit, neq; quempiam absentem præsentemq; vllo modo carpamus, ita vt nostra dicta nullam amaritudinem, sed amabilem suauitatem habeant cum argutia permixtam.*

Decentia & grauitas in iocatione seruanda.

Nec præsens, nec absens risu vel ioco contemnendus

§. Quarto vt jocus & lusus personæ, tempori, loco & aliis circumstantiis sit consentaneus. *Ingenuus iocus est*, inquit, *si tempore sit, ac remisso animo, libero dignus, & ludo & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tamen cum grauibus seriisq; rebus satisfecerimus. Itaq; cauebimus ne iis vtamur temporibus sacris aut aduersis & calamitosis, neq; apud magnæ authoritatis viros, neq; dum seria negotia tractantur. Quanquam autem in vtroq; ioco nimirum & ludo mediocritas optima sit, ne asperitate morum in aliorum odium, aut leuitate in contemptum veniamus, satius tamen est ad*

Iocandi & ludendi circumstantiæ.

Minus peccatur seueritate, quã iocatione.

ad seueritatem quandam declinare, in qua minus vitij & periculi ineſt.

§. Sanctus Baſilius cap. 13. Conſtit. Monaſt. facetias omnes omnino vitandas religioſo judicat. Primo quod iis animus ad ridicula diffundatur & grauitatis nerui elidantur. Secundo quod ea contagione ſenſim proſerpente paulatim, quis in verborum turpitudinem delabatur. Hoc ſatis indicat Scriptura Luc. 6. v. 25. *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Et nos ridendi materiam requirimus, vt hic ridentes, illic fleamus,* ait Sanctus Ambroſius libro 1. offic. cap. 23. S. Baſilius in reg. breu. c. 31. *cum Dominus eos damnet, qui in hac vita rident,* Luc. 6. *admodum perſpicuum eſt nullum omnino locum dari fideli in quo ridere debeat, & maxime in tam magno numero eorum qui per transgreſſionem legis Deum inhonorant & in peccatis morti ſe dant, quorum vicem mœrere ac gemere conuenit.*

§. Idem Sanctus Baſilius in Reg. fuſ. diſp. qu. Illud, inquit, *non mediocriter caueri debet ab iis, qui colendæ pietati ſtudent, ne in riſum præter modum effuſi ſint:* quia intemperantiam non abeſſe à ſe ſignificat, & animi motus nequaquam ſedatos declarat. *At modicè rictum ducere, eoq; animi ſui hilaritatem leniter ſignificare, non eſt contra decorum,* quatenus illud tantum indicetur, quod ſcriptum eſt Prouerb. 15. v. 13. *Cor gaudens exhilarat faciem. Illud autem in immanes cachinnos prorumpere, & corpore ſubſaltare, nequaquam eſt eius, qui animo compoſito ſit, ac plane probo, & compote ſui. Huiuſmodi genus riſus etiam Eccleſiaſtes damnans, tanquam rem animi conſtantiæ & grauitati maximè contrariam,* ſic dicit cap. 2. v. 2. *Riſum reputaui errorem.* Et cap. 7. v. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.* Eccleſiaſt. 21. v. 23. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens vix tacite ridebit.*

Riſus ſit moderatus.

Riſus animi index.

§. Affirmat Plato in lib. de Legib. *in riſu maximum ineſſe ſignum tum grauitatis tum lenitatis. Cui enim exiguum*

ryſus

risum commouet vehementiorem, declarat se esse inconstantis animi, nec considerare causas tristitiæ, quas miserrimus hominum status secum trahit, quas quia sapiens meditatus, hinc non nisi rarò & modicè ridet. Per multum risum debes cognoscere stultum. Et Ecclesiastici 7. vrsicul. 5. *Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi lætitia est.* Quid illa pudica, sancta & spiritu & corpore Virgo Sara? Tob. 3. versic. 17. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neq; cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Quid D. Ambrosius Sanctissimus Episcopus & Ecclesiæ Doctor? lib. 1. off. c. 23. *Non solum*, inquit, *profusos, sed etiam omnes iocos declinandos arbitror.* Quid ita? Quia tanto longius absumus ab illicitis, quanto castius & religiosius & à licitis continemus. Equidem seuerè, verè tamen ridentem fratrem Sanctus ille Eremita objurgauit dicens: *Ecce coram toto mundo de minimis etiam rebus Christo iudici sumus reddituri rationem, & tu rides?* Quis hæc seriò contemplans non dicat cum Sapientissimo Salomone Eccles. 2. v. 2. *Risum reputaui errorem & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Vertunt alii: *Risui dixi, insanis* (i. intellexi eum, qui ad risum inclinat, insanire) *& lætitiæ: Quid hoc facit?* (i. quid boni, quid commodi secum affert?) Ludicra omnia homines à recto abripiunt, *& sic extrema gaudii luctus occupat.* Prouer. 14. ver. 13. Sperne voluptates, nocet ampla dolore voluptas. Videat Lector S. Greg. lib. 3. Dialog. c. 14.

§. Ea autem in externis actionibus modestia, *omnibus*, vt ait S. Greg. Nazianz. *amica est, omnium fauorem & beneuolentiam conciliat. Vt enim pulchritudo corporis*, inquit Cic. l. 1. off. *apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, quibuscum viuitur, ordine & constantia, & moderatione dictorum omnium atq; factorum.* Vehementer oculos aspectumque oblectat hortus variis floribus

consitus, aut cælũ fulgentibus astris ornatum, sed non perinde atq; homo castis sanctisque moribus ornatus. Ex moribus enim, vt ait S. August. epist. 78. ad Hesychium apparet animus, animus, inquam, virtute qui nihil amabilius, nihil formosius aut jucundius ei praeditus. Neque solum hominum, sed & ipsius Dei gratiam parit & fauorem, castitatis donum conseruatur, & augetur modestia, proximus mirè ædificatur pax interna & externa alitur & fouetur.

CAP. LXVI.

MORVM CORPORISQVE motuum rectrix modestia.

Modestia in moribus. §. EAdem modestia gubernatrix ac moderatrix est gestus omnis ac motus corporis, vt status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manus caputque neant decorum. Quibus in rebus ait Tull. libr. 1. Of. *duo sunt maximè fugienda, ne quid effœminatum aut molle aut ne quid durum & rusticum sit. Cauendum etiam in gressu ne aut tarditatibus vtamur mollioribus, aut in festinationem animi suscipiamus celeritates. Innumerabiles autem sunt dissimilitudines naturæ morumque, minimè tamen vituperandarum.* *Nihil repugnante natura faciendum.* *Admodum autem tuenda sunt cuiq; non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum retineatur. Sic enim est faciendum, vt contra naturam vniuersam nihil contendamus, tamen conseruata, propriam naturam sequamur.* *Suus cuiq; mos.* *Vt etsi sint alia grauiora, atq; meliora, tamen nos studia nostra naturæ regula metiamur. Neq; enim naturæ attinet repugnare, nec quicquam sequi quod assequi nequeas. Nihil decet inuita (vt aiunt) Minerua, id est, aduersante & repugnante natura. Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quisq; habeat sui eaq; moderari, nec vellè experiri, quam se aliena deceant.*

enim quemq; decet, quod est cuiusq; suum maximè, suum igitur quisq; noscat ingenium acremq; se & vitiorum & bonorum suorum iudicem præbeat. Hæc Tull.

§. Quæ ex Cicerone non dubitauit mutuari S. Ambros. lib. 1. off. c. 18. *monet ne sensim ambulando imitemur histrionicos gestus, aut statuarum motus nutantium, aut gradum transferendo quasi modulos quosdam seruemus. Nec cursim ambulemus, nisi cum ea causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisq; pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit atq; affectatio, sed motus sit purus ac simplex. Nihil enim fucatum placet.* Motum natura informet. *Si quid sanè in natura vitii est industria emendet, vt ars desit non desit correctio.* Et cap. 19. *Vt molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neq; agrestem, ac rusticum. Naturam imitemur. Eius effigies formula disciplinæ, forma honestatis est.* S. Basilius epistol. 1. *Incessus esto nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus vehemens insolenterq; incitatus, ne consternatos impetus animi significet.* Sanctus Aug. regula 3. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

Regulæ modestiæ.

§. In moribus & actionibus hæ leges præscribi possunt, vt caput rectum, oculi demissi, manus quietæ teneantur. Vitetur corrugatio frontis, labiorum compressio vel diductio, incessus festinatio. Sit serenitas & hilaritas in vultu, munditia & decens compositio in vestibus, in sermone pauciloquium, sales sine dente, ioci sine vilitate, vox sine clamore, verborum suauitas, ac in gestu & motu exemplar virtutis.

§. Strictim attingit breuiterq; Modestiæ leges percurrit Sanctus Bernardus epist. 113. *O quam compositum,* inquit, *omnem corporis statum reddit, ne dum & mentis habitum disciplina? Cerucem submittit, ponit supercilia,*

componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, formatincessum. Breuius adhuc B. Hier. epist. 4. ad Rust. *De ludo monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites, quorum habitus, sermo, cultus, incessus, doctrina virtutum est.*

Saluatoris modestia.

§. Eximia planè ac diuina fuit Seruatoris nostri modestia, vt merito illam Apostolus vt excellentissimam ejus virtutem prædicet 2. Cor. 10. v. 1. *Obsecro*, inquit, *vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* Qui propter eã & agnus, quo nihil sedatius, appellatur. Puer duodennis tanquam inscius audiebat & interrogabat ipsa Dei veritas & sapientia Luc. 2. versic. 46. Eandem in Christo modestiam & valdè amat & laudat Deus Pater Isa. 42. v. 1. 2. 3. vt eum locum S. Matth. c. 12. v. 18. interpretatur. Quid illo in sacratissima passione modestius. *Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* 1. Petri. 2. ad contumelias, ad falsa testemonia ad injurias ad verbera obticuit ita, vt ejus modestiam hostes obstupescerent.

§. Similiter modestissimos, suauissimos ac sanctissimos mores Deiparæ Virginis describit l. 2. de Virgin. S. Ambr. citatus à nobis l. 1. c. 21. Quam modestiam verecundiamque in eadem sanctissima Virgine Domina nostra laudat idem B. Ambr. l. 1. off. c. 18. *Bonus regenda castitatis*, ait, *pudor est comes, qui si se prætẽdat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam, quæ ad tale munus eligeretur, astruit. Luc. 1. v. 28. 29. quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu eius, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur Virginis aspectus. Itaque quamuis esset humilis, præ verecundia tamen non resalutauit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suscipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus disceret, non vt sermonem refelleret.*

CAP.

CAP. LXVII.

MORES ACTVS QVE EXTERNI moderati & bonam famam conciliant, & conseruant & augent.

§ HI autem mores, actus, motus, habitus minimè negligendi sunt, nam 1. exterior illa modestia animi ac spiritus tranquillitatem & pacem fouet ac conseruat. 2. efficit vt opera illius suauissimum decoris & honestatis spirent odorem. 3. magnam homini gratiam, beneuolentiam, auctoritatem conciliat. 4. tacita est admonitio, vt immodesti componant mores suos. 5. inuitatio est efficax ad imitationem, cum ex ijs qualis quisque sit, cognoscatur. Cicero in Oratore. *Imago animi vultus est, indices oculi.* Ecclesiast. 19. v. 26. *Ex visu cognoscitur vir* (qualis sit, lætus, tristis, placidus, iracundus, pudicus, impudicus, sincerus, simulator, probus, improbus, horum enim affectuum testes sunt oculi, eorumque aspicientibus dant significationem) *& ab occursu faciei cognoscitur sensatus,* id est, prudens ex obiecta, conspecta & cognita facie. Ecclesiastic. 26. versi. 12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscitur.* Quia significat abesse verecundiam, quæ pudicitiæ custos est, & est signum superbiæ, quæ omnis peccati initium. Prouerb. 27. v. 19. *Quemadmodum in aquis resplendent facies perspicientium, sic manifesta sunt corda hominum prudentibus.* Pergit Ecclesiasticus cap. 19. v. 27. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Fingat, simulet, dissimuler, prodet se ipsa moribus & gestibus suis natura. Sicut enim ex vnguibus Leo, ex plumis auis, ex fructu arbor, ex sonitu metallum agnoscitur, ita hominis animus ex gestu motuque corporis, hinc dicimus quod

Modestiæ fructus.

Mores candelli pectoris.

quibusdam vel probitas vel nequitia eluceat ex oculis.

§. Sapienter & verè S. Augustinus in Regula. *Impudicus oculus impudici cordis est nuncius.* Et Diuus Ambr. lib. 1. offic. c. 18. *Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Ita homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior & maturior æstimatur. Itaq; vox quædam est animi corporis motus.* Affertque ibidem S. Ambros. exempla duorum, quorum cum in incessu luceret imago leuitatis, speciem quædam scurrarum percursantium, alterum in Cetum recipere noluerit, alterum sibi præire recusauerit. *Nec fefellit* ait S. Ambr. sententia: *Vterq; enim ab Ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebatur talis perfida animi demonstraretur.*

Incompositi mores Clericis indigni.

§. Non dissimile est, quod narrat B. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iul. Quem Iulianum cum Athenis vidisset Gregorius *me morum*, inquit, *ac gestus ipse inæquabilitas atq; ingens quædam mentis emotio vatem effingebat. Neq; enim mihi boni quicquam significare videbantur ceruix minime firma* (non secundum naturam constitens) *humeri quos subinde agitabat & attollebat, oculus vagus & oberrans* (circumactus) *& furiosum quid intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem, id est, contumeliam & contemptum significantia, risus proterui & exæstuantes (non intra rictus deductionem consistentes, verum instar bullientium ollarum evanescentes) nutus & renutus omni ratione carentes, sermo horum spiritu q; interciſus, interrogationes præcipites & impotentes, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes, non autem graues & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui, & ad eos qui præsto erant verbis vsus sum; Quale Romanorum regio malum alit? Hæc*

Iuliani Imperat. Apostatæ mores.

Nazian-

Nazianzenus docens, & nos Iuliani moribus, quales gestus motusque corporis deuitare debeamus. Iisdem gestibus quasi viuis coloribus hominem apostatam, inutilem, desertorem probitatis sibiq; ac aliis pernicioſum depingit Salomon Prou. 6. v. 12. *vt quod gradiatur ore peruerso, annuat oculis, terat pede, digito loquatur.*

Morũ correctio.

§. Quamuis a. lineamenta motusq; corporis indicia sint ꝓbitatis vel imꝓbitatis, ita vt *Cleanthes ex Zenonis sententia non malè dixerit: mores ex specie posse deprehendi*, negandum tamen non est, quæcunq; vitia virtute emendari posse, quod suo exemplo egregiè probauit Socrates: *Cum enim Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere inspectum Socratem pronunciasset hominem bardum ac stupidum, libidinosum ac vinolentum esse, cæteris eam coniectionem partim risu, partim indignatione excipientibus, ipse Socrates: Non falleris*, inquit *Zopyre, omnino talis eram futurus, nisi vitiosam naturam Philosophiæ præceptis superassem.* Quanto magis Ecclesiasticus, & Religiosus dicere potest: Talis fuissem, nisi me Religionis institutis imbuendum, formandum, perficiendum tradidissem. Corrigantur ergo naturæ vitia, sicut & præclaræ dotis à peruersis vitiantur. Nam & Cecilia Virgo Valeriánum sponsum, quem quasi leonem ferocem acceperat, quasi agnum mansuetissimum ad Christum destinauit, vt de ea canit Ecclesia. Et ille *qui erat puer ingenioſus, & animam sortitus bonam* Sap. 8. v. 19. eam fœdissimè depranauit 3. Reg. 11.

Natura vincitur arte.

Quis enim cælauerit ignem, Lumine qui pientia. *proprio pro aduersus iurantes locum testis tenent.* S. Augustſuo.

§. Sicut autem inclusus ignis scintillis quibusdam ꝓdit, ita & in animo insidens virtus moribus motibusque honestissimis quasi quibusdam igniculis se ostendit Prou. 17. v. 24. In facie prudentis lucet sa- ditur ipse epist. 54. ad Macedon. Ego, ait, intuens mores tuos, appel- laui

Viri probitas ex moribus cognoscitur.

lauit te virum bonum, q. d. Non possum non te judicare virum bonum, quem bonis moribus præditum esse video. Et ratio est, quia amor fingit formatque mores & vel bonum vel malum hominem efficit, prout ipse honestus aut turpis fuerit. Vnde idem Augustinus eidem Macedonio epistol. 52. sic scribit: *Quanquam & in hac vita (sicut in æterna) virtus non est nisi diligere, quod diligendum est. Id eligere, prudentia est: nullis inde auerti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus, Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Nec enim locis corporalibus vel extenditur vel includitur. Ad eum ergo qui vbiq; præsens est, & vbiq; totus, non pedibus accedimus, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisq; nouit, sed ex eo quod quisque diligit, diiudicari solent. Nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Prauitate ergo nostra à rectitudine Dei longe sumus. Vnde rectum amando corrigimur, vt recto recti adhærere possimus. Ad illum ergo, quanta opera possumus, etiam illi vt perueniant, agamus, quos tanquam nosipsos diligimus, si nosmetipsos diligere, illum diligendo iam nouimus.* Hæc Deo amabilissimus, Deique amantissimus Augustinus.

CAP.

CAP. LXVIII.

DE VESTITVS MODESTIA.

§ DEnique Modestia moderationem adhibet vestitui, de quo Tull. l. 1. off. *Victus cultusq; corporis ad valetudinem referuntur, & ad vires, non ad voluptatem. Atq; etiam si considerare volemus, quæ sit in natura excellentia & dignitas, intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere, quamq; honestum parcè, continenter, seuerè, sobriè* Et post: *Adhibenda est munditia non odiosa, neq; exquisita nimis, tantum quæ fugiat agrestem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio habenda est vestitus: in quo sicut in pleriſq; rebus mediocritas optima est.* Quæ mediocritas secundùm D. Ambros. lib. 1. off. cap. 19. *in eo posita est, vt vestitus non sit affectatus, sed naturalis & simplex, neglectus magis quam expetitus, vt honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.* Vide S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 1. & 2. S. Basil. in regulis breuioribus interrog. 50. docet illum, qui in vestitu, quæ sunt majoris sumptus reiicit, assumit autem quod vile est, quia se deceat, si idcirco vult quod se deceat, vt hominibus placeat, ostentationis vitio laborare. Verum de moderatione vestitus, quia ejus in Clericis insignis est abusus jam nunc vberius est disserendum, attamen *Modestia in vestitu.*

Hunc seruare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Neque dicam, nisi quod cum sacra Scriptura & Sancti & docti dixere Patres.

§. Vt modestiam famamq; seruet moderatus corporis cultus Clerico vtendus. Qualis quisque sit indicat corporis cultus. Hinc Ecclesiast. c. 19. v. 27. *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant,* *Vestis virũ indicat.*

de illo Sanctus Cyprianus libr. de habitu Virgin. *Continentia*, inquit, *& pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore.* Ergo comptuli Ecclesiastici parum æstimantur pudici sibique probro sunt & ignominiæ. *Parem*, ait ibidem D. Cyprianus *se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Mundi pompis & delitiis iam tunc renunciauimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus. Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt. Et nullarum fere pretiosior cultus, quam quarum pudor vilis est. Nitens cutis* ait S. Hieron. epist. 47. cap. 3. *sordidum ostendit animum.*

Religiosi in vestitu curiosi iustè reprehendun-tur.

§. S. Bernard. Apologia ad Guilhelmum Abbat. Apostolus ait, ita loquitur 1. ad Tim. 6. *habentes victum & vestitum his contenti simus. Nobis autem est pro victu sacietas, nec vestitum appetimus sed ornatum. Quæritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius inuenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat, non deniq; iuxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius ostentari. Quinis de seculo quantumlibet honoratus, etiamsi rex, etiamsi imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Cæterum in habitu, inquis, non est religio, sed in corde.* Bene. *Ex cordis thesauro sine dubio procedit quicquid foris apparet vitiosum. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.*

Splendor vestium vani cordis indicium.

Sumptuosas vestes superbia curat.

§. Quod vero non solum vanitatis & mollitiæ, sed etiam pretiosis indui vestibus sit superbiæ, inde colligit S. Greg. hom. 14. in Euang. cum ait: *Quod pro sola vani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri.*

videri. Quo pertinet illud Socratis ad Xanthippem conjugem singulari se veste induentem, vt ad pompam spectandam prodiret, dictum: *Hanc, inquit, non spectandi causa, sed potius vt specteris, habes.* Sicut habet Ælianus lib. de var. histor. Quot simiæ apparent in purpura, & quanta sæpè sub sordido pallio latet sapientia? Vestis non ornat virum sed vir vestem. Hinc plerumq; Imperatores Reges, magni Principes communi ac vulgari vtuntur amicta, vt nostro sæculo in Maximis illis Austriacis cernitur Principibus.

§. Sanè B. Martyr & suauissimus Doctor Cyprian. libro de disciplina & habitu Virgnum in illis & vestium ornatum reprehendit, quanto magis in viris Ecclesiasticis Deo consecratis? *Paulus*, ait, *ad cultum atque ornatum tuum iusto fine moderandum, sua voce præscribit. Sint, inquit*, 1. Tim. 2. v. 9. *mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neq; auro, neq; margaritis aut veste pretiosa, sed vt decet mulieres promittentes castitatem per bonam conuersationem. Item Petrus ad hæc eadem præcepta consentit, & dicit* 1. epist. 3. v. 3. *Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis. Quod si illi mulieres quoq; admonent coercendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum: quanto id magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui, competat venia; nec deriuari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? Cæterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, vt etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas & virgines Christi, quæ sic viuis vt possis adamari. Sic in Scripturis sanctis* Ap. 17. v. 1. 2. 3. 4. Eccles. 9. quibus

Notent hæc calamistrati, annulati viri.

Mulier compta gladius & venenū,

quibus nos instrui Dominus voluit, & moneri, describitur ciuitas meretrix, compta pulchrius & ornata, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta, peritura. Et venit, inquit, vnus ex septem Angelis habentibus phialas septem, & aggressus est me dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ. Et duxit me in spiritu: & vidi mulierem sedentem super bestiam, & mulier illa amicta erat pallio purpureo, & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretiosis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu sua plenum execrationum & immunditiæ, & fornicationis totius terræ.

Superbus habitus meretricius.

Pœna sumptuosi vestitus.

Clamat etiam Spiritu sancto plenus Isaias cap. 3. vers. 16. ad cap. vsq; finem, & filias Sion auro & argento, ac veste corruptas increpat, & obiurgat pernicioſis opibus affluentes, & a Deo per sæculi delicias recedentes: Exaltatæ sunt, ait, filiæ Sion, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum & crines, & cincinnos, & lunulas, & discriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, & annulos, & inaures, & serica contexta cum auro, & hyacintho. Et erit pro odore suauitatis puluis, & pro cingulo reste cingeris, & pro ornamento capitis aureo caluitium habebis. Hoc Deus culpat, hoc denotat: hinc corruptas esse virgines, hinc à cultu vero atq; diuino desciuisse pronunciat. Exaltatæ ceciderunt: compta turpitudinem fœditatemq; meruerunt: sericum & purpuram induta, Christum induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis nō id execretur & fugiat, q̃ aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde nec biberes, vnde interisse alios ante conspiceres. Nam

quanta

quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper, & noceat: & putare quod inde ipsa non pereas, vnde alios interisse cognoscas? Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretiosa; sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Hæc D. Cyprian. in magnam illorum Clericorum suggillationem, qui instar mulierc ularum crispantibus vel retortis crinibus annulis & armillis, sericis ac dissectis vestibus & calceis tanquam proci per compita, fora, loca publica volitant & fœminarum in se oculos convertunt.

CAP. LXIX.

IN MVLIEBREM CLERICORVM ornatum inuectiua.

SAnctus Bernard. in Declamatione: *Ecce nos reliquimus omnia. Videtur, ait & S. Dauid Psalm. 72. cauterio graui inurere quosdam, ipsi viderint quos hæc parabola tangat. In labore,* inquit, *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. Habent enim singula quæq; genera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed aduertere est prudentiam aliquorum, & mirari quemadmodum nouo inter hæc artificio discernentes, & ab inuicem sequestrantes ea, totum q̃ delectat, eligunt & amplectuntur: q̃ molestum est, fugiunt & declinant. Cum militibus nempe superbia fastus, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæq; frequentant, aliqui forte & dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atq; gloriam vestium à mulierculis mutuantur. Cautè omninò loricæ pondus, & insomnes in castris noctes incertaq; discrimina præliorum, muliebrē quoq; verecundiam & disciplinam, aut si quid aliud sexus ille laboris*

Quidam Ecclesiastici Angelis hominibusque ridiculi.

Sapientes vt faciunt malum.

Quid à fœminis mutuentur Ecclesiastici.

Ecclesiastico-rum delitiæ.

laboris habere cernitur, declinantes. Sudant agricolæ, portant & fodiunt vinitores, & qui inter hæc torpent ocio, accedente fructuum tempore innouari sibi horrea iubent, & promptuaria eorum plena, vtinam non præ illis, vtinam vel cum illis: vinum tritico, bibunt vuæ sanguinem meracissimum: parum est, impinguantur & dilatantur adipe frumenti. Herbarum viribus peregrinum mutuantur vina saporem, & additur oleum cammo. Sed considera & negociatores. Circumeunt mare & aridam, in labore corporis, & periculo vitæ perituras sibi diuitias congregantes. Dura sunt hæc: caueant prudentes nostri: dulces interea capiant somnos, ne dicam in stratis lasciuiant suis. Erit tamen inuenire in die festo graues vasis aureis & argenteis ministrorum dextras, refertas variis opibus mamticas, pertica, oneratas, & in scriniis tam multiplices loculos, vt si mensam adhibueris, numularios putes. Quid fabros aut Cæmentarios ceterosq; eiusmodi operarios necesse est numerare? Victum sibi multo labore quærunt, illi madent deliciis, copiis affluunt omnes. An non merito tales Poeta subsannet;

Ne cum forte suas repetitum venerit olim,
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus?

Magis autem magnus ille Propheta & plus quàm Propheta terribiliter increpat dicens: Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Vbi enim sunt pœnitentiæ fructus? Cum cœperint resurgere homines vnusquisq; in ordinem ad quem præfinitum est, exufflabunt eos, quod minimè secum laborem ad pericula tolerarint. Sic agricolæ, sic negociatores & singuli confusi. & quippe ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, remouerũt à Deo omnium re pote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi ne suo, vbi putas generatio ista locabitur? Si ad militem pertinet, vt qui locum vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Hæc apud inferos est, resurgent.

rum pertur si vt quos omnis ordo repellit pariter & accusat: eum sortebationẽ, q̃ superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi quæ-

las domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur

tur patiens redditor, pœnitentiam cupiens, quam vindictam. Ipsi, inquit, regnauerunt, & non ex me, extiterunt Principes, & ego non vocaui eos. Vniuersos siquidem in Ordinibus Ecclesiasticis cæterisq; ad sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut diuitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, manifestè prorsus & indubitanter, non ea quæ Deus est charitas, sed aliena à Deo, & quæ omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ est? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehennæ metus, & terribilis exspectatio illa iudicii. Ista D. Bernardus.

CAP. LXX.

QVIS PROBANDVS VESTITVS.

§ ID sapienter docet D. Basilius homilia 24. quæ est de legendis libris Gentilium, Comarum, inquit, aut vestium extra necessitatem curam gerere, vel infelicium est, (vt ait Diogenes) vel iniustorum. Nam cincinnatum & comptum, esse atq; appellari æquè turpe censendum assero, atq; impudicum esse aut alienis nuptiis insidiari. Quid enim apud eum qui sapit differre potest tenuem sumptuosamq; vestem induere, an vilem ferre? modo satis hæc ad frigus caloremq; arcendum fuerit. Et ad hunc modum etiam in reliquis quicquid necessitatis vsum excedit vitandum, neq; corpori plus ornatus dandum est, quam quantum animæ prosit. Nam viro generoso & verè hac digno appellatione non minus fuerit probrum lasciuè onerari aut corporis curam superuacuam gerere, quam alia aliqua nota seu affectu prauo per ignauiam affici. Omne namq; studium adhibere, vt corpus, quam optime se habeat, sese cognoscentis non est: Neq; sapiens illud præceptum intelligentis, nos admonens quemadmodum non id quod aspicitur, est homo. Excellenti n. quadã opus

Quod satis est, nec vltra.

est

est sapientia, per quam nostrum quilibet (quicunq; sit) se cognoscat: quæ profecto mente minimè purgatis non magis cernere potest, quam lippienti Solem aspicere. Hanc verò animæ purgationem, vt semel & quod vobis satis sit dicam, voluptates per sensus eripiunt.

Nec vestitus sordidus & obsoletus nec lautus sit Ecclesiasticis & splendidus.

§. Qualis ergo esse debet Clericorum vestitus? Qualis à S. Hieronym. describitur epist. 2. ad Nepot. c. 11. *Vestes pullas æquè deuita, vt candidas. Ornatus, & sordes, pari modo fugiendæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absq; amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est. Alioquin ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium orariumq; non habeas, gloriari.* Quod monet & Eustochium epistola 22. cap. 12. *Vestis*, ait, *nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis; ne ad te obuiam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.*

Qualis Sancti Augustini vestitus.

§. In S. Augustino prædicat Concilium Aquisgran. c. 124. quod de hoc præstantissimo Episcopo & Doctore Possidius Calamensis Antistes scribit in ejus vita cap. 22. *Vestis eius & calciamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: quia his plerumq; vel iactare se insolenter homines solent, vel abiicere, ex vtroque, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes. At iste beatus, vt dixi, medium veniebat, neq; in dexteram, neq; in sinistram declinans.*

Finis adminiculis ad finem modum imponit.

§. Et verò si vestis finem vsumque, qui est & abditas à natura partes obtegere, & impendentes aëris injurias propulsare, spectare velimus, intelligemus quod nulla de ornatu luxuq; cura nobis esse debeat. Quod sapienter docet Sanctus Basilius Magnus in regulis fusius disput. cap. 22. *Cum Apostolus*, ait, *dicat* Rom. 12. v. 16. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes: exquirat seipsum quisque, vtri magis assimilem esse Christiano hominem conueniat, iisne, qui habitant in aulis Regum, & mollibus vestimentis.*

vestiuntur, an nuncio & præconi aduentus Domini, quo in natis mulierum nullus surrexit maior, de Ioanne loquor filio Zachariæ, cuius vestimentum ex setis camelorum erat, Matth.3. v. 4. Quin & veteres sancti illi viri circumibant in melotis & pellibus caprinis, Hebr. 11. v. 37. Porro ad quem finem vsus is dirigi debebat, docuit nos Apostolus vnico verbo, cum dixit 1. Timoth.6.v.8. Habentes victum, integumentaque, his contenti simus: Quippè tanquam solo nobis integumento sit opus, neque iam amplius propter varietatem, eamque, quæ ex illa consequitur, exquisitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitium (ne quid dicam grauius) incidamus. Siquidē hæc postea ab inutilib. minimēq; necessarijs artib. in hominum vitam sunt importata. Atq; ēt perspicuum est, quisnam primus integumentorum vsus fuerit, qui à Domino ipso eo indigentibus est datus. Fecit n. illis, inquit Gen.3.v.21. Deus tunicas pelliceas: quandoquidē ad ea in corpore contegenda, quæ aspectu ipso minus fuerant honestatis habitura, satis erat etiam huiusce modi tunicarum vsus. Sed quoniam in vestimentis non hoc quæritur tantummodo, sed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incommoda depellantur, necessario ad vtramque rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ à cœli inclementia afferuntur, incommoda propulsentur.

Vtilis vestitus datus Adamo & Euæ à Deo

CAPVT LXXI.

PECVLIARIS VESTITVS PECVLIAREM vitæ statum, conditionem, ac institutum subindicat.

§. AD quid vero diuersa amictus ratio, vt Principum, Senatorum, ciuium, Ecclesiasticorum, ac Religiosorum valeat, ita id loci proxime citati etiam explanat *S. Basilius. Vtilis præterea, inquit, in hoc peculiaris hæc amictus ratio est, quod ea, qualis sit vnusquisque, antè*

Omne animaduersum tanto cõspectius in se. Crimen habet, quãto maior, qui peccat, habetur.

indicat, & vitæ, quæ ex Deo est, professionem antè velut testificatur: quæres facit, vt ab ijs, qui nos viderint, actionestium isti professioni consentáneæ requirantur. Neque enim si quid indecorum inhonestumue geritur, id similiter & in obscura hominibus, & in iis, qui illustres magna quædam profitentur, animaduerti perinde solet aut propalàm eluescit. Nam de vno aliquem, aut alioqui obscurum, si in publico is aut pulsat aliquem, aut aliunde ipse pulsetur, & obscœnas voces emittat, aut frequens in ganeo versetur, & alia generis eiusdem flagitiorum gat, haud facilè quisquam attenderit, quippè cum id existimet quisque, eius facta illa vniuerso vitæ illius instituto respondere. At, qui vita, genus ab omni parte absolutum profiteatur, huius vel latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes continuò obseruant, ipsique probri loco illud obiiciunt, & id quidem in Euangelio scriptum est, Matth. 7. faciunt: Conuersi dirumpent vos. Quo fit, vt imbecillioribus, veluti pædagogi disciplinæ sit quædam, qua inuiti etiam à rebus flagitiosis prohibentur, hæc quæ in vestitu foris apparet professio. Vt igitur peculiaru quædam in vestitu est ornatus militis, alius Senatoris, itemque aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum cuiusque capitur coniectura: Sic decorum quoque esse, ac consentaneum videtur, hominem Christianum in vestitu etiam præcipuum aliquid à cæteris seruare oportere, per quod traditum ab Apostolis modestum ornatum illum conseruet. Qui quidem modo cenſtatuit Episcopum ornatum esse debere, modo mulieribus, vt habitu ornato incedant, præcipit, ita tamen scilicet, vt ornatus ille cum vita Christiani hominis congruere intelligatur. Eadem mihi quoque in calceamentis ratio est, vt videlicet, quod quàm minimum præferat curiositatis, minimoque sumptu paratum possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis, id omni tempore præferatur.

CAPVT

CAPVT LXXII.

DE MODESTIA ET HONESTATE FAMILIÆ curanda, ei qui illibatam conseruare famam velit.

ID vrget *Apostolus* 1.*Timoth.*3.*v.*3 & 4.cum vult Ecclesiasticum suæ domui benè propositum. *Si quis autem*, ait, *domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit*? Ex œconomicæ rectionis dexteritate sumitur coniectura, & iudicium de gubernãdæ Ecclesiæ industria. *Ex sobria tenet mẽ iudicatur.* Qui idem Apostol. eiusdem *epist.Timoth.c.*5.*v.*8. *Si quis autem*, ait, *suorum maximi domesticorum curam* (vt corporis, & potissimũ animæ saluti prouideat & cõsulat) *nõ habet, fidem negauit* (si nõ verbo negauit saltem facto: qa & suam & Christianæ religionis bonã famã negligit, vnde eius cõtẽptus & obtrectatio nascitur) *& est infideli deterior* (vt qui naturæ & humanæ caritatis impulsu suæ familiæ potius, quam externorum rationem & prouisionem habeat.) Vnde & *S.Chrys.hom.*14.*in istam epistol.* *Non tantum in nostro, sed & alieno negotio caritate depugnandum.* *Plerique*, ait, *virtutem suam sibi satis esse ad salutem putant: & si vitam suam ritè disponant, deesse sibi nihil arbitrantur, sed hi profecto falluntur. Idq; apertè satis indicat seruus ille, qui talentum vnum sibi à Domino creditum, fodit in terram, Matt.*25.*v.* 26. *Neq; enim imminutum illud, sed integrum, & huiusmodi quale acceperat, retulit. Euidenter & B.Paulus hoc loco idipsum asserit dicens: Si quis suorũ ad se pertinentium curam nõ habet,* *Proximi præsertim domestici negligẽs damnantur.* *curæ nomine prouidentiã animæ & corporis significat, fidem negauit. Deum ait Tit.*1.*v.*16. *verbis se scire cõfitentur, factis autem negant. Quid autem præcipit is, cui credidimus, Deus? Domesticos, semmis tui ne despexeris, Isa.*58.*v.*7. *secundũ* 70. *Quomodo autem huiusmodi credit, qui Deum abnegauit? Quam latè patet detractionis locus dicentibus gentibus: Christianos sine affectione esse qui despiciant suos. Diuinas planè leges violat, & iura naturæ, qui negligit suos.* Ita S.Chrys.

§. Benè & Pont.Opt.Max *Ioan.VIII. dist.*86.*can.*4. *Facientis*, ait, *culpam proculdubio habet, qui potest, corrigere,*

negligit emendare; scriptum quippè est Rom.1.v.32. non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa. Et negligere cum possis perturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere: Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Et probat se odisse vitia, quis condemnat errantes. Neque reliquit sibi locum deuiandi, qui non pepercit erranti: Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum. Et non prodest alicui non puniri de proprio, qui puniendus est de alieno peccato.

Qui tacet, cõsentire videtur S. Bern. serm. in Natiuit. S. Ioan. Bapt. Est consentire, silere, cũ arguere possis.

§. Non tolerabat improbos domesticos S. Dauid Psal.100.v.2. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, v.4. Non adhæsit mihi cor prauum, v.5. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam, v.6. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata hic ministrabat, v.7. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. S. Augustin. in Psal.50. Charissimi, ait, in tantis morum diuersitate, & iam detestabili corruptela, regite domus vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, vt bonam rationem redddatis de his qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Peruersa autem & falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Facilitas venię, ait S. Ambros. serm.8. in Psalm.118 incentiuum tribuit delinquendi. S. Chrysost. oratione 1. contra Iudæos. Quemadmodum, ait, non ipsi tantum fures dant pœnas, verumetiam eadem pœna plectuntur ij, quibus cum esset potestas vetandi non vetuerunt tamen: ita non solum qui impiè agunt, verumetiam illi, qui cum possint ab impietate reuocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Apostolus 1. Corint. 5. v. 11. Si is, inquit, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebrio-

Quales S. Dauidis domestici.

A patrib familias exigẽda ratio de domesticis.

ebriosus, aut rapax cum eiusmodi nec cibum sumere. Atque hoc præceptum esse affirmat S. Irenæus libro 4. contra hæreses cap. 46. *Si propriam labem,* ait hoc loco *S. Chrys. peccator non peccantibus impartitur, multo magis externi sunt expellendi: si familiari non est parcendum, ne huiusmodi detrimentum sequatur, multo minus cæteris.*

CAPVT LXXIII.

CLERICI VT HONESTAM TVEANTVR famam inhonestos deuitent socios necesse est.

ID sæpè & præclarè monet *S. Hieron.* epistol. 2. ad Nepotianum presbyterum cap. 6. *Aegrotanti tibi,* ait, *quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si huiuscemodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ: multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si, propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo; nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolythus, si psaltes te sequitur: non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secreto, & absque arbitrio, vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum: habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatã: non est tã inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caueto omnes suspiciones; & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum,*

Societas vitæ testis.

Tollẽda mali occasio.

Amantium deliramẽta.

meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas vanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis, & in clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis viris ista formidem; sed quod in omni proposito, in omni gradu, & sexu, & boni, & mali reperiantur; malorumq; condemnatio, laus bonorum sit.

Abundans cautela non nocet.

Qui se improbis iungit in Dei offensam incidit.

§. Ob solum cum improbis commercium offenditur Deus, 2. Paralip. 11. 19. Regi Josaphat pacifice in domum suam in Jerusalem reuertenti, *occurrit Iehu filius Hanani, videns, & ait ad eum. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrem tuorum.* In quo Rex Josaphat alioquin religiosus non imitatus Davidem patrem suum dicentem *Psalm. 25. v. 4. Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo.* Nec secutus monita Salomonis *Prou. 1. v. 10. Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, & cap. 4. v. 14. Ne delectere in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, & cap. 23. v. 17. Nõ æmuletur cor tuũ peccatores, sed in timore Dom. esto tota die, quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nõ auferetur.*

Improba sodalitas morũ corruptrix. Ex consilio vitas non sibi fecit Salomon consuetudine impia vxorem mulier cultorem de pravatus.

§. Prava societas paulatim depravat & corrumpit innocentem. *Prou 13. v. 20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Ecclesiastici 13. v. 1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* 1 Corinth. 15. v. 33. 34. *Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia prava. Euigilate iusti, & nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor.* Menandri iste versiculus est:

Mores bonos corrumpit congressus malus.

De quo & Tertull. *lib. ad vxorem*: Connubium atq; Dominica commercia sectare memor illius versiculi sanctificati per Apostolum: *Bonos corrumpunt mores congressus mali.* Præcla-

rè Seneca l.3.de ira. Sumuntur.inquit,à conuersantibus mores, & vt quædam in contactis corpore vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini trahit. Impudicorum cœtus,fortemq́, & si liceat,virum emollit: Auaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem è diuerso ratio virtutum est,vt omne quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio & salubrius cœlum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari.

§ S.Chrysostomus in D.Matthæum commentans ait, Bonus sic malo connectitur,vt aut pares reddantur,aut cito ab inuicem separentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt,aut faciunt. Rerum enim natura sic habet, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melior efficiatur, sed ex malo bonus contaminetur: diuersitas enim rerum nunquam potest habere concordiam,& multos sollicitat societas nefanda. Quod & confirmat B.Isidoruslib.2. soliloq. Ante ignem(inquit)consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolueris,proximus periculo,diu tutus non erit. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpè familiaritas implicauit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè quod voluntas non potuit,assiduitas superauit, melius igitur est malorum habere odium(fugam)quam cõsortium,sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. Nec malè alibi Seneca.Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit,necesse est aut imiteris, aut oderis, vtrũq́,aũt deuitãdũ est,ne aut similis malis fias,quia multi sunt: ne vel inimicº multis:qa dissimiles sunt,cũ his conuersare,qui te meliorẽ facturi sunt, illos admitte,quos tu potes facere meliores.

Cõsuetudine mali facilius corrumpitur bonus,quam boni familiaritate emendetur bonus.

§ Quia ergo impij sceleris virus q conceperunt ipsi, in socios infundunt, hinc fit, q flagitiosi existimentur, qui cum nequam & perditis hominib.familiaritatem ineunt,& sic famam suam vehementer lædunt. S. Hieronym.epist 8. ad Demedriadem capit. 10. Mores & studia dominarum plerumq́,ex ancillarum & comitũ moribus iudicantur,& ep. 47 de vitando suspecto contubernio. Hoc tãco,inquit,quod si etiam hac conscientia vulnus non habet t habet tamen

Vnde infamia ex societate mala.

tamen fama ignominiam, quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere, quae vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit, quae etsi non percutiat certè solicitat. Securius est perire non posse, quam iuxta periculum non periisse, in altero tranquillitas est, in altero gubernatio, ibi gaudemus, hic euadimus, quod si dixeris. Et mihi sufficit conscientia mea, habeo Deum iudicem, qui mea vitae est testis; non curo quid loquantur homines: audi Apostolum scribentem. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

§. Istam à mala sodalitate corruptelam & infamiæ notam multis veteres prouerbiis significabant, qualia sunt *Eccles. 7. v. 2. Omnis homo similis sui sociabitur, 1. Cor. 5. v. 6. Modicum fermentum totam massam corrumpit, 2. Cor. 6. v. 14. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Graculus semper graculo assidet*, quod vsurpauit *Aristot. & S. Gregor. Nazianz. Cretensis cum Cretensi. Vulpes cum vulpe.* Et apud *Diogenem Laertium: Canis cani videtur pulcherrima, & boui bos, & asina asino, & sus sui. Et Theocritus: Formicæ grata est formica, cicada cicadæ, accipiter placet accipitri.*

§. Hinc & illa veterum documenta. *Theognis Cyrno, cum* commẽdasset, vt cum bonis assiduè versaretur, & ab eorum latere nunquam discederet, malos cõtra fugeret, subiecit: *nam à bonis bona disces: sin consuetudinem habeas cum improbis, amitteseam etiam, quæ præditus eras, mentem*, vt est apud *Xenophontem in commentario de dictis & factis Socratis & Aristotel. lib. 9. Ethicor. ad Nicomachum. Euripides in Phœnissis: Si quis*, ait, *malorum gaudeat commercio. Rogare qualis ipse sit, non est opus. Nam quisque similis est sodalitij sui. Pares cum paribus*, ait *Tullius in Catone facillimè congregantur. Æqualis æqualem delectat, senex senem, puer puerum, fœmina fœminam, ægrotus ægrotum, sanus sanum, probus probum, improbus improbum, lasciuus lasciuum. Simile gaudet simili. Proinde grauiter*

mandat

mandat *Apostolus* 2.*Thess.*3.*v.*6. *Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre, ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos.* Id est, Præcipimus vobis per ipsum Jesum Christum Dominum nostrum, vt subducatis vos ab omni Christiano Ecclesiasticam & Christianam disciplinam à me traditam non seruante, & meam institutionem ac viuendi rationem sequimini, meorum operum vestigiis constanter insistite. *D. Paulus rectè viuendi typus & norma.*

CAPVT LXXIV.

NIHIL ADMIRABILITATIS VEL NOVITATIS habet, quod optimis sæpè viris præsertim Ecclesiasticis ac Religiosis, & hi vt figuli figulis obtrectent improbi, & quod aduersus hos solatium.

NEMO tam perspicax, tam lynceus est in miserrimæ huius vitæ tenebris, vt nihil offendat, nusquam incurrat. *In multis enim offendimus omnes. Iacob.* 3. *v.* 2. *Et non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccles.*7.*v.*21. Vt qui minimis vrgetur vitiis, sit optimus. Quam ansam arripientes calumniatores, nõ modo illa quæcunque vitia malitiosè augent, & ex musca elephantum faciunt, sed etiam falsa contra probos viros crimina comminiscuntur, eorumq; virtutes tanquam scelera traducunt & accusant: Et etiamsi quis omnes suspiciones caueat, & quidquid probabiliter fingi aut dici possit, antequam dicatur, euitet, adhuc tamen in illorum maleuolorũ oculos & voculas, & sermunculos incurrit. Et quid quæso facies illis, de quibus Isaiæ 5.v.20. *Væ his, qui dicitis malum, bonum, & bonum, malum ponentes tenebras, lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum* *Virtus enim gloriam, gloria parit inuidiam.*

in dulce, & dulce in amarum. Hi sunt qui parsimoniam tenacitatem, frugalitatem auaritiam: liberalitatem effusionem & prodigalitatem: zelum iustitiæ crudelitatẽ: grauitatem morositatem, amabilitatem leuitatẽ, pietatem simulationem, prudentiam astutiam, iucunditatem dissolutionem, taciturnitatem stupiditatem, quod vt probabiliter mentiantur procliue est.

Nam mala sunt vicina bonis, errore sub illo.
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

Solatia innocentum aduersus nocentum calumnias.

§. *S. Greg. l. 9. epist. 39. ad Theotistam patritiam* istis eam rationibus contra calumniam consolatur. *Iudico autem,* inquit, *quod leuitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nuntiantib. quibusdam agnoui. Qua ex re excellentiã vestram audio fuisse nõ modicè contristatã. Quod si ita est, valdè miror cur vos qui cor fixistis in cœlo, verba hominum agitantur terra? Beatus n. Iob, cũ amici eius, qui ad consolandũ eum venerant in increpationẽ prosilissent, ait Iob. 16. Ecce n. in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Qui n. vitæ suæ testem in cœlo habet, iudicia hominũ in terra pertimescere nõ debet. Dux quoq; bonorum Paul. dicit 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Qui iterũ dicit Gal. 6. opus suũ probet vnusquisq;, & sic in semetipso gloriam habebit, & nõ in altero. Si n. laudib. lætamur; & vituperationibus frãgimur, gloriã nostrã nõ in nobis, sed in aliorũ ore portam⁹. Et fatuæ virgines in vasis suis oleũ nõ sumpserũt, sapientes aũt sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadib. Mat. 25. Lampades quippe nostræ, bona sunt opera. De quib. scriptum est Mat. 5. luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrem vestrũ qui in cœlis est. Tunc aũt oleum in vasis cũ lampadib. sumimus, quãdo de bonis actib. nitorem gloriæ non laudantib. proximis quærimus, sed hunc in testimonio conscientiæ seruamus. In omne aũt q̃ agimus, vel quod extra de nobis dicitur recurrere ad arcana mentis debemus. Et si oẽs vituperent, liber est tamen quẽ conscientia non accusat. Vnde de Ioan. veritas dicit Mat. 11. Quid existis in desertũ videre? arundinem vento agitatã? Quod videl. per*

Animũ insitũ in cælestibus non mouent hominũ sermunculi.

Cui innocentiæ testis Deus iudicia hominum non pertimescit.

Conscientia mille testes.

Bonorũ operũ lãpas lucet, & oleum in vasis seruatur cum laus humana non quæritur.

negationem dicitur, nõ per confirmationẽ. Negatur aũt, quia Io an. arũdo vẽto agitata fuerit, quoniã mẽtis eius fortitudinẽ nulla humani oris aura flectebat. Nos n. si laudib. erigimur, vituperationib. humiliamur, arundo vẽto agitata sumus. Sed absit hoc, absit à corde excellentiæ vestræ. Scio, quia magistrũ gentium studiosè legitis, qui ait Gal. 1. Ego si hominib. adhuc placerẽ, Christi seruus nõ essem. Si qua tamen vel parua tristitia hac ex re menti vestræ exorta est, credo q̃ hoc fieri oĩpotens Deus benignè permisit. Neq; n. electis suis in hac vita permisit gaudia delectationis, sed amaritudinẽ tribulationis: vt medicinæ more, per amarum poculum ad dulcedinẽ æternæ salutis redeãt. Quid nãq; dicit Io. 16. Mundus gaudebit, & vos lugebitis. Super quam promissionẽ paulo post additur: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hinc iterũ discipulis dicit Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate quæso, vbi erit patiẽtia, si deest q̃ tolleretur: Quia ergo scriptura teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse de stultorũ vocibus excellentia vestra turbari nullatenus debet: maximè quia in omnipotentis Dei misericordia tunc certa fiducia est, quãdo pro bono opere aduersitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione seruetur. Vnde in S. Euangel. veritas dicit Mat. 5. Beati eritis cũ aduersum vos omne malũ dixerint homines, mentientes propter nomen meũ. Qui in consolatione nostra sua in exẽplum adducere opprobria dignatus est, dicens Mat 10. Si patrẽfamilias Beelzebub vocauerũt, quanto magis domesticos eius? Sunt aũt plurimi qui vitã bonorum amplius quã debent laudãt: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & obiurgationẽ prorumpere, vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantiũ suffocetur. Hinc 2. Cor. 6. est ergo q̃ Doctor gentiũ se in p̃dicatione currere testatur per infamiã & bonam famã. Qui ẽt ibid. dicit. Vt seductores & veraces. Si ergo fuerunt q̃ malam famã Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis nunc Christianus debet indignũ ducere, pro Christo iniurias audire? Quãta aũt virtutis præcursor nostri redẽptoris fuit, nouimus, q̃ per sacrũ eloquium non solum plus quã propheta, sed ẽt angelus vocatur, & tamẽ sicut mortis huius historia testatur, post mortẽ à

S. Ioan inuictus contra blanditias & laudes.

Res aduersæ materia patientiæ.

Beati spe, futuri re, qui contumelias patiuntur iniustè.

Christus in opprobriis patientiæ exemplum.

Cur Deus permittat bonos obtrectationibus vexari.

Iniuria S. Ioan. Bapt. à morte illata.

Præcipuum in tolerãdis iniurijs Christus patientiæ exẽpla.

à persecutoribus eius corpus incensum est? Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso sancto sanctorum, id est Deo, qui pro nobis homo factus est, loquamur: qui ante mortẽ, iniuria, quia dæmonium haberet, audiuit. Post mortem vero à persecutoribus suis seductor appellatus est, cum dicerent Matth.27. Scimus, quia seductor ille dixit, post tres dies resurgam. Quanto ergo nos peccatores à lingua vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in aduentu æterni Iudicis iudicandi sumus, si & ipse tanta post mortem pertulit, qui & iudex venit? Hæc dulcissima & excellentissima filia breuiter dixi, ne quotus homines stultos tibi derogare cognoscis, qualibet vel parua mentis tristitia tangaris.

Alia ex sacris literis aduersus ob trectationes consolatio.

§. Ista S. Gregor. cui adiungendum Dei solatium apud Isaiam capit. 51. versic. 7. vbi alloquitur Ecclesiam, consolatur & præparat ad tolerandas maleuorum cotumelias, neque enim fieri potest, vt probi, iustique viri serpentinas improborum linguas & caninos inuidorum dentes effugiant. *Audite*, inquit, *me, qui scitis iustum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum sic comedent eos vermes, & sicut lanam sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum. Audite*, inquit, *me, qui scitis iustum*, i. qui vsu & experimento didicistis, & nostis quid æquum, rectũ & iustum sit. Vnde & 70. habent, cum S Aug. epist. 137. *qui scitis iudicium.* Et quia æquitas, iustitia, & virtus, ex sacra Scriptura maximè cognoscitur, vbi Deus, & recte factorum remunerator, & perperam actorum vindex declaratur, subiungit, *Populus meus, lex mea in corde eorum*, (scilicet conser-

Practica est debet diuinarum rerũ scientia.

tur) *S. Aug. epist. 137 ad pop. Hippon.* legit, *in quorum corde lex mea est*) quo significat se actuosam iusti scientiam, exigere, vt lex cognita non sit tantum in intelligentia & memoria, non in ore & codice, sed in corde, *vt in corde bono & optimo verbum Dei retineamus, & fructum affe-*

ramus

ramus in patientia. Luc. 8. Psal. 118 in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, & Psalm. 86. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Præclare cum homine agitur, cum ita lex Dei in corde ipsius est, vt & lingua loquatur iudicium, & gressus eius non supplantentur, neque excidant aut deflectant à virtutis tramite. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. 11. vers. 28. *Nolite timere opprobrium hominum.* Matth. 5. v. 11. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & blasphemias ne metuatis*, id est, irrisiones & contemptum. *Septuaginta: & contemptu eorum ne vincamini*, vt scilicet tristi, abiecto, & diffidenti fortis animo, ac propterea à veritatis & virtutis via deflectatis. *S. Augustin. loc. cit. detractione eorum ne superemini, nec quod vos spernunt magni, duxeritis.* Quid ita? quia & illorum vexatio breuis erit, & nostra felicitas quæ inde obueniet, perpetua, *sicut vestimenta sic comedet eos vermis, Septuag. consumentur à tempore. Iob. 13. v. 18. qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea, & sicut lanam sic deuorabit eos tinea. Augustin. sicut enim vestimentum sic per tempus absumentur, & sicut lana in tinea sic comedentur, iustitia autem mea in æternum manet.*

§. In vtramque partem, & vt homo honestam de se opinionem sustineat, & vt moderate tuuc obtrectatorum calumnias ferat, egregiè disputat S. Paulin. Nolanus Episcopus epistola 14 ad Celantiam cap. 6. apud S. Hieron. *Vas electionis Paulus, inquit, dum castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, 1. Corinth. 9. v. 27. non ob solam, vt quidam imperiti putant, hoc facit castitatem: non enim huic tantummodo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur, neq; magna, aut tota Apostoli gloria est, non fornicari: sed hoc agit, vt castigatione corporis erudiatur animus, quantoque nil ex voluptatibus concupiscit, tanto magis possit de virtutibus cogita-*

Eximium documentũ vt quis criminationẽ deuitet, & illatã moderatè toleret.

Abstinentia omniũ virtutum subsidium.

cogitare, ne perfectionis magister imperfectum aliquid in se ostendat; ne CHRISTI imitator, extra præceptum quicquam aut voluntatem CHRISTI faciat; neue minus exemplo, quam verbo doceat; cumque alijs prædicauerit, ipse reprobetur; audiatque cum phariſæis: Dicunt enim & non faciunt. Apostolici vero, & præcepti est & exempli vt habeamus rationem non conscientiæ tantum, sed etiam famæ. Non superfluum, & à fructu vacuum, gentium magister hoc docet: vult enim etiam extraneos ad fidem homines perfidelium opera proficere, vt religionem ipsam religionis disciplina commendet, & ideo sicut luminaria in mundo lucere nos iubet, in medio nationis prauæ, & peruersæ. Philipp. 2. versic. 15. vt immaculatæ mentes errantium ex nostrorum actuum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant, vnde ipse ad Romanos ait capite 12. versic. 17. Prouidentes bona; non solum coram DEO, sed etiam coram hominibus. Et alibi: 1. Corinth. 10. versic. 32. 33. Sine offensione estote Iudæis, & gentibus, & Ecclesiæ DEI, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis. Beatus est, qui tam sancte, tamque grauiter disposuit vitam suam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit; dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum. Quod si id assequi difficile, atque nimis arduum est; saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi; ne ex nobis scintilla procedat, per quam aduersus nos sinistræ famæ flamma consletur, alioquin frustrà iracimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiam ministramus. Si autem nobis diligenter atque solicitè omnia ad honestatem prouidentibus, cunctisque actibus nostris timorem DEI præferentibus, illi nihilominus insaniunt: consoletur nos conscientia nostra; quæ tum maximè tuta est, tunc optimè secura est, cum ne occasionem quidem male de se sentiendi dedit, illis enim væ dicitur per prophetam, qui dicunt quod bonum est malum, qui lucem appellant tenebras, & quod dulce est amarum

Prouidentissimus qui nullam obtrectationi ansulam porrigit.

rum vocant. Nobis ergo Saluatoris aptabitur sermo : Beati estis, cum vobis maledixerint homines mentientes. Nos modo id agamus, vt male de nobis loqui, nemo absque mendacio possit.

§. *Vnde sperneutes hominum iudicia,* ait *Sanctus Hieronymus in capite tertio Isaiæ, nec laudibus eorum extollamur: nec obtrectationibus contristemur : sed ingrediamur rectam viam, & tritas à sanctis Prophetis semitas, audiamusque Hieremiam prophetam dicẽtem capite sexto, versiculo decimo sexto.*

State in vijs, & videte, & interrogate semitas DOMINI *sempiternas, quæ sit via bona, & ambulate in ea.*

LEGES

LEGES ECCLESIASTICÆ SODALITATIS MOGVNTIÆ, SVB AVGVSTISSIMI SACRAMENTI, ac Deiparæ Virginis Patrocinio hisce tribus libris explicatæ.

I.

PRINCEPS Ecclesiasticæ Sodalitatis finis est, vnius Dei Opt. Max. honor & gloria. Alter, ipsorum D. Clericorum integritas & perfectio. Postremus, ex eorum virtute populi ædificatio. *lib. 1. cap. 1. ad cap. 18.*

II.

Eiusdem Congregationis primarius Patronus est Christus Jesus, Dei Virginisque filius, in Eucharistia existens. Habet etiam, colitque Patronam Dei parentem, quam vt quotidiana Corona siue Rosario honorarent, optabile, & salutiferum esset. Conuenit præterea vt præcipuo honore, cultu & imitatione illos Sanctos prosequantur, qui vel sunt patriæ tutelares & patroni, vel in quorum Ecclesiis beneficia possident, ac comprimis Angelos custodes venerentur. *l. 1. cap. 18. ad 24.*

III.

A Deo bonorum autore diei exordium capiant, ei se piis precibus commendent, diem vt sanctè traducant, animo decernant & constituant, &, si commodum fuerit, aliquod tempus Contemplationi vel pie lectioni impendant. *l. 1. cap. 24. ad 26.*

IV.

IV.

Ad templum progressuri mentem cogitationesq; suas à mundi negotiis abalienatas in Deũ conferant, atque in templo propter diuini Numinis, Christi Saluatoris in V. Sacramento, Angelicorum pariter, atque humanorum Spirituum Deo fruentium, sacrarum reliquiarum & imaginum præsentiam, locique ipsius sanctitatem; piè reuerenterque perpetuo versentur. *cap.* 26. *ad* 45.

V.

Sed & quocunque alio in loco Deum præsentem intueantur, suspiciant, venerentur, & in eum crebris piisque desideriis, ac raptim iaculatis precibus, animum sustollant, *cap.* 45.

VI.

Quotidiè canonicas horas integre, intelligenter, attentè, grauiter & pie vel cantent, vel legant, & similiter singulis diebus tremendo Missæ sacrificio intersint, *cap.* 50. *ad* 98.

VII.

Qui Sacerdotes sunt, identidem sacrum faciant; qui verò Sacerdotio initiati non sunt, frequenter diuinam Synaxin percipiant, præsertim diebus Liberatori nostro Christo Domino, eiusque sanctissimæ matri festis ac sacratis; sed non nisi pura à scelere conscientia id faciant, ad quod plurimum iuuabit exomologesis, & probi prudentisque confessarii industria, *cap.* 98. *ad* 109.

VIII.

Diaconi vel Subdiaconi munus, aut etiam Sacra-ctamenta administraturi, confessione mortiferum peccatum, si forte in illud inciderint, expient, aut si confitendi copia non fuerit, minimum contritione animum perpurgent, *cap.* 119. *ad* 123.

IX.

Diligent decorem domus Dei, vt quæ templis, altaris, sacrificiis applicantur, munda sint & nitida. Inprimis vero tremenda Missæ mysteria, cæteraque diuini cultus officia insigni cum pietate, puritate & ædificatione peragere studeant, *cap.* 46. *ad* 50.

X.

Dominicos festosque dies singulari religione peragant, remota omni impeditione, hunc enim in finem à Deo, & Dei instinctu ab Ecclesia instituti sunt, *cap.* 126. *ad* 129.

XI.

Quod à diuinis officiis, & necessariis occupationibus tempus vacuum habuerint, libenter Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, Canonum, eorumq; librorum lectioni tribuant, *cap.* 123. *ad* 127.

XII.

Cubitum ituri, facta conscientiæ disquisitione, & excitato de admissis peccatis dolore, ac concepto sanctioris vitę proposito, Deum pro bene beateq; transigenda nocte, deprecentur, *cap.* 129.

XIII.

Non sint palam criminosi, neque clam scelerati, sed ab iis vitiis se cohibeant, quæ locum dant suspicioni, & Ecclesiasticæ dignitati labem ac maculam aspergunt. Quæ autem peccata Ecclesiasticis viris potissimum vitanda sint, designat Apostolus 1. Tim. 3. & Tit. 1. Sunt autem ista. Superbia, & honorum contentio, auaritia & turpis lucri cupiditas, ebrietas & intemperantia, luxuria & obscœnæ voluptatis appetentia, maleuolentia, atq; iracundia, iurgium, & violentæ manus iniectio, familiæ & domesticorum iniuria, Ecclesiæ Dei neglectio, simulatio & fraudatio, proprii muneris inscientia. Quæ scelera vt abhorreant, &c-

& omni ſtudio fugiant ab ipſis exigere Apoſtolum non mirentur Clerici, cum ſimilia à laicis 1. Cor. 6. v. 9. 10. Gal. 5. v. 19. ad 22. Epheſ. 5. v. 3. ad 6. Coloſ. 3. v. 5. 8. iure poſtulet idem S. Paulus, vt quæ peccata hominem Cœlorum aditu prohibeant, & ad inferorum ſupplicia præcipitent, *Libro 2. toto.*

XIV.

Dent operam vt paſſim bene audiant, & ſint in omni loco Chriſti bonus odor omnibus ad vitam, & ſic præclarum rumorem ad Dei honorem, proximiq; in virtute profectum colligant: quod fiet, ſi commemoratis paulò antè ab Apoſtolo flagitiis oppoſitas contrariaſq; ſectentur & amplexentur virtutes, quas ille iiſdem Eccleſiaſticis Timotheica & Titiana commendat Epiſtolis, nimirum Dei proximique caritatem, Pietatem, & circa diuinum cultum ſyncerum affectum & ſtudium, animi ſubmiſſionem ac modeſtiam, hoſpitalitatem, ac in egenos beneficentiam, temperantiam, & cibi potuſque moderationem, caſtimoniam & mentis corporiſque integritatem, manſuetudinem, animi placabilitatem, ac morum ſuauitatem, prudentiam, vigilantiam, induſtriam, in habitu, motu, inceſſu corporis, ac ſermone decentiam & honeſtatem, ſedulam Eccleſiæ curam, ac familiæ ipſiſque commiſſorum diſciplinam, ſymceritatem & candorem, ad alios informandum habilitatem, & probam minimum, quæ officii eorum ſunt, intelligentiam, inculpatæ ac piæ vitæ teſtimonium, ac laudabilem famam. Quæ pleraque & à ſæcularibus requirit Apoſtolus Rom. 12. v. 9. vſque ad capitis finem. Gal. 5. v. 29. ad Epheſ. 5. v. 8. 9. Coloſ. 3. v. 12. 13. 14. & meritiſſimè requirit. Sine his ſiquidem nemo hæreditatem habebit in regno Chriſti & Dei, *Libro 3. integro.*

XV.

Vbi commodam de proximo bene merendi, eumque à vitiis ad virtutem pertrahendi opportunitatem nacti fuerint, auidissimè hanc amplectantur maxime circa inquilinos & subditos *Lib.3.c.42.*

XVI.

Sodalitatem designatus Præses, cum duobus assessoribus Consiliariis, ac Secretario administrabit, eorúmque consisu bonum publicum apprime promouebit, auxiliante de Sociate Iesu presbytero.

XVII.

Hic Magistratus initio cuiusque anni per occulta suffragia scripto data, quæ silentii fide à Secretario & duobus in Sodalitate officia obeuntibus, cum Patre inspicientur & publicabuntur. Poterit & Magistratus confirmari, si electoribus visum fuerit, qui erunt Sodalitatis Rectores, & si videbitur Ecclesiarum Antistites, vel quos sibi adiungere voluerint. Electi pro sua quisque in Ecclesia dignitate vel gradu, congruentibus locis sedebunt. In noua electione hæ leges prælegentur.

XVIII.

Omnes autem ad maiorem Dei gloriam, & publicum commodum, huius pii Sodalitii felicem progressum & amabunt & promouebunt, & Deo commendabunt, sicut & pro se inuicem diuinum Numen precabuntur. Quibus Magistratus mandatus & commissus est, & quos adhibere voluerint, singulis trimestribus, aut quando necessarium vel vtile Præses iudicabit, de huius Sodalitatis bono & profectu consultabunt. Quod tempus iis à Secretario indicabitur.

XIX.

Dominicis diebus in Oratorio ad audiendam de

sua

ſuo ſtatu exhortationem, cui & Domini non Sodales intereſſe poterunt, aliaſque pietatis exercitationes de more frequentandas conuenient. Sub initium pronunciabitur hymnus, Veni creator Spiritus. cum verſiculo & oratione. Sub finem Antiphona de Venerabili Sacramento, & Beatiſſ. Virgine, cum ſuis itidem verſiculis & orationibus.

XX.

Cuiuſq; menſis exordio Sanctos ſuos ſortito accipient, & per id temporis ſpatium ſingulari quadam illos veneratione proſequentur.

XXI.

Sodalem grauius ægrotantem, vel per ſe, vel per alium, aliqui pro opportunitate inuiſent, Eccleſiæ Sacramentis ac Sodalitatis precibus muniri curabunt, & demortui funus, qui commode poterunt, proſequentur, eiuſque animam Miſſæ ſacrificio, ſeu roſario, atque aliis precibus in Sodalitate Deo ritè commendabunt.

XXII.

Quicunque nomen Congregationi huic dare voluerit, Præſidem vel Sodalitatis Patrem adibit. Admiſſus vero totius vitæ exomologeſin faciat, vel eam à poſtrema generali auſpicabitur, niſi aliud Confeſſario videretur. Sacratiſſimam etiam Euchariſtiam percipiet, fideique Catholicæ confeſſionem edet, ſi alias non emiſiſſet.

XXIII.

Clerici qui extra Moguntiam domicilium habent, & in hanc Eccleſiaſticam Sodalitatem, vt eius meritorum, ſuffragiorum atque condonationum efficiantur participes, adſcribi cupiunt, id faciliter conſequi poterunt.

XXIV.

Hæ leges, quatenus non sunt diuina, Apostolica, & Ecclesiæ præcepta, nulla penitus noxa quempiam obstringunt; quia tamen diuinæ voluntati, Ecclesiasticæ dignitati, Christianæque caritari & virtuti admodum congruunt, nequaquam erunt à Dominis Sodalibus negligendæ.

PARÆNETICON AD ECCLESIASTICOS ORthodoxæ Ecclesiæ Hyperaspistas.

HActenus emensi spacium prima alti vastum
Oceani dubias lentauimus æquore palmas
Indomitasq; animas, formidandosq; tumultus
Spumantis pelagi: nunc litoris alba secantes
Ostia, voce noua cantare celeumata fixum est
Vltima, iam numeris sat lusum lege salutis
Te modo quem voluit Numen famulariere adi
Sacratæ ORDO SACER, pullo te insyrmate signans
Deuotumq; habitu superis cinctuq; dicatum,
Quem sibi perpetuis genuina ECCLESIA vinclis,
Inque salubilibus deiunxit amoribus, arcto
Fœdereq;, & nunquam morituro adamante ligauit
Te modo progeniem Diuum, decora alta tuentem
Aggredior seno fultus pede, verba papyro

Postuma

Postuma subtexens, quæ turba sororia Phœbi
Neuit, & è tenui properauit carmina filo.
Quo CLERI vitam deceat consistere talo,
Quid cælo, & cæli quod fas sit pendere pensum
Primo inuentori, quo cernua sternere ritu
Vota, precesque Deo, bipoli qua lege Quirites,
Obseruare soli, quo deniq; fulgere vultu,
Et quo Tartarinas splendore fugare tenebras,
Quasq; Deas deceat tentoria figere in imo
Pectore, virtutes quæ ornare cubilia mentis
Vt vitæ impuræ maculosa piacula vitet,
Illimiq; animo superis seruire laboret
Scripsimus, & tenues calamo lassauimus artus.
Sat scio iam notum o carissima cara Tonantis
CLERE genusq; decusq; Dei quam prenderis arcem,
Quo cultu niteas, & quæ subsellia inumbres,
Quæq; premas anabathra, & quanta in luce mereris,
Cerne gradum, culmenq; tuum: fastigia cerne.
Vt caput intonsum cælo Neptunia pinus
Attollens, steriles platanos, humilesq; genistas
Proceroq; anteit, syluarum germina, ramos.
Inter municipes, sic inter cymbala mundi
Colla leuas elata, & toto vertice supra es.
Cerne inter stellas velut aurea Lacna minores
Sideriasq; inter choreas, igneq; faces eq;
Præradiat, late crinitaq; cornua Phœbe
Proïcit, ignitoq; illuminat omnia vultu:
Sic rutilas, sic luce micas, sic CLERE coruscas,
Et vitreis clares longe rutilantior vndis

Sole laceſſitis. Tu ceu Iouis armiger inter
Aerias volucres tela amentata Tonanti
Porrigis, & Domini vigilas ad iuſſa vocantis.
Vtque inter montes gibboſa cacumina Olympi
Seſe aſtris miſcent, & ſidera vertice pulſant:
Sic tua te ratio ſumma ad faſtigia ducens
Diis miſcet, cœlique altum ſuſtollit ad arcum.
Tu ceu inter flores hortorum lilia reges,
Reginæque roſæ fragrantis pignora veris
Tranſcurrunt: ita diſiecto poſt te ordine linquit
Chriſtigenas alios, alio ſtellatus odore,
Atque colore alio, quam ſit bene tincta roſeti
Purpura, quam florum ſint labra, parentis & ora.
Iamque tuis dignum degas rationibus ævum,
Dignum ſorte tua, qua te veneranda bearunt
Numina, grande operæ precium, ne culmen, apexq.
Sublimi ne poſita loco ſubſellia mutent.
Hoc cave, ne rabies ventorum inſana flagellet
Et tumidi flatus animi, vitioſaq. pinum
Flamina, ceu ferro duriſque bipennibus ictam
Proiiciant nunquam morituræ in pabula flammæ.
Hoc cave, ne triſti te circumuallet amictu
Deteſtatorum ſcelerum caligo nec acris
Obſeptum tenebris terra ferrugine fœdet
Nequities, ne te illaqueet damnata voluptas,
Auratæque fames lamnæ, argentique cupido:
Sed velut obſcuri iubar, & lux publica mundi
Luce tua illuſtres terras, atque ignibus vras.
Sta quadro celſus podio, ſta firmior Ætna

Sors

—— Sors desultoria nunquam,
Dura nouercantis nec te ludibria fati
Edomitum discant, nullis neque posse moueri
Casibus, à recta mentem qui ducere lira
Qui quassare animi valeant fundamina firmi.
Fac aquilinam aciem, fac vitrea lumina nunquam
Cœlo dimoueas, atque aurea tela, comasque
Solis inoccidui spectes, aquilamque tuendo
Anteeas, semperque tibi præsentia sistas
Numina, quæ nostri penetrant sensa abdita cordis.
Fac casta è casto mens corpore spiret odorem
Omnigenis Maij plumis, hortiq; figuris
Suauius Hesperidum, fac celsior ille per auras
Euolet, Empyrei ciuesque oblectet Olympi;
Sit ferrum q̃, adamasq; fides, sit dextera marmor
Quam sibi porrectam sacrata Ecclesia iunxit,
Sit sacramentum nullis violabile pactis
Promissum superis, sponsæque, tuæque ministres,
Incessabiliter Domine, vox buccina laudum
Sit diuinarum, lituus, tuba, conchaque, lingua,
Quæ nubes petat, & Diuorum verberet aures;
Sitque decens sine fuco habitus, sit & ordinis index;
Fronsque, superciliumque humilis sit tessera cordis,
Demissique animi generosos robore neruos
Instrue, & hostiles septemplice firmior ære
Tenta acies, ferrumque noues incude recusum
Sæpe noua, fædo ne tandem in puluere collum
Proïcias, claudasque dies inglorius æui.
Tolle animũ, vitamq; omnem, quã trado, ad amussim

Dirige, difficilis non terreat alea, lætas
Sufficiet vires Ecclesia in orbe duellans,
Ipsa aderit pugili lethi sub dentibus atri
Atque triumphanti transcribet Diua sorori
Cleri inter sacras aquilas, duosque maniplos
Atque Palatinos statuens, cœlique Dynastas,
Digna ministeriis, redhibens Ecclesia sacris
Dona; suos pingui reditu ditabis alumnos.
Et censu locuplete, immortalique beabit.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore laudamus atq; benedicimus, tibi gloria in sæcula.

IN.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE quæ passim in his libris explicantur.

EXod. 3. 5. Solue calceamenta de pedibus tuis 65

Exod. 9. v. 16. Idcirco posui te vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra 2

Exod. 32. 26. Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem suum, &c 751

Leuit. 24. 15. Homo qui maledixerit Deo portabit peccatum suum 468

Leuit. c. 26. 2. Pauete ad sanctuarium meum, ego Dominus 64

Num. 20. 25. Apprehende Aaron fratrem tuum & Eleazarum filium eius & impones eos in montem coram omni Synagoga, &c. 771

Deut. 4. 22. Seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia etenim DEVS noster ignis consumens est 75

1. Reg. 1. 15 Effudi animam meam in conspectu Domini 169

2. Reg. 7. 27. Quoniam inueni Domine cor meum vt orarem ad te 163

2. Reg. 8. 18. Filij autem Dauid sacerdotes erant 366

3. Reg. 18. 27. Clamate voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit vt excitetur 192

2. Paral. 7. 9 Fecit die octauo collectam 145

Iob. 19. Inquilini domus meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum 111

Iob.

Iob. 31. 8. seram & alius comedat, & progenies mea eradicetur 746
Psal. 4. 5. Iraſcimini & nolite peccare 455
Psal. 4. 5 Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini 315
Psal. 5. v. 1, 2. & ſequen. verba mea auribus percipe domine &c. 57. & ſeq.
Psal. 5. 8 Ego in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templū ſanctum in timore tuo 65. & 105
Psal. 33. Immittet angelus domini, in circui timentium eum 52
Psal. 39. 10. 11. 12. Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo &c. 216
Psal 44 17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii conſtitues eos principes ſuper omnem terram 387
Psal. 49. 23. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei 245
Psal. 50. 5. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper 320
Psalm. 54. 67. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam 61
Psal. 58. 17. Exaltabo mane miſericordiam tuam 55
Psal 61 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra 166 & ſeqq.
Psal. 61. 9. Effundite coram illo corda veſtra 166
Psal 62. v. 1. 2. 7. Deus Deus meus ad te de luce vigilo ſitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea. Sic memor fui, &c. 55
Psal. 64. 5. Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate 99
Psal. 76 6 Meditatus ſum nocte cum corde meo & exercitabar & ſcopebam Spiritum meum 61
Psal 83 Quam dilecta tabernacula &c. 106 & ſeq.
Psalm. 90 Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem 161
Psal 92 7. Domum tuam decet ſanctitudo domine in longitudine dierum 59
Psal. 118. A mandatis tuis intellexi 744
Psal 118. Qui timent te videbunt me, & lætabuntur 30 & ſeq.
Psal 129 6. A cuſtodia matutina vſq; ad noctem ſperet Iſrahel in domino 133
Psalm. 137. In conſpectu angelorum pſallam tibi 75
Psalm. 134. Laudate nomen domini

Domini, laudate serui Dominum qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri 6
Psalmus 137. 2. In conspectu Angelorum psallam tibi 214
Psal. 148. Laudate Dominum de cœlis, &c. 231. & seq
Prouerbiorum 8 17. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inuenient me Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbiæ & iustitia 54
Prouerb. 8. Verba bilinguis quasi simplicia & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris 508
Prouerbiorum 11. 15. Anima quæ benedicit impinguabitur & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur 750
Prouerb 11. 26. Qui abscondit fumenta maledicitur in populis 749
Prouerbiorum 13. 5. Verbum mendax iustus detestabitur, impius autem confundit & confundetur 510
Prouerbiorum 16 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum 1
Prouerb. 19 17. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis 425
Prouerb 28. 10. Qui decipit iustum in via mala, in interitu suo corruet & simplices possidebunt bona eius 506
Ecclesiastæ 4. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei 170
Ecclesiastæ 5. 1. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo 170
Cant 8 13. Quæ habitas in hortis amici auscultant te, fac me audire vocem tuam 750
Ecclesiastici 1. 36 Ne sis incredibilis timori Domini & ne accesseris ad illum duplici corde 502
Eccles. 1. 37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum & non scandalizeris in labijs tuis Attende in illis ne forte cadas & adducas animæ tuæ inhonorationem 503
Ecclesiast 7 31. In tota anima tua time Dominum & sacerdotes illius sanctifica 388
Ecclesiast 7 13. Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona 507
Eccles. 9. Cum aliena muliere ne

ne sedeas omnino nec accumbas cum ea super cubitum, & ne alterceris cum illa in vino, &c. 611
Ecclesiast. 19. 1. & 2. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos. Et qui se iungit fornicarijs erit nequam. Putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius & tolletur de numero anima eius 451
Ecclesiast. 19. 26. Ex visu cognoscitur vir & ab occursu faciei cognoscitur sensatus 789
Ecclesiast. 23. Nominibus sanctorum non admiscearis quoniam non eris immunis ab eis 471
Ecclesiast. 26 28. Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: Difficile exuitur negotians à negligentia & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum 422
Ecclesiast. 27. 1. & 2. Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari auertit oculum suum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum 422
Ecclesiast. 27. 15. Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium 471
Eccles 43. 32. Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, & adhuc superualebit admirabilis magnificentia eius 118
Isa. 1 15 Et cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis 168
Isa. 6 5. Væ mihi quia tacui 750
Isa. 11. 32. Mundamini qui fertis vasa Domini 288
Isa. 51. 7. Audite me qui scitis iustum, populus meus, lex mea in corde eorum, nolite timere, &c. 811
Isa. 56 7. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis 109
Ierem. 4 2. Et iurabis, viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iustitia 470
Ierem. 9. Intrauit mors per fenestras. 811
Ierem 48. 10 Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine 749
Ezech 13. Ipse ædificabat parietem, illi autem linebant eum 514
Ezech 34. 4. Quod fractum est non alligastis, & quod abiectum fuerat non reduxistis 521
Oseæ 5. 1. Audite hoc sacerdotes & attendite domus Israel,

Israel, & domus Regis auscultate : quia vobis iudicium est , quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Tabor 516
Oseæ 10. Seminate vobis in iustitia, & metite fructum vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ 744
Oseæ 14 Et reddemus vitulos labiorum nostrorum 218
Habacuc 2. 15. Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius 482.
Habacuc 2. 20. Dominus in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra 117
Malach. 2. 8. Septuaginta: Vos declinastis de via mea & infirmos fecistis multos in lege 38
Matth 5. 11. Beati estis cum maledixerint vobis homines & blasphemias eorum ne metuatis 813
Matth 5 Ego autem dico vobis non iurate omnino neque per cælum , &c. 472
Matth 5. 13. Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, &c. 517
Matth. 5. 28. Ego autem dico quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam , &c. 436
Matth. 6 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum 199 & 200
Matth 19. 12. Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat 16 596. & seqq.
Matth. 23. Quid enim maius est aurum an templum quod sanctificat aurum 99
Matth. 25. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam 8
Matth 25. 30 Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores 701
Luc 12 Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manibus vestris 592
Luc. 16. Qui fidelis est in minimo & in maiori fidelis est, & qui in modico iniquus est , & in maiori iniquus est 564
Luc. 22 15. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar 254
Ioan. 2 Zelus domus tuæ comedit me 693
Ioan. 4. 21 Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate 311
Ioan. 5. Scrutamini scripturas

ras & illa sunt quæ testimonium perhibent de me 307
Ioan. 20 21. sicut misit me pater & ego mitto vos 380
Actor. 7. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat 68
Act. 9. 4. Saule quid me persequeris 39
Rom. 2. Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex 316
Rom. 11. 36 Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia 2
Rom. 12. 17. Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed & coram omnibus hominibus 29
Rom. 13. Nam omne mandatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum, 673
Rom. 13. 8. Nemini quicquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit 672
Rom. 14. 12. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non ex fide est, peccatum est 317
1. Corinth 4. 1. Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei 778
1. Corinth. 6 13. Esca ventri & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet 475
1. Corinth. 9 Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifacerem 765. & sequent.
1. Cor. 9. 13. Nescitis quoniam qui in sacratio operantur quæ de sacratio sunt edunt 118
1. Cor. 11. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos 77
1. Cor. 11. 28 Probet seipsum homo & sic de pane illo edat, &c. 24
Gal. 4. 19. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis 369. 685
Ephes. 4. 15. Veritatem facientes in charitate 671
Ephes. 5. 1. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis 672
Ephes. 5. 19. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino 196 125
Ephes 5. 20 Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi 245

Philip. 4. 17. Non quia quæro datum sed requiro fructum abundantem in ratione vestra 4

Col. 3. v. 17. Omne quodcunque facitis in verbo, aut opere omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi gratias agentes Deo & Patri per ipsum 2

1. Thessal 2. 13 Ideo & nos agimus gratias Deo sine intermissione, quoniam cum accepisseris à nobis verbum auditu Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed verbum Dei qui operatur in vobis qui credidistis 310

2. Thess. 3. 6. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, &c. 809

1. Tim. 1. 2. Timotheo dilecto filio in fide 372

1. Tim. 1. 5. Finis præcepti est Charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta 671

1. Tim. 1 17. Regi autem seculorum immortali & inuisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen 2

1. Tim. 2 22. Iuuenilia desideria fuge 670

1. Tim. 3 9. 10. 13. Habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam quæ est in Christo Iesu 345

1. Tim. 3. 3. Oportet eum esse non cupidum & v. 8. non turpe lucrum sectantes 415

1. Tim. 3. 7. Oportet autem & illum testimonium habere ab illis qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & laqueum diaboli 770

1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est 334

1. Tim. 4. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed Exemplum esto fidelibus in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate 33. 670

1. Tim 5. 8. si quis autem suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior 803

1. Tim. 5. 17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur 388

2. Tim. 1 6. Admoneo te, vt resuscites gratiam D d 1 quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis

& sobrietatis 9.669
2. Tim.3. omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, &c. 306
2. Tim. 3.10. Tu autem assecutus es meam Doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam 669
2 Tim.4.16 Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas 737
Tit.2.7. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operũ in Doctrina, in integritate, in grauitate 34
Hebr.5.7. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad illum qui saluum eum possit facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia 191
Hebr 10.24 Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum 672
Hebr 13.14 Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo 817

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HIS libris occurrentium.

A.

Abiecta ministeria obeuntes clericos lucri gratia reprehendit D. Hieronymus 26
Absinthij modicum mellis plurimum corrumpit non contra, sic in vitiis fit 777
Abstinentia insignis quorundam Sanctorum 647 & seq.
in quo consistat 653
est omnium virtutū subsidium 813. Vide plura. Sobrietas & Temperantia.
Acedia quid sit 440
quomodo excutienda 493
infesta Clericis etiam Sanctis 492
eam pellit inferni cæliq; consideratio 493
Adorare Deum in Spiritu quid sit 312
Adulatio quando sit peccatum mortale 512. & seq.
quando sit peccatum veniale 514
Adulator Clericus degradari præcipitur 514
Adyantem herbam siccam permanere etiam aquæ immersam 469
Aequilibrium funambulorum 765
Aeri quis canat & quis Deo 225
Affectatum omne quod est, displicet 787
Alexander Magnus Examinat Gymnosophistas 707
eius puer quam sacrificio assistens reuerentiam exhibuerit 118
Aliena peccata miserari pietatis est 410
Alienatio à sæcularibus clerico facienda 11
Alienum ignem offerre Domino prohibitum & quid ignis ille significet 272
Aliis quoque non sibi vni homo quilibet viuere debet 704

Aliorum in templo perturbatores pro se & alijs reddent DEO rationem 115
Altaria Domini nidus Spiritualis columbę 107
Altaria Domini non admittunt ignem, nisi diuini amoris 272
Alte & distincte vt canerent fratres S. Dominicus monere solebat 104
Alternis olim clerici & populus in Ecclesia canebant, & cur hoc sublatum 214. 215.
Ambitio quid sit 405
insidiatur maxime Ecclesiasticis 407
multos sacerdotes perdit 410
quam sit pestilens, & rationes euitandi 406
ea ne quidem Apostoli caruerunt 408
Ambitiosis Ecclesia abundat 414
Ambitiosus nullum scelus patrare refugit 410. & exempla huc pertinentia 411. & seq.
Ambitiosorum clericorum supplicia 408
S. Ambrosius autor antiphonarum 142. & hymnorum etiam 222
eius perspicacia ex moribus exterioribus de interiore animo iudicandi 790
Amicos & cognatos non egentes, Ecclesiastica bonis ditare interdictum 418
Amor & desiderium Christi erga nos 255. & seq.
proximi, Dei patris amorem 676
Amor reddit in precibus attentum 171
Amoris definitio 692. Vide plura Caritas.
Anathemata Sanctis suspensa 84
Andreas Apostolus quotidie missam fecit 513
Angelus cuique suus præsto est 51
quomodo à nobis fugetur 52
Angelum peregrini specie excepit D. Gregorius 191
Angeli altarium in templis custodes 77
sunt vbi CHRISTVS est 74
notant templum frequentantes & eorum preces Deo præsentant 76
in missæ sacrificio ministrant 77
alternis & per choros canunt 214
vna cum Guduualdo Archiepiscopo diuinas laudes concinunt 243
quomodo canere possint 207
sceleribus Iudæorum offensi eorum templum relinquunt 74
sunt ijs sacerdotes simi-

les 377
illorum erga Deum reuerentia 189
eorum imitator est qui Deo laudes modulatur 224. & seq.
illorum officium quod sit 231
ipsorum in templo præsentia reuerentiæ nos admonet 74
eorum imagines cur in templis 75
ipsorum causa fœminæ in templo tecto capite esse iubentur 77
Angelorum Tutelarium veneratio Clericis commendatur 50 & seqq.
Angelico cantu demulcetur S. Victor. 206. & alij 207
Angelico Magisterio canonicarum horarum ordo constitutus est 146
Angli prisci Clerici & Monachi valde commendabiles 747
Antelucanæ preces Christianorum olim 136
Ante officium Diuinum quę cogitationes præmittendæ 237
Anteuertendum potius Horarum tempus quam vltra differendum 153
Antichristus tollet de medio missæ sacrificium 263 eius tempore cantus Ecclesiasticus exterminabitur 210
Antiphonæ quid & vnde 142
Animaduersio contumelia vacare debet 469
Animæ martyrum ad corpora canere auditæ 208
Animæ vnius humanæ quanta sit præstantia 698
Animam venalem habes auarus 433
Animarum curatores exactam reddituri sunt Deo rationem 700
Animarum curam gerere Apostolicum munus est 396
Animas commissas negligentium pœna 701
Animalia salacia breuis vitæ sunt 451
Animus exulceratus quæ mala pariat 454
Animus quo semel imbutus est id diligentissime deinde seruat 735
Animi vigilantia & ardor potius in precibus quam locus attendi debet 116
Animum vultus prodit 789. & externi mores ibidem & seq.
Apostoli & primi Christi discipuli in templo assiduissimi 104
in Euangelicis consiliis Seruatoris æmuli 16
sacerdotes facti in vltima cœna 242
voto fuere ad perfectionem astricti 17

Apostolica traditione cantus in Ecclesia propagatus 202
Appetitus inordinatus edendi & bibendi refrenandus 650
Aqua olim pro templi foribus ad purificandum posita 64
Aquę benedictę vis & efficacia 332. & seq. Exempla plura ibid.
Aquam benedictam domi habeant Clerici 331
Arca propitiationis & sancta sanctorum Christus est 109
Arma Ecclesiasticis propria quæ sint 474
Assiduum sacrificium Christus commendat 261
Attentio in Horis Canonicis quadruplex 176
ea non deesset, si Sanctis desideriis abundaremus 176 & amore 172
Attenti sumus ad res vilissimas, orationem rem præstantissimam non æstimamus 172
Auaritia clericis vitanda 415. & seq.
infesta Ecclesiasticis est 417
quosdam in exitium perduxit 418
sæpe causa est discordiarum in Clero 418
item rapinarum & obtrectationis 419
imo omnium malorum lerna 440
Auarus idololatra est 433. & quare ibid.
Audire Deus illum nolet qui se non audit 171
Auditur à Deo non qui altissime sed qui devotissime canit 197
S. Augustinus alimenta vt medicinam sumebat 645
Antistes fuit Canonicorum religiosorum 11
à suis proprietatem ejecit 14
ipse & sectatores eius amplexi Apostolicam paupertatem 14. 754
per lectionem librorum piorum conuertitur 304
mensa eius qualis 642. & seq.
qualis vestitus 800
Aulam cœlestem quodammodo intrant precantes 180
Aulica vita splendida miseria 303
Auocatio à precibus plerumque à dæmone est 161
Aurea & argentea vasa in sacris probat S. Augustinus 124
Aureis & argenteis vasis ministrari filio Mariæ indigne tulit Iulianus 124
Austeritas Vitæ insignis 645.

B.

Baalitas, sacrificulos cur Helias deriserit 198

Baliz

Basiliscus aspectu necat 31
Beati homines & Angeli perpetuo laudant DEVM 232
Barbarismum quidam plus cauent in verbis quam in vita facere 179
Bellum indicit dæmon orantibus 162
Beneficia DEI erga nos 325
Beneficia Ecclesiastica paruulis non conferenda 427. nisi iusta de causa ibid.
pluralitas quam pestifera 426
Benignitas & suauitas Dei 7
Benignus quis sit 548
ad Bibendum alios vrgere Ecclesiasticum non decet 480. quam graui scelere se hoc facientes obobstringant 481. hostes sunt tales non amici 482. quod supplicium de eis sumturus sit DEVS. ibidem
Clerici tales vitare debent 483. plus Deo quam illis obedire 485
Bilinguis quis sit 500
Blasphemanticum in inferno locij, fabulatores in templo 113
Blasphemum Ecclesiasticum sunt qui iubeant deponi 470
Bona Ecclesiasticorum quæ 21
Bona Ecclesiæ patrimonium Christi 566
Bona Ecclesiæ olim in quatuor partes distributa 14 15. 566.
Bonorum, quæ supersunt honestæ sustentationi, an Domini sint Ecclesiastici 505
Bonis Ecclesiasticis non licere Cleris abuti 637
Bonus quomodo Deus 7. & quomodo bonę sint creaturæ ibid.
Bonum constat ex integra causa 525
Boni in hac vita sine tribulatione non sunt 811
Bonitas Dei materia laudis 7
Breues & ardentes precatiunculas commendat S. Chrysostomus 117
Buccinæ clangore auditus dæmon, ad oppugnandum orantes 162

C.

CAdunt impij retrorsum, pij in faciem & quo sensu 322
Cælestem curiam intrant oraturi 180
Cælitum carmina audit B. Magdalena 205

Cœlo nihil ornatius, sic & nihil templo esse debet 117
Cœlo templum comparatur 68
Cœnæ in noctem protractæ, impediunt clericos ab officio matutino 135
Calceamenta pedum in scriptura quid significat 65
Caluinus ornatum templorum reprehendens Iuliani Apostatæ discipulus est 124
Calumniam sustinētes in hac vita quomodo se consolari debeant 812
Calumnias malorum nemo satis effugit 809 & seqq.
Calumniatorib nullam occasionem vt præbeamus diligentissime prouidendum 814
Candelas accēdere ante imagines sanctorum mos vetus 94
Canones ignorare Sacerdotes non debent 711
qui proinde diligenter legendi 307
Canonicæ preces magna vigilantia & religione persoluendæ 154 & seq.
Canonici appellatio virtutis monitrix 11
Canonici olim Apostolorum imitatores 12. 19
Canonici olim communem vitam duxere 12. & 15. & quare 13.
Canonici Sportulantes qui fuerint 13
Canonicorum vna vitæ ratio maxima fœlicitas 13
Canere Deo laudes Angelorum officium est 205
Canere quomodo angeli possint 207
Canendi moduli sæculares & leuiculi ab ecclesijs proscribuntur 196
Cantandi in ecclesia per choros ritus vnde 213
Cantantes ob vanam gloriam pupiuntur 195
Cantici gloria in Excelsis Deo, in missa quis author 203
Cantiones sacras & cantores instituit Dauid 201
Cantores quales eligendi 196
Cantus angelorum quandoque in iustorum morte 205
Cantus animarum ad corpora martyrum auditus 208
Cantu angelico demulcetur S. Victor 206 & alij 207
Cantus Ecclesiasticus non sit similis modulis Theatralibus 197 sæpe is Augustino lacrimas excussit 201 aptus enim ad conciliandam compunctionem 219 est ab Apostolica traditione 202. exemplar eius Christus dedit post cœnam hymno dicto. 202. primis Christianis

nis vsitatissimus fuit 209. atque ipsis etiam Eremitis 211. hæretici quidam eum improbarunt 190. & seq. cur sit excogitatus 221. eius plurimæ vtilitates 213. & 215. & seq. vanus interim si sit, Dæmoni placet 295
Captiuos redimendi Zelus in Sanctulo & Sorano abbatibus 691
Cardinales à legibus Ecclesiasticis non exempti, sed earum præcipui cultores esse debent 779
Caritas Christi amussis nostræ caritatis 672
Caritas Dei in nos 681
Caritas est donum Dei 668. operit vniuersa delicta 674. & seq.
Caritas præclaris facinorib. demonstranda est 670. docenda & prædicanda ibidem
Caritatis Ecclesiasticæ exempla 677. & seq.
Caritatis lex vna sufficit & omnes alias comprehendit 673 & seq. maxime & vnice eam Christus commendauit suis 673 & proximus ad eam incitandus maxime est 672. qui ea plenus est, Deo plenus est 671 ea destiturus alios iuuare quis potest? 676. perfectio certe hominis in ea consistit 675
Cassius Nornienſis Episcopus quomodo se ipsum Deo sacrificium quotidie mactarit 261
Castitas facilis est. 587
iucundissima & suauissima 588
honestissima ibid.
similimum Deo facit 589
familiaritatem Christi cõciliat ibid.
vita est beatarum mentium in cœlo 590
corporis sanitatem conseruat ibid.
præclaræ existimationis conciliatrix 590
intellectum illustrat, exemplo Sibyllarum 591
complementum est aliarum virtutum 592
impetrat à Deo optima quæq; beneficia 593
eius laus 577
clericis commendatur ib.
specie virginis Gregorio Nazianzeno apparet 606
quibus adminiculis conseruetur precibus imprimis 607
deinde corporis castigatione 608
fuga occasionum 610
oculorum reliquorumue sensuum diligenti custodia 612
cogitationum malarum exclusione 613
meditatione æternitatis ibidem.
Castitas sacerdotum veteris legis 579 vide Continẽtia.

Castitatis exemplar Christus Dominus 602
& in sexu feminino B. Virgo Deipara ibid.
Castitatem vouent Clerici in maiorib. ordinib. 20. 585
& est ordinibus ipsum annexum. ibid.
æquiualetque voto solenni ibid,
Castus qui vult esse, cum gratia Dei potest 598. & sequentibus.
Casti quibus præmiis à Deo afficiendi 593
dabitur eis præcipuus locus in domo Dei 594
celsissimus inter Angelos 596. item nomen sempiternum ib. & nomen Agni in fronte eorum & canticum nouum quod nemo alius dicere poterit 600
Castorum quorundã hominum vtriusque sexus exempla 603 & seq.
Causæ cur dæmon attentioni precantium infestus sit 166 & seqq
Ceremonię Ecclesiasticæ clericis accurate obeundæ 310
Ceremoniæ Ecclesiasticæ exemplo Christi laudabiliter vsurpantur 311
Ceruæ magna cum difficultate pariunt 371
Christianæ religionis mysteria quo tendant 762
Christus communicauit cũ sacerdotibus suam potestatem 364
cur omni sit honore dignissimus 73
perfectissimum est vitæ exemplar 31
extra peccandi aleam cõstitutus fuit 761
indignatur siquid indecore in templo committatur 71
lumine circumfulgens in Eucharistia visus 73
maior ei honor quam vlli monarchæ præstandus 73
paupertas eius 15
obedientia & castitas 16
ei⁹ stupẽda maiestas 72. 73
qui eum diligit, & sacerdotes eius diligit 376
Cibus moderatus facit promptos ad vigilandum 135
Cibo opus duraturis in labore 121
Cibis cum corpus reficitur, animæ quoque suum pabulum præbendum, & quod illud 610
Cibis cautioribus temperate vti melius est, quam simplicibus intemperanter 651. & seq. simplicibus inordinate expetitis nihilominus quam lautioribus contra temperantiam peccatur 650
Clamant laudantes Dominũ Seraphini 194
Clamauerunt inter precandũ multi Sancti imo ipse Christus. 193
Quod clamantes Baalitas Elias

Elias riserit causa 192
Clamor in cantu Ecclesiastico inconditus & vanus prohibetur, non sonorus & deuotus 199
nam hic laudabilis ac Deo gratus est 192
Clementis IV. Pontificis egregium factum 429
Clericus vnde etymologiam sumat 359
Clericus pars Domini, & Dominus ipsius pars 10
non satis est bene viuere, sed necesse est cæteris melius viuere. 523 & seq. item 527
Clerici Regulares in deterius prolapsi 28
quæ fugere & vitare debeant 299
sunt ciuitas supra montē posita 33
Clerici Regulares D. Augustini 27
sunt speculum aliorum 35
Ipsorum dignitas 359. & seqq.
Clericorum monasteria 28
Clericis diligenter vitanda peccata omnia grauia leuiaq; 398. & seq.
Codex rationum conscientiæ habendus 321
Collectæ in officio diuino vnde dictæ, & quid ea vox 143 144
Colūbinæ pennæ quas optabat Dauid quæ sint? 61
Commemoratio quæ sacerdoti in Missa facienda sit 285
Communis olim Canonicorum conuictus 12. 15. 19. & eius vtilitas 13
Communia cur omnia primis Christianis 12
Communicaturus mente in cœlum euolet 276
Communio frequens vtilissima 252
eius intermissio noxia est 252
Spiritualis quid sit 254
eius fructus 254
miraculis ostenditur quā Deo grata sit ibid.
Communionis negligendæ causæ quæ esse solent 253
ad Completorium cur legatur: Fratres sobrii estote, &c. 636
Clerici compti & calamistrati 25
reprehenduntur à D. Bernardo 797
& D. Basilio 799
Concionandi munus in Ecclesia non cuiusuis 732
eius difficultas ob varias causas 733
Concionator cum Deo valde sit coniunctus 755
legatiōe fungitur Dei 758
bene docens male viuens quibus similis sit 747
dum curat alios seipse nō negligat 760
exemplo potius quam verbo doceat 744

impro-

improbus plus ob est quã prosit 746
qualis igitur esse debeat 742
Varia sit instructus doctrina 735
sit deditus humilitati 753 & 759
regulam diuinorum eloquiorum sequatur 743
se prius inflammet ante concionem, & sic alios poterit inflammare 615. & 760
se accommodet ad captũ auditorum 752
& eorum attendat varios status, conditiones, naturam, &c. 743
Concionatores vani perstringuntur 736
& temerarii 737
qui & aptis similitudinibus instruuntur & exemplis vt prius bene discant quam docere incipiant. 738. & 739
Concionem, comprecationem, sacrificium perturbare indignissimum est 112
Conciones sacræ Clericis diligenter audiendæ 308
& quomodo id fructuose fiat ibidem & sequentibus.
Concordia ex humilitate efflorescit 542
Confessarius misericors maxime sit 730
oret pro suis pœnitentibus 738
qualis eligendus sit 238
qua praxi spirituali pie obeat audiendæ confessionis actionem 726. & seq.
quæ scientia ei necessaria sit 723
silentium quam structum 726
quibus ex virtutibus præditum esse deceat 719
Confessio crebra indicium amoris diuini, & contrarii, contemptus 291
Confessio fidei relucet in Cantu Ecclesiastico 216
Confessionis crebræ vtilitates 291 & seqq.
Consanguinei potius quam alii iuuandi cum egent, 552
Conscientia bona fiduciam parit 295
Conscientia bona qui fruitur falsa & mendacia malorum iudicia & calumnias non curat 810
etiam errans obligat 317
praua ingens tormentum 292
quid sit & vnde 317
eius diligens cura prædestinationis signum est 323
Illius examen ante somnium commendatur 315
vide examen conscientiæ.
Consentiens in peccatum, eius fit particeps 804
ex Consortio diuino splendor conciliatus 186

Con-

Constantinopoli templum Sophiæ, id est, Christi Sapientiæ diuinæ 120
Constanstinus Imp. quē honorē habuerit Ecclesiasticis 364. & 368. 352. 364. 368
Cōsuetudo auari fugiēda 432
Contemni & vilescere apud alios Clerici caueant 514
Contemnuntur Clerici sua culpa, qa mále viuunt 517
Contendendum minime cū stultis, & ebriis 465
Contentio nota est improbi ingenii 404
stultorum propria 465
Vitanda Ecclesiastico 462
ex superbia & iracundia nascitur 464
mox in ipso ortu exstinguenda est 466
Continentes cur esse debeant Ecclesiastici 580 & seqq. item 266
Continentes esse debebāt sacerdotes legis veteris 579. & seq.
Continentiam perpetuam, facilē esse & expeditā 587
Contritionem excitare conentur qui ad sacra tractanda ministrandaue accedunt 291
Contumeliæ patienter ferendæ 811
in Conuentu iustorum Dominus 103
Conuersas à se prouincias Apostoli in die iudicii Christo iudici præsentabūt 701
Conuersatio & sermo noster qualis esse debeat 465. & seq.
Conuersio peccatoris quam Deo grata 699
Conuiuæ quales sint inuitandi 641
Conuiuia Ecclesiasticorum qualia esse debeant 638 & seqq. item 299
in Conuiuiis qui frequens est Clericus contemni solet 464
Cor canum in pectore iuuenili 33
Cor effundere coram Deo quid sit 166. & seq.
Cordis auditor est Deus, non vocis 198
Corporalium rerum exemplis spiritualia nobis Deus adumbrat 450
Corpore ad templum conuerso Daniel precabatur 109
Corporis habitus & compositio decens inter orandum esse debet 239
Corporis situs non tam spectandus in orante quam animus 116
Corrigere delinquentē quo modo oporteat 462
Coruus S. Paulo Eremitæ quotidie dimidium affert panem 647
Creatus homo quem in finem 699
Creatura omnis laudat creatorem 115
Crimen omne seu publicum seu occultum à Clerico abesse

abesse debet 398
Crimen quale à sactis ordinibus abarceat 397
Crimine notorio cur vacare debeant ordinandi 397
Crucis signo venenato poculo vis adimitur 412
Dæmon expellitur 262
Cultus diuinus vna cura probi Clerici 11
Cupiditas caducarum rerum causa est cur quidam raro communicent 253
Cura pecuniarum, incuria animarum 40
Curatores animarum cum funambulis à D. Gregor. Naz comparantur 765
plus scire debent quam alii Clerici 712
Custodes super muros Ierusalem sunt Ecclesiastici 360
Cyprianus suadet Christianis nocte, mane, hora 3. 6. 9. vespertina, precari 138

D.

DÆmon attentionem in Horis recitandis turbare conatur & quas ob causas 156. & seq.
exultat ad cantum vanum Ecclesiasticorum 295
mille artifex est 769
exemplum eius deterrere nos à superbia debet 401
Specie nigri pueruli quosdam à precibus abducere visus 157
præstat ab eo quam à luxuria exagitari 414
Dæmon pessimus est Peccatum 115
Dæmones à Sanctorum reliquiis torquentur 79
coguntur que eas reuereri ibid.
Daniel ter interdiu Deum orat. 138
Daniel precabatur ad templum conuersus 109
Dauid cor suum coram Deo effudit 167
hortatur ad Deum in templo laudandum 108
septenis vicibus precandi Deum indies autor fuit 130
sumptuosissimus in templi ornatum 121
eius in frequentando Dei tabernaculo studium 105
& in precibus vigilantia 183
Decentius est vt subditus ad regiam quam vt rex ad priuatam domũ diuertat 101
Decorum in templorum ornatu seruandum 118
Decreta Pontificum, Concil. & Canonum Clericis diligenter legenda 307
Defuncti vt liberentur Ecclesia Missas celebrat 248
Delicatos clericos Hieronymus reprehendit 18
Deliciæ hominum vanorum qua pœna in vita altera plectendæ sint 796
Delicias sectantes è domo

Dei

Dei exturbantur 631
Delinquentem quo modo corrigere oporteat 462
Desideriis Sanctis qui abundat, attentus est in precib. 176
Desiderium vnicum Dauidis versari in tabernaculo Domini 108
Deus hortatur ad orandum vt occasionem habeat nobis benefaciendi 230
iracitur cultum suum negligentibus 7
eius in tolerandis imperfectionibus orantium patientia 164
Dei gloria. vide Gloria
Dei seruitus felix regnum 108
Dei præstantia & nostra vilitas ante orationem cogitanda 170
Dei suauitas & benignitas 7 bonitas nos miserantis 450
Diaconatus ordo regali dignior 367
Diaconos quales Apostoli esse voluerint 545
Diei initium à Sanctis cogitationibus sumere debent Clerici 54 & seq.
Dignitas Ecclesiastica non priuati sed communis boni causa suscipienda 405
Dilectio Dei erga ouiculas suas 699
Diluculo Deus quare precandus 56
Diluculo Deum imploran-
tium exempla 55
Diluculo Gentiles soliti ad idola properare 56. & seq.
Disciplinam Ecclesiasticam conseruandi ratio 521
Disiunctim cur horæ canonicæ legantur, non vno tempore 132
Dispēsatores bonorū, nō Domini sunt Ecclesiastici 562
Dispensatio sine causa dissipatio est 426
Dissimilitudo affectuum & ingeniorum in hominibus 763. & seq.
Diuturnitas in oratione differt à multiloquio 177
Diuites dispensatores sunt Domini Dei 565
Diuitiæ incertæ sunt & instabiles 560
occasio sunt damnationis 561
curas & molestias secum trahunt 562
earum aucupium non decet sacerdotes 10
Docere alios non poterit Ecclesiasticus, si ipse ignorans sit 706
Docti cur esse debeant Ecclesiastici 710
Doctissimi fuerunt Ethnicorum sacerdotes 706 & seq.
Doctorum in cœlo prærogatiuæ 699
Doctor interior Christus & Spiritus sanctus sunt, sine quibus frustra alii docent 756
Doctori turpe est cum culpa tedar-

redarguit ipsum 518
Doctores quales esse oporteat 710
Domesticorum quam diligens habenda cura 803
Dominatus impotens absit à præsidè Ecclesiastico 511
Domi multa precandi obstacula. 102
Dominus in conuentu iustorum 103
Druydæ Galli Sacerdotes bene litterati. 707

E.

EBrietas libidinis mater 633
Ebrietas vocari potest quælibet amici perturbatio 664
eius causa, falsa de eius leuitate opinio 481
eius quam ferri vulnus grauius est 480
Ebrii cum adulteris & homicidis pariantur Apostolo 481
Ebriosus non sit clericus 474
Ecclesia ab apostolis edocta vbiq; sacrificat 245
eius illius potestas etiam ad immanentes actiones se porrigit & quatenus 178
eius præceptum de horis Canonicis legendis 178
Ecclesiasticus status cum probus est, populus quoque talis euadit 776
cum stomacho in humano corpore comparatur 775
item cum corde 776
eius dignitas quanta 511 & seqq
Ecclesiastici ad preces obligantur iure diuino ad determinatas vero preces & horas iure Ecclesiastico 115
Internuncii sunt & legati inter homines & Deum 227. & seqq.
aulici sunt curiæ cœlestis 229
intimi Christi domini ministri 306
immo angeli sancti sunt 231
qualiter habere se debeat in tabula ab apostolo, elegantissime depictum 348 & seq.
Ecclesiasticorum quæ bona 11
Ecclesiasticorum sui temporis luxum perstringit B. Bernardus 405
ab Ecclesiast eis cur tantam perfectionem exerat Apostolus 551 & seq.
Effundere animam esurieti quid significet 667
Effundere cor coram Deo quid sit 166
Effundere cor nostrũ quare debeamus 167
Eleemosyna ieiunio iungenda 666 & orationi 104

opus

opus misericordiæ & iustitiæ est 563
eius vtilitates 569. & sequentibus.
Eleemosynas largas dantium Ecclesiasticorum exempla 573 & seqq.
Eleemosyna Deo sua reddimus 568
idque cum nostro commodo ibid.
Eleemosynariorum exempla qui dando ditati sunt 569
S Elisabetha Hungar: precibus suis adolescentem discolum conuertit 180
Emendatio Cleri, emendatio populi 38
Episcopatus non priuati sed communis boni causa suscipiendus 405
Episcopatus presbyterio excellentior est 342 & seq.
Episcopus Iudex est presbyteri 344
Episcopi ad quid vocati sint 778
Illorum emendatio Ecclesiasticæ disciplinæ instauratio est 779
Ipsorum nomine etiam presbyteros comprehendit D. Paulus 337. & contra 340. & seq.
Ipsis cum presbyteris multa munia communia sunt 339
Eremitis olim cantus sacer vsitatus 211
Euagationes orantiũ quãta patientia Deus ferat 164
Euagationibus in orando diligenter resistendum 165
Euchatistia casto puroq; animo offerenda, & sumenda 244
& quibus cum actibus religionis? 173
in honorificentissimo sacrario asseruanda 45
summa cum reuerentia aliis ministranda 44
& inflammentalios Clerici ad eius amorem 44
Eucharistiæ descriptio 275
effectus 277
præconia 276
quæ ei maxime peccata repugnent 266
cur potissimum instituta? 242
Eunuchi, continentium figura 594. 597
Examen conscientiæ ante somnum commendatur 315
non solum Sanctis viris 319
Sed etiam Ethnicis vsitatum & commendatum 322
faciebat illud in horas singulas B. Ignatius Loiola 320
comparatur exploratori, hostium consilia deteganti 317
eius faciendi modus & formula 316
ac tota ratio in tabella proposita 313 & seq.

Excommunicatus sacrificare præsumens morte subitanea punitur 270
Execratio summopere Clerico vitanda 470
Exempla oratorum qui coram Principibus dicturi subito obticuerunt maiestate perculsi 180
Exemplar aliorum sint Ecclesiastici 34
Exosa Deo templorum neglectio 111
Expostulatio Dei cum nequam sacerdotibus 515
Extasin patiebatur B. Ægidius audito nomine Dei aut S. Trinitatis 186
Extasis quam Dei efficit amor quid & quotuplex 185

F.

FAbulatores in templo blasphemantiũ socii in inferno 113
Facies animi imago est 789
in Faciem cadunt pii, impii retrorsum. & quo sensu 322
Facie quasi ad faciem cum Deo agunt qui precantur 181
Fama bona necessaria est ad proximum iuuandum, ideoq; stolide negligitur 772 774
Famam qui habet bonam sat diues est 778
non negligant eam Ecclesiastici 700. & seq.
Familiaritas cum mulieribus suspecta 418
Femina fortissimorum virorum domitrix 487
Feminæ in templis tecto capite esse debent ob præsentiam Angelorum 77
Feminarum conuersatio Ecclesiasticis fugienda 605. 611. 614
Feminarum conspectum fugientis propositum miraculo Deus comprobat 605
Femoralia sacerdotum veteris legis quid figurauerint 580
Festi dies in Ecclesia cur instituti 313
qua pietate transigendi 313
Fdei exilitas parit irreuerentiæ tenuitatem 77
Filii ex seruis fiunt qui Deum laudant 6
Filios spirituales Ecclesiastici Deo procreant 584
Finis Clerici primarius honor & gloria Dei 1. & sequentibus.
secundarius propria integritas 3
vlterior populi ædificatio 29
Finis diuersus bonum facit opus & malum 3
Finis in quem homo curatus 699
Fines sacrificantis qui esse debeant 285

Flammæ ex orantium ore exire visæ 186
Flauianus Antiochenus non fuit autor versiculi Gloria Patri, &c 143
Fletus in morte Christi in resurrectione lætitia 133
Flores Sanctis reliquiis admoti sanitatem conferunt 126
aliud florum miraculum ibid.
Flores templorum olim ornatui adhibiti 126
Fortitudinis donum in sacramento Ordinis confertur 629
Foueam quam fecit impius in eā incidit: exemplis ostensum 412
Fragilitas humana describitur 546
Franciscus Xauerius cum in sacro ad Eucharistiam sumendam ventum esset vbertim lacrimabatur 274
Fugere in tentationibus carnis vincere est 610
Fugiendæ personæ suspectæ 775
S. Fulgentii temperantia 646
Funera olim cum cantu Ecclesiastico celebrata 212

G.

GEneroſus animus rectius ducitur quam trahitur 157
Gentibus vsurpati ritus ad bona conuerti possunt 108
Gentiles diuinam vim in templis agnouerunt 109
Gloria Dei finis rerum omnium ea 1. Deo in re omni tribuenda 2
præcipue à Clericis 5
Gloriam Dei etiam impius dum impedire vult promouet 2
ad Gloriam Dei directa etiam indifferentia opera meritoria fiunt 4
in Gloriā Dei non ordinatū opus vanescit 3
à Gloria Dei spectata humanarum actionum bonitas, meritum, salus 2
Gloria in excelsis Deo: in missa, quis autor 205
Gorgoniæ sororis Sancti Gregorii Nazianz. in ornandis templis pietas 120
Gradum bonum acquirere quid significet apud Apostolum 345
Gratia sanctificans Clericis in Ordinis sacramento cōfertur 526
Gratiæ præsentis argumentum est humilitas 548
Gratiarum actio Deo gratissima est oblatio sacrificij Missæ 245
Gratis dandum mutuum 414
Grauiora peccata eorum qui potiori honore fruuntur 400

Gregorius Nazianzenus ex moribus Juliani iudicat nil boni in eo latere 790
Gula vitanda Clericis 474
vide Intemperantia
Gymnosophistæ Indorum sacerdotes 709

H.

Hæreditas Domini, Clerici sunt 359
Hæretici cantionibus venenum suum fidelibus inspirare conati sunt 223
laudes Christi ferre non possunt 222
quidam improbant cantum Ecclesiasticum 191
reliquias Sanctorum abominantur 80
Hebdomas Sancta ante Pascha quam seuere olim à Christianis traducta. 655. & seq.
Herbæ ad Fimbriam imaginis Christi excrescentis vis miraculosa 91
Herba Adyantis sicca permanet etiam aquæ immersa 469
Hierarchia Ecclesiastica, quę sit 344
S. Hieronymi insignis abstinentia 648
Hilarion aberrans ab oratione vapulat à dæmone 163
eiusdem mira abstinentia 647
Hominum iudicia non curanda si nihil contra conscientiam nostram agamus 773
Hominum iudicia non mouent animum cœlo affixum 819
Honor humanus fumo similis 415
Honos olim maximus Clericis habitus 22. & sequentibus
Vide Sacerdos. Sacerdotium
Honorarios pueros quali habere voluerit Nabuchodonosor 358
Honoratior quanto quis fuerit tanto sit submissior 536 & 537
Horas Canonicas legendi quis modus. 151 & sequentibus.
cur in Ecclesia institutæ sint 147
male eas improbant hæretici quidam 141
sed probant Sancti Patres testimoniis diuinis 139
Horarum canonicarum temporibus Psalmodia cœlestis audita circa reliquias sacerdotum martyrum 146
Horarum officium cotidie legendum Clericis 127. & seq.
quod quidem publicè totius Ecclesiæ nomine persoluitur 128
nec omittitur sine scelere

mortifero ibid.
partitio eius in horas septem 492.
Hospitalis quis sit 548
Hospititatalis exemplar D. Gregorius 642
Humanæ imbecillitati precationis & genu flexionis intercapedo necessaria 130
Humiles quatenus esse debeant antistites Ecclesiæ 521
Humilitas aliarum virtutum custos est 539
Christo non conformat 538
Clericis maxime necessaria 536
Doctor eius & exemplar Christus 534
maximum Ecclesiastici ornamentum 532. 538
multiplex est 533
fructus eius complures 540. & seq
sine ea nullum opus Deo gratum est 538
Hymni antiquissimi sunt in Ecclesia. 140. & sequentibus.
Hymnos composuerunt Sanctus Ambrosius & Sanctus Chrysostomus 222
Hyppocritę qua pœna à Deo castigantur 506
Vide simulatio

I.

IAcobi Apostoli eximia charitas 686
Jactantia & inanis sui prædicatio 403
Icterici sanantur solo aspectu certi animantis 31
Ieiunans etiam à vitiis abstinere debet 664
Ieiunantes olim sine cibo ad vesperam vsque permanebant 666
Ieiunantium fructuose exempla 663
Ieiunium naturale ad Eucharistiam sumendam, necessarium 209
Quadragesimale quã stricte olim seruatum 654
variis à virtutibus imperari potest 662
eius laudes & variæ vtilitates 657
Angelorum imitatio est 658
substantia & imago cœlestis ibid.
docet reliquas virtutes ibid.
Deum placat ibid.
confert ad sanitatem 659
Dæmones profligat ibidem.
illustrat mentem 660
colitur eo Deus 662
impetrat bona præsentia,

& futura 663
ei aliæ adiungendæ virtutes 665
cur pridie festorum 663
Ecclesiasticum accurate Clericis seruandum 653
Ieiunia quatuor temporum 656
S. Ignatius instituit in Ecclesia antiphonas 142
B. Ignatius Loiola religiosæ vitæ Spiritū ex piorum librorum lectione hausit 305
Ignem alienum qui Domini Altari offerant 272
Ignem talem non admittunt altaria Domini, sed ignem diuini amoris 272
Ignis libidinis igne materiali retunditur 448
Illiterati ad ordinem Clericatus admitti prohibentur 498. & seq.
Illusiones variæ Dæmonum 161
Imago ærea CHRISTI & mulieris hæmorroissæ 91
Imago Christi à Judæis confossa sanguine fluit 93
similia exempla ibidem.
Imago Christi in sudario Veronicæ expressa 93
D. Virginis à Luca depicta miraculosa 93
item alia miraculosa 94
suam in Christi locum collocat Julianus quam Christus disturbauit 92
Imaginum oppugnatores impii omnes 65 & seq. iique seuere puniti.
Illarum vsum probari sibi Deus miraculis ostendit 90. & sequentibus
Imagines Angelorum in templis 75
eas aduersatus Mahometus 95
& alii similes ibidem & seq.
excitant amorem erga Deum & Sanctos 87 & sequent.
memoriam renouant mysteriorum fidei 86
cuius & testimonia sunt 88
reuerentiam à nobis exigunt 86
virtutis monumenta sunt 86
Deus & Sancti eis honorantur 88
Imaginibus quis honor habendus 89. & sequentibus.
Imbecillitate nostra dæmon vtitur ad mentis euagationem 162. & sequentibus
Imitatio Christi Clericis commendatur 45

Imi-

Imitatio Beatæ Virginis Clericis commendatur 47
Imitatores Apostolorum Canonici 12
Imitatores Apostolorum primi Christiani 18
Immodestia à tẽplo exulare debet 109. & sequentibus.
Immodesti in templo diuini metus expertes 113
Immunditia à templo relegatur 118
Imperator magnum honorem reputat ante Piscatoris Petri templum sepeliri 124
Imperatorum Christianorum erga templa magnificentia 122
Impii serui sunt qui Deum non laudant 6
Improbus alios probos facere non poterit 518
Improbi non ferunt hominis probi aspectum 31
Improbi Sacerdotes plurimum populo nocent 516
eorum pœna ibid.
Impudici aspectus, tactus omnes vetiti 436
Impurus homo in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum iniurius est 435.440
Impurus templum ingredi non debet 67
Incarnatio filii Dei quantum beneficium 769
Incessus noster qualis esse debeat 780.787
Inciuilitas à templis abesse debet 14
Incorrupta quædam à Deo conseruantur 65
Indigni ad sacra tractanda accedentes puniti 290
Indignissima res sponte à precibus euagari 172
Indignos ad sacros ordines admittentes reprehenduntur 395
Indignos qui ordinat communicat peccatis alienis 770
Indulgentia Patrum nimia, vitiosa est 458. 461
Inefficax tepida oratio 168
Inertes semper prætextũ inueniunt 136
Inimicis veniam precantes 687.688
Initium omnium rerum à Numine 54
Initium diei à sanctis cogitationibus & precib. Clerici sumere debent 54
Iniuriam facit Deo orans & vana cogitans 171

Inſcitiam clericorum Deus punit 495. & 496. & ſequentibus
In ſe ipſo quiſque vt viuo templo Deum imploret 110
Intelligere &diſcere quidam nolunt, ne bene agant 301
Intemperantia Clerico vitanda 475
rationes ab apoſtolo affe runtur ibid. & ſeq.
opus tenebrarum eſt 476
carnalem animam reddit ibid.
libidinis ſeminarium eſt ibid.
ſpiritualium rerum contemptrix 477
genus idololatriæ eſt 478
generat animæ mortem 479
obruit rationem, ibidem
Intendet Deus in vocem deprecationis noſtræ ſi nos prius in eam intenderimus 172
Intentio quæ ad horarum lectionem neceſſaria 104
Interrogare confitentem quomodo prudenter oporteat 723
Intuitus vis quanta in lupo, Baſiliſco, ſerpente &c. 31
Intuitus iuſti morum magiſter 30. & ſeq.
Intuitu ſuo probus torquet improbos 31
Inuectio in Sacerdotes impudicos 271. & ſequentibus
Inuidia cauſa eſt dæmoni cur nos infeſtet 175
locum inuenit etiam inter apoſtolos nedum clericos 486
ſequitur virtutem 809
eius exitiales fructus 486
oritur ex ſuperbia 488
opus tenebrarum eſt ibid.
carnalitatis ſignum 489
homicidij genus eſt, ibidem
radix malorum omnium ibid.
propria dæmonis eſt, ibid.
Inuitamenta ad crebro ſacrificandum 259
Inuiti olim reuerebuntur Chriſtum qui nunc ſponte nolunt. 72
S. Joannes Euangeliſta caritatis Doctor. 680
latronem conuertit 984
ſententia eius vnica: filioli diligite alterutrum 685
quam grauiter Epiſcopatus ſui munus obierit 682
Ioci noſtri quales eſſe debeant 781

Iocularis ludificator sit dæmon vt preces impediat 158
Ira quid sit 453. in clerico non tolerãda ibid. cur detestanda 456. hominem insanũ facit 456. priuat gratia diuina 457. ad alia impellit peccata 457. beluinum reddit hominem ibid. energumenis similem facit 458. ebrietas quædam est. ibid. facit obnoxium æterni ignis ibid.
minuit dies vitæ, & exempla quorundam quos ira vehemens exstinxit 456. Sed tamen quãdoq; iusta assumenda est 459 & exempla iuste irascentium 460, & seq.
Iracundus vitandus 454 nulla firma cum eo amicitia esse potest ibid.
Irascentem deserit Christus 455
Irreprehensibilis sit clericus, & quis talis 524
Irreuerentes erga sacras reliquias grauissime puniuntur 85
Irreuerentes erga SS. sepulcra puniuntur 81
Irreuerentes sacerdotes Deus punijt 71
Irreuerentibus Deus irascitur 73 & seq.
Iudas caput simulatorum 501
Iudæ gregales sunt, qui templorum ornatum reprehendunt 123
Iudices aliorum sunt Ecclesiastici 361
Iudices ciuiles si qui vellent refutare, eos iussit appellare Constantinus Imp. ad Episcopos 364
Iudicij extremi & signorum illud concomitantium elegans descriptio 702
Iudicium & tribunal Conscientiæ quale 321
Iulianus iubet Ethnicos sacerdotes similem Christianis prædicandi formam tenere 146
Iulianum sequitur Caluinus 124
Iustiniani Imp. vitæ austeritas in quadragesima 655
Iuramentum non nisi in graui causa vsurpandum 470
Iurantium laudabiliter exempla 471
Iustitiæ nomine omnes virtutes comprehenduntur 524
Iustus intuitu suo torquet improbos 31
Iustus quoque frequenter cadit 161. & seq.
Iusti homines sunt templum Dei 69
Iusti intuitus morum Magister 30. & seq.

L.

Labiorum vituli in Scriptura S. quid significent 218

Lac effluxit è gutture decollati Apostoli Pauli 604
Lacrimarum dono quidam Sancti affluebant in sacrificio missæ 274
Lampades noctu apparent ad corpus Martyris 205
Lampadum Euangelicarum mystica significatio 810
Lapidem è tecto deijcit dæmon vt orantē turbet 160
Lapides vngendi vetustissimus ritus 98
Laqueos orci extricat cantus 210
Lauare vestimenta quid in scriptura significet 579
Lauare vestimenta sua debet Sacerdos ante missam, & quo sensu 265
Laudat Deus sacerdotes sui numinis reuerentes 188
Laudare Deum docent nos pueri in fornace Babylonica 7
Laus Dei nobis vtilis 6
Laudis materia bonitas Dei 7
Lectio ad mensam Clericis præscripta 640
Lectio spiritualis quam salubris fuerit Iosiæ regi 301
eius beneficio ad fidem traductus est Eunuchus Candacis reginæ 302
eadem vtilitas in Augustino & alijs enituit. ibidem. & seq.
Lectioni Spirituali Clerici tempus superuacaneum dedicent 300
Lectionem super mensa vsurpauit D Augustinus 643
Lectiones in officio diuino vnde sumptæ sint 141
Legatione fungitur sacerdos sacrificans 279
Legit aut orauit semper Origenes 300
cum Legimus Deus nobiscum loquitur, cum oramus nos cum Deo loquimur 307
Legitimę causæ prętextu dęmon à precibus abducit 157
Lenitatis exemplar Apostolus 618. Vide Mansuetudo
Lex Christi vna tantum est, Charitas 678
Liberalis Deo similis est 518
Liberalitas Clericis commendatur 548
Liberalitas SS. Trinitatis in nos 519
Liberalitas iactantia omni carere debet 517
Liberalitas maxima eorum est, qui mundum totum relinquunt 517
Liberalitas nostra ne cui noceat videndum 518
Liberalitas quibus exhibenda sit 531
Liberalitas quid sit 547
Liberalitatem commendat animus non donum 510
Liberalitatis natura explicatur 549
Liberalitatis proprietates 556

Libidinis ignem, ignis gehennæ excipit 272
Libidinem quomodo in se Sancti nonnulli acerrimis cruciatibus restinxerint 610. 614
Libri qui potissimum Clericis euoluendi 306
Libri tres de humilitate Christi ab autore promittuntur 782
Licentia vitæ in multis causa est cur raro communicent 253
Lingua etiam Deum concelebret, non cor solum 217
Linteum olim contra faciem morientium tendebatur 262
Litigiosus non sit Ecclesiasticus 462. Vide Contentio
Litigium maxime inter coniunctissimos dominari solet 463
Locus quis eligendus ad precandum 238
Loquitur sacerdos in missa cũ Deo & qua ratione 279
Lotio & vestium candor in sacris vsurpata 66
Lucta Spiritus & carnis in D. Augustino 304
Ludi & ioci quatenus vsurpandi 783
Ludouicus Rex Franciæ circa confessionem quid filio suo dederit in mãdatis 296
Lupi aspectus raucũ facit 31
Luxuria etiam in senio quibusdam Sanctis vitis molesta 609
excludit à cœlesti gloria 435 in Christum Spiritumque sanctum iniurioſa 440. & seq. imo in totam Trinitatem 435 detestanda ei qui ad Eucharistiam accedit 267
Luxuria quid, & eius pestiferi fructus 434
sanguinem testamẽti pollutum ducit 441
summopere dedecet præstantiam humanæ naturæ 439
superat quos nulla tormenta potuere 443
tentauit Sanctos quosdã, sed non decepit 438. alia item eius damna & incõmoda 450. animæ corporisq; salutem perdit. ibid. brutum efficit animal. ib. totum hominem exagitat 452. virtutum ruina & interitus est ibid. lerna malorum. ibid. morbus insanabilis. ibid mancipia dæmonis facit 453
Luxuriæ in Clericis vnde initium 438
Luxuriæ omnem suspicionem vitare debent Clerici 434. & seq. item 436
Luxuriam non vitarunt quidam, etiam postquam Sancti esse viderentur 437
Luxuriosus corpus suum locat diabolo lenoni 440
Luxuriosus quidam viuus videnſq; ad gehennam abreptus 446. & seq.

Luxu-

Luxuriosus vitandus omnino 441
Luxuriosorum Clericorum exempla 437
Luxuriosos sæpe in hac vita terribiliter Deus puniuit, & in hanc rem exempla 442 & seqq.
S. Lyduuina precibus raucedinem cuidam impetrat superbe canenti 295

M.

Magnificentia Christianorum Impp. erga templa 122
Maiestas Dei in templorum ornatu cõmendatur 120
Maiestas diuina quanta 546. & seq.
Maiestatis diuinæ cogitatio attentionem in precibus conciliat 178.183
Maiestatem diuinam oraturi sibi ob oculos ponant 182
Maiestatem regiam si reueremur cur non magis diuinam 188
Maledicta aliorum patienter ferenda sunt 468 469
Maledicus non sit Ecclesiasticus 467
Maledicentia exitiale peccatum est 467
Malus facilius bonos corrumpit, quam bonus malos conuertat 807
Mali reperiuntur etiam in sanctissimis familiis 520
Manducare & bibere ad gloriam Dei iuxta præceptum Apostoli quis censeatur 630
Mansuetudo amabiles facit 621. laus eius 616
Ecclesiastico necessaria est 619 & seq. exemplar eius Christus 617
Mansueti qui sint 619
Mansuetorum quorundam exempla 622
Mansuetos Deus singulariter docet 610
B. Maria virgo dicipara. Vide B. Virgo infra
Martyrij genus est inebriare volentibus non succumbere 486
Martyres præcipue colendi 51
Martyrum encomia 79
Mathathiæ sacerdotis zelus 694
Matrimonio alligati Sacerdotes non possent commode obire munia Ecclesiastica 583
Matutina rerum salutarium contemplatio Clericis commendatur 57. & seq.
Matutinæ horæ ad celebrandam Christi resurrectionem referuntur 134
Mediator inter Deum & homines sacerdos 376
Medice curate ipsum Concionatoribus dicitur 745
Medicina peccata cuiq; vti morbo facienda 724

Medi-

Medicina ſpiritualis diuerſis diuerſa præbenda 763. & ſeq item 767
Medicorum ſpiritaliũ cum corporalibus collatio 762 & ſeq.
Meditantes ſacra animalibus ruminantibus comparantur 60
Meditatio probos ab improbis diſcernit 59
Meditationis ſanctæ vtilitates 59. & 62
Membris Chriſti ſingulis quos commendare poſſit ſacerdos in Miſſa 285. & ſeq.
Menſa D. Auguſtini qualis 642
Mendacium ignominia hominem notat 510 pediſſequum diaboli facit ibid. mortem in mundum inuexit. ibid. non in verbis ſolum cernitur ſed in operibus 507 nulla circumſtantia licitum fieri poteſt 509 omnino vitandum 507 tria eius genera ibid.
Mendax ſine Spiritu maligno non eſt 511. Deo inuiſus eſt ibid.
Mens hominis Eccleſiaſtici eleganter arcæ fœderis comparatur 714
Mens in Deo cogitationibus aſſiduis affixa haud facile euagatur in precibus 183
Mentiri & falſum dicere differunt 508
Mentiri quis proprie dicatur 508
Mentiti ſunt quidam viri alias primarij 512
Mercatura & negotiatio Clericis vetita 422
Meretricum lenocinia quomodo ſancti quidam euitauerint 614. & ſeq.
Mille nocendi artes dæmonis 769
Miniſtri ſacrificij miſſę quales eſſe debeant 288 miniſtrantis indigne punitio 288
Minores horæ vnde nomina ſua habeant 137
Miraculis oſtẽdit Deus cultum Imaginum ſibi placere 50. & ſeq.
Miſericordia Dei ad templum inducit 105
Miſſa propitiatorium ſacrificium eſt 246
de Miſſæ quotidiana celebratione dictum memorabile Laurentij Iuſtiniani Patriarchæ Veneti 263
Miſſæ quotidie operantium exempla 259. & ſeqq.
Miſſæ ſacrificij oblatio, gratiſſima Deo gratiarum actio eſt 245
Miſſæ ſacrificio dæmonum nocumenta depelluntur 248
nullum opus diuinius 265
qua religione ei adeſſe deceat 250

hex-

horrore & reuerentia plenissimum est 258
impetratiuũ est omnium beneficiorum à Deo 248
interpellari non debet 281 & seq.
offertur à solis ortu vsque ad occasum 244
Missæ tollendæ autor dæmon 249
Missam cottidie ex regula celebrant societatis Iesu sacerdotes 263
Missam esse sacrificium fideles toto orbe crediderunt 249
Missam omittens sacerdos se alioſque multis bonis priuat 256
ad Missam accedendum qua puritate mentis 264
Modestia in Christo Domino insignis 788. & in Beatissima eius matre ibid.
Modestia in vestitu 793. & seq.
Modestia omnium fauorem & beneuolentiam conciliat 785
quid sit & vnde dicta 780.
quod eius officium. ibid.
gratissima Deo est 781.
quod eius præmium ibid.
verus est ornatus Christianorum 780
quomodo se habeat in moderandis actionibus externis 782
eius fructus & vtilitates 789 & seq.
eius Regulæ. 787. & seq.
Modestus horto floribus ornato similis 785
Modus horas canonicas legendi 151. & seq.
Monachorum flos olim ad Cleri dignitatem adscribebatur 23
Monasteria Clericorum 28
Mores exteriores Cancelli sunt pectoris 789 & seq.
Mores de probitate cuiusque iudicant 792
Morientium contra faciem olim moris erat linteum obtendere 262
Moysis ingens zelus 693
splendor ex consortio diuino 186
Mulierecularum familiaritas suspecta 418
Multiplicatio Clericorum disciplinam laxauit 24
Multi simul precantes accenderunt deuotionem 102
Multitudo auditorum in cõcione belluæ multiplici eleganter comparatur 759
Mundicies cordis necessaria ad rite orandum 217
Mundicia & comptus muliebris in Clericis reprehenditur 26
Mundi & terrenarum rerum contemptus 277
Muniendum pectus aduersus diaboli actus 165
Munificentissimus Deus erga sibi in templo supplicantes 105
Musæ cur virgines fingantur 591

Mutuum gratis dandum 424
Mysteria redemptionis nostræ horarum Canonicarum vicissitudine repræsentantur 144

N.

NAturæ inclinationes ratione emendantur 791
Naturæ suæ ductum quilibet sequatur in licitis 786 787
Negotiator Clericus vt pestis fugiendus est 423
Negotiatores vix à peccato se custodiunt 422
Nepotianus templa exornat 125
Nidus Spiritalis columbæ altare Domini 107
Nitor & pulchritudo templorum homines ad se inuitat 120
Nocentior nemo Ecclesiæ quã peruersus Clericus 519
Noctes precibus transegit Christus 136
Nocturna precatio impietatis expiatio 136
Nonna mater Greg Nazianzeni in tẽplo taciturna 114
Nox filiis lucis dies est 137
Noxia iuris expellenda si salutaria prodesse volumus 167

O.

OBedientia Christi 16
Obedientia Clericorum promissa Episcopo 20
Oblatio sacerdotis in missa qualis & cuius rei sit 280
Obseruanda in diuini officij recitatione 237. & sequentibus aliquot foliis.
Occasionem vt Deus habeat nobis dandi aliquid hortatur ad hoc perẽdum 230
Oculorum custodia 612 & seq.
Oeconomus bonus, bonus sit Ecclesia Prælatus 803
Officium diuinum cur in Ecclesia vtiliter celebretur 147. & seq.
vnde desumptum 139. & seq.
eius rite persoluti vtilitates 215
Officij Ecclesiastici diuinitas 226
Omne tempus precationi idoneum 129
Omnibus omnia factus Apostolus quo sensu 765
Oppositis choris in Ecclesia cantandi ritus vnde 213
Oppugnatores imaginum. Vide Imagines.
Oratio à peccato liberat 175
Oratio fugat dæmones 447
insigne medium ad scientiam comparandam 715
Omittenda potius quam cum voluntaria distractione peragenda 188
iungenda ieiunio est 667
quid sit 158 636
tepida inefficax est 168.
sine attentione non est oratio 148
magna eius dignitas 636
dæmones per eam pellantur 174

Dei

Dei templa sanctificantur 98
venia delictorum impetratur 174. Vide Preces & Precatio
Orantes sed in scelere pertinaces quibus similes sint 168
cum Oramus nos cum Deo loquimur, cum legimus ille nobiscum loquitur 307
Orare in templis negligentes qua pœna apud Turcas afficiantur 114
Oraturus sic se habeat quasi in medio cælo versetur 181
Oratorium domesticũ quale esse debeat 331
Oratorium seu conclaue ad precãdum domi habeant Ecclesiastici 330
Ordinatio Clericorum publice cur fieri debeat 771
Ordinandus diu multumq; probari debet 396
Ordinandotum in vitam inquirendum 772
Ordinis sacramentum gratiam quam conferat 516
in Ordinis sacramento, quæ dona Ecclesiasticis conferantur 628
Ordines minores primitiæ Ecclesiæ incognitos fuisse male assueuerauit Caluinus 346
Origenes vnde Adamantij cognomen acceperit 300
Ornatus Clerici quis sit 525
Ornandis templis flores visitati 126
Ornare templa Cleticos maxime decet 124. & seqq.
Ornata esse templa debent 117. & seqq.
Ornatus templi fidei nostræ index 118. item amoris in Deum 119. pietatis, & grati animi ibid. & denique religionis 120
festis præcipue diebus curandus est 127
Christus eum approbauit 122. & seq.
Deus mandauit 121
indigne fert Iulianus Apostata, & eum sequitur Caluinus 124
Otiositas mater vitiorum 493

P.

PAcis Symbolum est Eucharistia 266
Parere Dominum quis dici possit, à Gregorio explicatum 378
Parua sæpe magnum detrimentum adferunt 370
Patientia ad salutem necessaria est 626
Patientia quid sit 623 clericis præscribitur ibid.
tribus modis exerceri potest 625
eius insigne exemplum 627

Patres

Patres spirituales qualiter colendi sint 374
Patronorum singularium veneratio clericis commendatur 50. & seq.
S. Paullini charitas in proximum stupenda 690
S. Paulus Apostolus charitatis flamma & se & alios accendit 668
comparatur ceruæ rugienti & parienti 371
peritissimus fuit medicus animarum 696
materna eius viscera 370
zelus animarum immensus. 695
admiranda charitas 673
S. Pauli eremitæ in victu & amictu sobrietas 646
Paupertas Christi 15
Paupertas clericis vota 20
Paupertatis Euangelicæ admirabile exemplum in serapione 691
Paupertatis amor & mundi contemptus suadetur 277
Paupertatem Apostolicam amplexus S. Aug. & eius sectatores 14
Pauperum interfectores sunt qui eis eleemosynam necessariam subtrahunt 563
Pauperibus dandum sine curiosa inquisitione in eos 583
Peccatum est dæmonium pessimum 115
Peccata exilia sæpe minuunt honestam existimationem 399
Peccata quæ maxime cum Eucharistia repugnet 166
Pecuniarum cura animarum incuria 40
Percussor quis dicatur 473
Percussorem esse Ecclesiasticum non decet 473
Perfectio maior in præstantioribus requiritur 525
Perfectionem omnimodam Christus à clericis requirit 526
Perseuerantia in gratia æque necessaria est ac prima gratia 252
Personæ in quas maxime oportet esse liberales 512 & seq.
Personas quas sustineant Ecclesiastici in officio diuino 217
Pertinaces in scelere Deumq; orantes quibus similes sint 168
Perturbationes animi sedat cantus 220
Peruersitas clericorum aliis offendiculo est 35
Peruersitas cleri deprauatio populi 39
Peruersus clericus Deo inuisus 36 sibi suisq; dedecori est 37 toti statui maculam inurit ibidem
Pharmacopæi specie variis pixidib instructi dæmon cuidam visus 769
φιλάγαθον iubet esse clericum Apo. & quis talis 488
Phinees insignis zelus 694
Phryx plagis emendatur 157

Pia lectio in itinere vsurpata 105 Vide Lectio
Pie, honeste, tranquille omnia in templo peragantur 110
Pie qui canit etsi male, à Deo auditur 197
Pius affectus in cantu necessarius 196
Pietas cantu pio exstimulatur 224
Pietas seu religio Clericis commendatur 334
Pij solum Deum rite laudât 6
Piorum & impiorum societas quo maxime signo discernatur 540
Pluralitas beneficiorum perturbatio ordinis Ecclesiastici est 426
ob Pluralitatem beneficiorum damnati quidam 428
Pluribus onerati beneficijs legant eius Ecclesiæ officium in qua potissimum residunt 153
Pœnæ in frangentes ieiunium seueriſſimæ 654
Pœnitentia antecedat precationem 167
Pœnitentis mulieris exemplum 167
Pœnitenti data spes gloriosæ resurrectionis 134
Portare peccatum suum in scriptura quid significet 468
Portus omnium perturbationum tutissimus humilitas 542
Possidet Deus beatos & illi Deum 360
Post officium diuinum peractum quid agendum 241
Prædestinationis signum puritati cordis diligenter studere 323
Prædicatio despicitur cum vita contemnitur 38
Prædicantes hæretici graphice à D Greg. Nazianzeno describuntur 734
Prælati à Deo grauiter iudicabuntur 40
Prælati Ecclesiæ ceruos virtute antecellant 530 &seq.
Præparatio ante orationem præcedat 171
Præparatio quæ præcedere possit ante confessionis auditionem 728
Præparatus ad orationem quis accedere cẽseatur 171
Præsentiæ diuinæ cogitatio attentionem in precibus conciliat 178.&185
Præsentiam Dei in oratione quibus modis nobis imaginari possimus 184
Præsentijs carere vult Conc. Trident. eum, qui Ecclesiæ seruitium debitum non impleuerit 421
Præstantiæ diuinæ cogitatio fons amoris 183
quo Præstantius quidq; cæteris est, hoc citius in eo næuus apparet 514 &seq.
Praxis Spiritualis habendi concionem 738
Praxis & vsus rem diuinam faciendi 178

Precandi desidia insanę mentis nota est 230
Precantium ab ore flammæ exire visæ 180
Precationis effectus 174
Precationis socia sit Eleemosyna 104
Precatione munitus dæmonibus formidabilis est 174
Precibus aptissimus est secessus 102
Precibus omnis locus opportunus 115 & seqq.
Precib. omnia obtinētur 230
Precibus inuigilandum 169. Et semper quidem 130
Presbyteratum Episcopatui exæquat Arrius 343
Presbyteriorum nomine etiā Episcopos cōprehendit D. Paulus 340 & cōtra 337
Primæ tonsuræ quæ ratio 21
Primatus in terra, confusio in cælo 407
Primogeniti olim quæ prærogatiuæ 477
Priuata commoda publicis posthabenda 406
Probatio ante missæ sacrificium quæ antecedere debeat 264
Probitas Clericorum alijs ad virtutē incitamento est 36
Pronunciatio, inter recitandum officium diuinum qualis esse debeat 239
Proprietatem à suis exclusit D. Augustinus 14
Proximi cura singulis incūbit 29 & seuera olim ratio exigetur 703. & seq.
Proximi neglectus gradus nouem 704 & seq.
Proximi salutem curantes quid lucrentur 706
Proximum non diligens, nec Deum diligit 608. vide plura V. Charitas.
Prudens nemo iudicatur nisi patiens sit 616
Prudentia quæ in confessario requiratur 725
Psalmodia auditur ad corpus Regis Wisigothorū martyris 205. & aliorum martyrum 208
Psalmodia cælestis auditur circa reliquias martyrum occisorum 146
Psalmorū meditatio dæmonem in nos cōmouet 162
Psalmorum vsus semper in Ecclesia 140
Psalmos etiam hæretici admiserunt 140
Publica vtilitas scopus Prælatorum 697
Puer ad cælum raptus beatorum Spirituum cantus audit 264
Puris manibus sacra tractanda 64
Puritas animi quam corporis potius in sacris attenditur 66
Puritas mentis necessaria est ad diuinas scientias comparandas 713. 714
Puritas sacerdotis esse debet quanta phialæ vitreæ limpidissimo liquore plenæ 384

Q.

QVadrageſimale ieiunium poſtrema hebdomade quam ſtricte obſeruarit Iuſtinianus imp. 655
Querela D. Bernardi de peruerſis clericis 25
Quid ſit vere & ſincere inuocare Deum 164
Quilibet à quouis Sancto cur non curetur 411
Quomodo nos Deo loquamur & quomodo ille nobis 164
Quotidiana Apoſtolorum in templo precatio 104
Quotidie celebrantium miſſam Exempla 259. & ſeqq. vide plura Miſſa & ſacerdos
Quotidie Chriſtus in templo verſatus 104
Quouis in loco Deus exaudit precantes 115. Exempla ibid.

R.

RAnæ à coaxatione ceſſant ne rem diuinam turbent 112
Rationes ab auaritiæ idololatria auocantes 430
Rationum conſcientiæ Codicem vult nos habere S. Chryſoſtomus 321
Reformator Clericorum primarius D. Aug. 27
Reges ſacerdotibus ſubditi 366
Reges ſacerdotum manus exoſculantur 367
Regia maieſtate auguſtiores ſacerdotes 365
Regiam maieſtatem ſi reueremur cur non magis diuinam 188
Regulam D. Auguſt. plurimi Clerici ſecuti 27
Rei exemplo coram iudice Chriſto reuerenter aſtare debemus 189
Religionis excitamenta plura in templis quam alibi 102
Religione maxima peragenda miſſa 265
Reliquiæ ſacræ affligunt dæmones 79
cur honorandæ 79
in templis reuerentiam a nobis exigunt 78
pietatem in nobis accendunt 78
reuerenter tractandæ 85
Reliquiarum particula iuſtar totius corporis 81
Reliquiarum ſacrarum tactio benedictionis aſſecutio 85
Reliquiis ſacris admoti flores, ſanitatem conferunt 126
Reliquiis dæmones exterminantur, morbi ſanantur, alia miracula patrantur 81 & ſeq.
Remunerat & comprobat Deus ornatum templorum 121
Reſponſoria in officio diuino vn-

no vnde 142
Resurrectio Christi Martyrum consolatio 134
Resurrectio gloriosa speranda non terrenorum bonorum copia 133
Resurrexit Saluator summo mane 131. & seq.
Reuerentes sui numinis sacerdotes DEVS laudat 188
Reuerentiam DEI ab omnibus exigit Apostolus 79.
Reuerentia duplex externa, & interna 187
Reuerentia erga sacrificium in gentili puero stupenda 112.
Reuerentia in precibus quæ requiratur 187
Reuerentia in sacris obseruanda 65 Dauidis exemplum ibid.
Reuerentia quanta Angelorum erga Deum 189
Rex si vigilat quanto magis gregarius miles 130
Risus nimius reprehenditur 785
Risus quatenus moderandus 784
Rosarij precatio cottidiana Clericis commendatur 48.
Rubricæ sacerdoti sacrificandi accurate seruandæ sunt 284.

S.

SAbbathum quid mystice significet 595
Sacerdos ad digne celebrandum quomodo se præparare debeat 182
etiamsi curam animarum non habeat à celebratione missæ omnino abstinere non debet 258
indigne quidam accedens ad sacrificium quam grauiter à Deo punitus 268. & alij: seq
quid ager, si necessitas vrgeat ad celebrandum, nec copia sit ante confitendi 264
raro celebrans ingratus Deo est 257
muneri suo non satisfacit 258
sacrficans gerit Christi personam & quibus in rebus 281. 286
sacrificaturus quid consideret 278
progressus eius ad aram introitus cæli est 282
dolori ei esse debet, non cottidie posse celebrare 260.
Sacerdotem esse Christum necesse fuit 242
Sacerdotes Angeli sunt & qua ratione 377
Sacerdotes Ethnicorum litterati fuerunt 707
Sacerdotes & pro se & pro aliis rationem reddent 776
aliorum iudices constituti sunt 389. super cathedram Christi sedent 395.

operatur Deus per illos etiam improbos ibid.
Sacerdotes facti sunt Apostoli in vltima cœna 242
Sacerdotes olim simul reges 365 & seq.
Sacerdotes quales velit Spiritus sanct. 529 sunt quasi quidam generatores Saluatoris 378 sunt spirituales aliorũ patres 369. suppares Christo dom. 380 ter restres quidã dii sunt 380
Sacerdotum in alios fideles beneficia 375
immunitas 388
laudes & tituli 381 & seq. quã eos honorauerit Antonius Abbas 391
& S. Franciscus 391
item reges & principes 388.
in veteri testamento quæ puritas ab eis requisita fuerit 290
magna eis similitudo cũ Deipara virgine 379
grauiter puniti qui eos despexerunt 389
Sacerdotalia paramenta quę mysteria repręsentent 284 seq.
Sacerdotii dignitas 351. 376
excedit omne humanum fastigium 355
nam Imperatoria maiestate dignius 368 quid ni principatu & regno 362 365 adituri illud multũ se ante præparent 386
susceptionem eius cur distulerit Greg. Nazianzenus 289. & seq.
alii quoq; sancti præ humilitate fugerunt 384
Sacramentorum administratio exigit perpetuam in ecclesia continentiã 82
Sacrarum rerum locus sacer est 98
Sacrificium cur & quando institutum 242
Sacrificii cruenti & incruenti discrimen 280
Sacrificii missæ fructu viui & defuncti gaudent 243
Sacrificio finito quid sacerdoti agendum 287.
Sacrificio ministrantes quales esse debeant 288.
Sacrificio missæ quotidie ecclesiastici intersint 244
Sacrificia vetat fieri Cyprianus pro defuncto Victore quod clericum ad sæcularia negotia aduocasset, eũ tutorẽ constituẽdo 236 vide plura verbo Missa
Sæculares homines quam facile ab oratione auocentur 165
Sæcularia negotia quoad eius fieri potest ecclesiastico vitanda 297. & seq. item 335
Saltatione dæmon preces eremitæ turbare conatur 159
Salutaria non prosunt nisi noxiis expulsis 167
Sancta sanctorum & arca propitiationis Christus est 109.

Sancti ad monumenta sua sæpius præsentes 80
Sancti qua ratione nobis adsint 84
Sancti vbi volunt esse possunt 83
Sancti vna nobiscum in templo Deo supplicant 101
Sanctorum laus, laus Dei est 41. & seq.
Sanctorum quoque animus à precibus euagatur 163
Sanctorum veneratio Clericis cõmendatur 41. & seqq.
Sanctorum Veneratio & imitatio ad virtutem alios incitat 43
Sanctitas ipsa templorum excitat pietatem 97
Sanctitas templi etiam alia sanctificat 99
Sanctulus abbas pro alio se in mortem offert 690
Sanguis in scriptura peccatum significat 191
Satisfactio qualiter ægrotantibus iniungenda 725
Satisfactiones seu pœnitentiæ confitentibus iniungendæ sunt congruæ peccatis 725
Scandalum aliis præbentes Christũ persequũtur, sanguinẽq; eius profundũt 39
Scandala cauendum ne à Clero oriantur 520
Scindi modus quis sit 740
Scientiam à sacerdotibus exegit Deus 708. & Christus ac Apostoli in nouo testamento 709. 494
Scientiam comparaturis quę sint necessaria & vtilia media 713. & seq.
Scientiam sine charitate inflare simili ostenditur 741
Scire quænam oporteat Ecclesiasticos 711
Scire varij volunt ob varios fines 741
Schola Satanę & schola Christi quid profiteantur 617
Scripturæ sacræ obscurę sunt & difficiles 718
Scripturarum lectio Clericis commendatur 306. 711
Scrutari scripturas plus dicit quam legere 307
Seculares debet virtute superare Clericus 527. & 513. & seq.
Secularium negotiorum tractatio in templo Christum offendit 104
à Secularibus quantã perfectionẽ Christus exigat 517
Sedere in throno quid in scriptura significet 85
Septem horas dormire naturæ sufficit 134
Septenarius numerus in sacris & prophanis mysteria multa continet 150. & seq.
Septenis vicibus per diem Deum laudare Dauid instituit 130
Septies in die cadit iustus 162
Seruitus Dei duplex, ex metu & amore 357
Seruus Christi, titulus est super omnes titulos 358
Seruus Dei quis sit 357

Seruum se facit Paulinus Episcopus vt seruum redimat 575
Serui Deum laudantes, in filios adoptantur 6
Seueritate minus quam iocatione peccatur 784
Silentium confessariorum strictissimum 716
Silentium & quies decet Ecclesiam 113. & seq.
Siluit diu Christus antequam concionari inciperet 719
Similibus explanatur vis vna precantium 102
Simonia quandoque hæresis dicitur 420
Simonia quid sit 419. & vnde nomen 420
Simoniacus quidam Spiritum Sanctum nominare non potuit 421
Simulata pietas duplex iniquitas 502
Simulatio autori suo perniciosa 505
Simulatio & fallacia à Clerico abesse debet 499
Simulatoris nequitiam Deus in lucem protrahit 503
Simulatores & bilingues quibus similes sint 500
Simulatorum coryphæus Iudas fuit 501
Sobrietas & temperantia diebus festis commendatur 314
Sobrietas necessaria ei qui bene orare velit 636
valetudinem adiuuat 634
vigilantiæ parens est 618
Sobrietatis donum in Sacramento Ordinis Ecclesiasticis confertur 619
Sobrietatis exempla veteris testamenti 630
Sobrius qui non est nihil differt à bestia 617
Sobria sint clero conuiuia sintque pudica 199
Societas Clericorum qualis esse debeat 15
Societas praua Clericis vitanda 805 quamque ea noxia sit 683. 806. & sequent.
Solatium eis qui hic à malis calumniam patiuntur 812
Solitudo & secessus scientijs diuinis acquirendis apta 716
Somnus viri pij qualis esse debeat 310
Speculum aliorum Clerici sunt 15
Spes resurrectionis pœnitenti data 134
Spe magna consequendi quod petimus ad orationem accedendum 239
Spiritus fornicationis in specie æthiopis quam fœdus visus abbati Pachon 449
Spiritus S. ad templum inducit 104
in Spiritu adorare Deum quid sit 312
Splendor templorum Dei nobis maiestatem commendat 110
Sportulæ quid 15

Sportulantes, canonicorum genus 13
S. Stephani eximia charitas 687
Stipendia olim Ecclesiasticis ab Episcopis dabantur maiora minoraue pro ratione ordinis 14
Strepitus omnis in templo vitandus 112
Studium in legendis Horis necessarium in quo consistat 155 & seq.
Stultitiæ nota multus risus 785
Studuit B Paulus vsque ad extremum vitæ 737
Stupenda hominum vecordia in orando 173
Subditos deserere cogitans Episcopus reprehenditur diuinitus in visione 751
Sudaria & Semicincta Beati Pauli morbos profligant, dæmones expellunt 83
Superbia à Clericis longe abesse debet 400. 403
ex auaritia nascitur vt vermis è ligno 432
prodit sein mentis tumore, verborum iactantia, morum insolentia, vestium pompa 403. & sequentibus
quam Deo detestabilis 401 & sequentibus, Item 537
Supplicum libellorum præfectus est sacerdos sacrificans 280
Sursum corda cur moneat sacerdos 169
Suspicio omnis mali cauēda 805
Sustentatione Ecclesiastica indignus qui officium horarium non persoluit 128
Synaxis sacra. Vide Communio & Eucharistia

T.

TAbula in qua imago depicta est Ecclesiasticæ vitæ 348 & sequentibus.
Tacita precatio efficacissima 198
Tacite cur nos iubeant Sancti Patres orare 199
Talentum suum abscondentes supplicio non carebunt 749. & sequentibus.
Talentorum à Deo acceptorum quilibet rationem reddet 8.&9
Tegenda sunt vitia Sacerdotum potius quam propalanda 368
Temperantia quas ob causas colenda sit Ecclesiastico 630.632
Temperantiæ exempla ex vtroque testamento 643.& seqq.
Temperantiæ laus 628. Vide plura Sobrietas
Templum cœlo comparatur 68.110

eut locus terribilis 70
est domus sacrificii & orationis 69
habitaculum Dei est 69
in Templo à Deo & Angelis notamur 70
in Templo Dei præsentiam Dauid agnoscit 69
in Templo nihil non sanctum tractandum 110
in Templum quidam veniunt duce diabolo 113
Templa & altaria recte Deo consecrantur 98
Templorum ipsa sanctitas pietatem excitat 97
Templorum ornatus: Vide ornatus.
Templorũ violatores seuere puniuntur 100
in Templis Deus religiosius quam in profana domo colitur 101. & sequentibus.
Tempus certum & constitutum in recitando officio diuino obseruandum 238
Terminus laborum nostrorum in cœlo est 107
Thesaurizandum in cœlo non in terra 416
Thomas Aquinas quotidie Missam celebrabat, & aliam insuper audiebat cui & inseruiebat 263
Timothæi laus 372
Torquetur dæmon Psalmorum recitatione 162
SS. Trinitatis in nos liberalitas 559.
SS. Trinitatis opera externa indiuisa 392
Tristitiam pius cantus mitigat 123
Turcarum in templis reuerentia 114
Turpitudinem omnem seuere interdicit Saluator 436
Turricula olim Eucharistiæ conditorium 289.

V.

VAsis sacris Ecclesiæ non parcendum vt inopiæ pauperum subueniatur 560
non pepercit certe D. Augustinus & alii 575
Vaticinium Isaiæ de ornatu templorum præsertim Christianorum 112
Vbique Deus inuocandus 115
Vbi Christus ibi & Angeli 74
Venatorem non ferarum sed animarum Clericum esse decet 299.
Vendentium seipsos exempla vt alios redimerent 691
Veneratio Sanctorum Clericis commendatur 41. & seq.
Veniam precetur contumelioſus Ecclesiasticus 467

Verbum Dei cibus animæ est 308
qua cum præparatione audiendum 308
pro cuiusque affectione suscipitur 776
Verba Deus in oratione non quærit, sed affectum 177
Veritas à confessario auditi ametur 296
Versiculi in officio diuino vnde 142
Versutia & calliditas absit à Clerico 502
nam Deo displicet ibid.
Vespertino tempore quæ mysteria recolantur 144
Vestitus de animo fert iudicium 793
Vestitus peculiaris, peculiaris status & conditionis indicium 801
Vestitus qualis esse debeat 793. & seq.
item 790. 800
Vestitus simplex & vilis à Deo datus primis parentibus 801
Vestium luxum reprehendit D. Bernardus 794. 797
& Cyprianus 795
Vestium quis finis naturalis 800
Veteris legis Sacerdotes arguunt quo nostrorum sanctitas esse debeat 528
Vigilantia propositorum Ecclesiæ necessaria 520
Vigilandum semper in precibus 130
Vigiliæ & orationes commendantur 137
Vilitatis nostræ & diuinæ maiestatis cogitatio orationi præmittatur 170. 239
Vinum Clericis & eorum conuiuiis moderate sumendum 483
Violatores templorum seuere puniuntur 100
B. Virgo animitus colenda 49
non patitur sibi cultum frustra exhiberi 48
quas virtutes sectata fuerit, quæ vitia deuitauerit 47
suis cultoribus perfugium, arx, portus 48
amabilissimi & honestissimi eius mores 47
imago eius miraculosa 93
Item alia miraculosa 94
imitatio eius Clericis commendatur 47
ei omnia nostra commendentur, vt per eam Deo offerantur 50
Deus vult eam à nobis coli 49
Virgines cur Musæ fingantur 591
Virgines in veteri testamento 592 in nouo 603. & seq.
Virgunculam vult Hieronymus assuescere ad orationes 131
Virtus animi prodit se per mores 791

Virtus

Virtus Dei in templo 68
Virtus gloriam parit, gloria inuidiam 809
Virtutes connexæ sibi sunt & concatenatæ 526
Visitatio Sanctorum locorum 94
Vitia potius quam virtutes Antistitum populus imitatur 777
Vitulos labiorum immolare quid in sacris literis vocetur 218
Vmbra S Petri fugat morbos 82
Vna precantes accendunt deuotionem 102 similia ad eam rem ibidem.
Vna Sabbati. Significat apud Apostolum diem Dominicam 143
Vnus sæpe causa exitii multorum 460
Vnius personæ peccatum toti ordini imputatur 59
Vno tempore coniunctim cur non legantur horę canonicæ 132
Vocalis in cœlo Sanctorum laudatio 209
Votum Castitatis Clericorum. vide Castitas
Votum Castitatis Clericorum in maioribus ordinibus 20
Votum qui Deo fecit, gaudere debet & cum lętitia implere 586
ex Voto recte agere melius quam sine voto 17
Vota non soluere quanti periculi & exitii 18
Vota Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ Clerici olim nuncuparunt 21. & sequentibus.
Vouens & fructum largitur & arborem 17
Vox cœlestis Augustino lectionem spiritualem commendat 304
Vox in choro cum mente concordet 196
Vox nostra in orādo talis sit, ne alios comprecantes perturbet 198
Vocem paulo clariorem in precib. hæreticus Wicleff reprehendit 191. vide Clamor.
Voce pariter & mente diuinæ laudes cantandæ 225
Voces sine pietate cantantium dæmon in saccum colligere visus 195
Vsura maxime à Clerico longe abesse debet 423
quid sit 423
quale peccatum ibid.
qui cum Deo licite exerceri possit 425
Vsurarii Clerici excommunicandi 425
Vtilitas publica scopus Prælatorum 697
Vtilitates Ecclesiam frequentantis 102
Vultus imago est animi 789

Sor. Bibl. Paderb.

Z.

ZElus, zelare quid sit 692
Zelantium laudabiliter exempla 406. & sequentibus.
Zelus ne in iram vitiosam transeat cauendum 462
Zelus animarum quid sit 693
Zeli in quibusdam Sanctis ingentis exempla 693. & seqq.
Zelum animarum quæ exstimulare in nobis & excitare possint 698. & sequentibus.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN